

DOCTOR ANGELICVS DIVVS THOMAS AQVINAS,

DIVINÆ VOLVNTATIS,

ET SVIIPSIVS IN SVMMA Theologiæ Fidissimus Interpres, atque Doctrinæ Patrum observantissimus Custos, in lucem publicam editus,

A R. admodum P. F.

NICOLAO ARNU,


ORDINIS PRÆDICATORVM,

S. Theologiæ Magistro, Studiorum olim Regente in Collegio S. Thomæ de Vrbe Conventus S. Mariæ super Minervam, & nunc in celeberrimo Studio Patavino Metaphysicæ Publico Professore.

TOMVS SECVNDVS,

Complectens sex Quæstiones primæ Partis D. Thom. à decima-quarta ad decimam-nonam inclusivè.






LVGDVNI,

Apud FRANCISCUM BARBIER, Typograph. & Bibliopolam Regium.

M. DC. LXXXVI.

Cum Approbationibus, & Privilegio Regis.

Ad usu(m) Fr(atr)is Dom(ini)ci Baltorij B.6.15. — 90





INDEX QUÆSTIONUM, ARTICULORUM,

Capitùm & Paragraph. hujus primæ partis Tomi ſecundi in primam partem D. Thomæ.

QUÆSTIO XIV.

Facultas Reverendissimi Patris Fr. Antonii de Monroy, totius Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis.

NOS Fr. ANTONIUS DE MONROY S. Theol. Professor, ac Ord. FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis & servus: Harum serie nostrique authoritate officii Tibi à R. Patre Mag. Fr. NICOLAO ARNU hujus nostri Collegii S. Thomæ de Urbe studiorum Regenti facultatem concedimus ut typis mandare possis opus à te compositum, cui titulus; *D. Thomas Aquinas Doctor Angelicus, Divinæ voluntatis & sui ipsius in Summa Theologiæ fidelissimus Interpres, &c.* jam revisum & approbatum à duobus nostri Ordinis S. Theologiæ Magistris; servatis aliàs de jure servandis. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Dat. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die 5. mensis Aprilis 1678.

Fr. ANTONIUS DE MONROY
Magister Ordinis.

Registrata fol. 15.

Fr. FRANCISCUS JUSTINIANUS
Mag. & Soc.

† *Loco sigilli.*

APPROBATIO.

EX mandato Reverendiſſimi Patris Generalis Fr. Antonii de Monroy, vidimus & perlegimus Theologiam A. R. P. Magiſtri Fr. NICOLAI ARNV, Collegii Sanċti Thomæ de Urbe ſtudiorum Regentis, nihilque in eo offendimus aut à fide abſonum, aut probatis moribus adverſum, ſed omnia ſolida, Sanċtis PP. & Scholæ Thomiſticæ conſentanea, & difficillima quæque perſpicacis Autoris ingenio clara & pervia facta; arbitramur proinde, in publicam Theologorum utilitatem & luce & prælo dignam. Romæ in Conventu Sanċtæ Mariæ ſuper Minervam. 3. Aprilis 1678.

Fr. ANTONIVS CLOCHE, *Sacræ Theologiæ Mag. Ord. FF. Præd.*

Fr. GVINANDVS WYNANS, *Sacræ Theologiæ Magiſter.*


APPROBATIO.

HAnc Theologiam ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Palatii legi, & conſideravi, nihilque in eo quod Sacræ Doctrinæ adverſetur, reperi; ideoque ſumma cum utilitate excudi poſſe cenſeo. Die 4. Aprilis 1678.

LAVRENTIVS BVLBVL, *Cler. Reg. Minor. S. Congr. Indicis Conſultor.*

IMprimatur
Si videbitur Rev. P. Mag. Sac. Palatii Apoſt.
I. DE ANG. Archiep. Urbin. Viceſg.

IMprimatur.
Fr. RAYMVNDVS CAPISVCCVS.
Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſt. Mag.



SUMMA PRIVILEGII Regis Christianissimi.

LUDOVICUS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus, singulari Privilegio sanxit, ne quis per universos Regnorum suorum fines, intra sex annos à die novæ impressionis finitæ computandos, imprimat, seu typis excudendum curet & venalem habeat librum qui inscribitur, *Doctor Angelicus Divus Thomas Aquinas, divinæ voluntatis, & suiipsius in Summa Theologiæ Fidissimus Interpres, atque Doctrinæ Patrum Observantissimus Custos, in lucem publicam editus ad commodam Theologorum eruditionem authore*, NICOLAO ARNU, *Presbitero Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magistro necnon Doctore Regente*, præter Bibliopolam aut Tipographum ab eodem authore commissum. Ita prohibuit Rex sub pœnis latis in diplomate Regio ut latiùs patet in eo. Datum Chavillei vigesima-sexta die

mensis Augusti anno Domini millesimo sexcentesimo-octogesimo.

Ex mandato Regis.

Signatum DALENTIN.

Peracta hac impressio die 12. *Martii* 1686.

TOMI



TOMI SECVNDI IN PRIMAM PARTEM D. THOMÆ, PARS PRIMA, DE SCIENTIA DEI, & his quæ illam consequuntur.



QVÆSTIO XIV.

De Scientia Dei.

POST considerationem eorum, quæ ad divinam substantiam pertinent, de his considerandum restat, quæ ad illius operationem spectant. Et quia operatio quædam est, quæ in operante manet; quædam verò quæ in exteriorem effectum procedit: Primò agemus de scientia & voluntate (nam intelligere in intelli-

gente est, & velle in volente:) & postmodum de potentia Dei, quæ consideratur ut principium operationis divinæ in exteriorem effectum procedentis. Quia verò intelligere quoddam vivere est: post considerationem Divinæ scientiæ, de vita Divina considerandum erit. Et quia scientia verorum est, erit etiam de veritate & falsitate agendum. Rursum, quia omne cognitum in cognoscente est, rationes autem rerum, quatenus sunt in Deo cognoscente, ideæ vocantur, cum scientiæ consideratione, erit etiam adjungenda consideratio de ideis.



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Deo sit Scientia.

CAPVT PRIMVM.

Relatis quibusdam dicendi modis statuitur in Deo esse scientiam, & probatur tum authoritate, cùm ratione D.Thomæ.

1. Dist. 35. q.1.a.1.1. cōt. gēt. c.46. de ver.q. 2. a.1.opusc. QVamvis omnes Philosophi, ac Sapientes ipso convicti rationis naturalis lumine Deo scientiam concessisse reperiantur, nec tamen verè, aut quemadmodum oportet, teste D. Th.*q.2.de verit.art.1.in c.* Quidam etenim ipsorum intra ingenij sui, & humanæ scientiæ compressi

pressi angustias, opinati sunt Dei scientiam, quemadmodum & nostram, dispositionem nonnullam esse illius essentiæ superadditam, ceu perfectionem ejus. Quod planè absurdum est, & à fidei regulis dissonum. Simplicitatem enim omnimodam Deo adimit, & realem in eo compositionem ex substantia & accidente inducit. Etenim illa dispositio divinæ accrescens naturæ, qualitas esset, & subinde accidens reale ipsius. Insuper Deus est suum esse purissimum: quapropter aliquo neutiquam participat, vel participare potest: sed si scientia esset quædam dispositio illius essentiæ superaddita, participaret quoddam esse, videlicet actu vel habitu scientem esse: ergo nequit ullatenus esse, aut dici dispositio realis Dei essentiæ superaddita. Maj. patet, quia si participet aliquod esse, oportet ut ab alio ipsum accipiat; ac subinde ipse Deus non erit, qui sibi ipsi per essentiam suam est omnino essendi causa.

1. c. 18. & 35. lib. 12. Metaph. 1.

Alij nonnulli existimaverunt scientiam, & quamlibet aliam perfectionem in Deo, quæ ab ejus essentia concipitur distincta, in eo formaliter non inveniri, sed per modum causalitatis, & remotionis, hoc est, Deum scientem dici, quòd in nobis scientiam causet; vel quatenus omnis prorsus ab eo ignorantiæ defectus removendus est: Ita sensuunt Avicenna *lib. 1. de intelligentia cap. 1.* Rabbi Moyses *lib. 1. cap. 57.* & 58. & alij antiqui, quibus subscripsisse videtur Origenes. Quæ sententia, quamvis à vero non aberret omnino, nec tamen planè veritatem explicat, aut ejus rationem reddit: Primò, quia eodem prorsus modo in divinam prædicationem veniret quidquid à Deo in rebus causa-

2. Loco cit. & 1. sent. dist 2 q. 1. a. 1.

tum est: ac subinde non minùs propriè diceretur moveri, quam sapere, cum æquè motum in rebus, ac sapientiam producat; quod absurdum est. Secundò, illa quæ propriè de causatis & causis dicuntur, propter causas causatis insunt, & non è contra, v. g. quia calidum inest igni & ferro, igni tanquam causæ; & ferro ignito tanquam effectui, non inest igni propter ferrum, sed ferro propter ignem; sed Deus in nobis scientiam causat: ergo scientia, sive scientem esse, non effertur de Deo, aut ipsi propter creaturas inest, sed potiùs creaturis propter Deum, cum sit perfectio ipsius scientis.

3. Loc. cit. & q. 7. de pot. art. 5. Idcirco alij dixerunt scientiam, & alias ejusmodi perfectiones per quandam proportionis similitudinem Deo attribui, quemadmodum & passiones iræ, & alias id genus, itaut sicùt Deus iratus dicitur, quia ad modum irati se habet, vel similem irato producit effectum (namque punit, & supplicio mulctat, quod est iræ peculiaris ac proprius effectus, quamvis ipse Deus iræ passione non laboret:) haud aliter sciens dicitur, quia effectum scienti similem præstat. Quemadmodum enim opera scientis ex determinatis principiis ad determinatos fines procedunt, ita ipsa naturæ opera quæ divinitus fiunt, ut patet in 2. Physic. Quæ positio cum dictis Sanctorum pugnat, præsertim D. Dionysij *cap. 7. de Divinis nom.*

4. Loc. cit. Prima conclusio: In Deo verè est scientia, nec ei debet attribui metaphoricè duntaxat, sed sicuti perfectio realiter & propriè in eo existens, & ratione ab ejus essentiâ distincta. Scientiam in Deo existere, prout certam & evidentem rerum notitiam dicit, catholica fides confite-

tur,

tur, & plurima sacræ Scripturæ testimonia ostendunt. Dicitur enim de ipso Deo Iob. cap. 9. & 19. quòd, *Sapiens est corde, & fortis robore:* Et quòd, *Apud ipsum est fortitudo & sapientia,* Quæ nonnisi de sapientiâ, sive scientiâ propriè dictâ intelligenda veniunt. Vocatur namque sapiens corde, quasi geminando sapientiæ rationem, quæ & per cor in Scripturâ significari consuevit, ut notet perfectissimam in eo sapientiam, & excellentissimam scientiam, cum quâ nulla humana cognitio, quantumlibet perspicua, comparari queat. Proptereaque ibi de sapientia sermo est, prout ad perfectam, & omnibus suis numeris absolutam providentiam requiritur, ut notum est: hæc autem est in ipso providente propriè existens, cum sit suapte naturâ in finem directiva per cognitionem. Quod insinuat D. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 1. dicens: *Quid mirum si conditorem sapientium sapientem dicimus, quem ipsum esse sapientiam scimus? Et quid mirum quòd fortem esse memorat, quem esse fortitudinem nullus ignorat? Sed sanctus vir duobus verbis in laudem auctoris prolatis aliquid nobis intimat, unde nos ad cogitationem nostram trepidos reducat. Sapiens quippe Deus dicitur, quia occulta nostra subtiliter agnoscit: & esse fortis adjungitur, quia valenter cognita percutit. Nec falli ergo à nobis, quia sapiens: nec vitari, quia fortis est, valet.* D. Th. ibidem.

Insuper cap. 12. Iob. dicitur de Deo: *Apud ipsum est sapientia & fortitudo, & ipse habet consilium & intelligentiam: Ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur, &c.* Ex quibus verbis S. Th. hoc argumentum desumit: ille sapientiâ pollere dicitur, seu esse egregiè sa- 5. Ibidem lect. 2.

piens, qui rectum de omnibus judicium habet, ſed ille rectum habet de rebus judicium, qui non modò non mentitur, ſed mentientem oſtendere poteſt, ſeu diſcernere quomodo aliquis decipiatur à veritate declinans: ergo in Deo propriè eſt ſapientia, ſeu ſcientia, cum noſcat & decipientem, & eum qui decipitur. Idcirco idem Iob c.21. ajebat: *Nunquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos judicat.*

Loc. cit. Ex quibus idem S.D. hoc deducit argumentum: Nullus judicat quæ ignorat; ſed Deus excelſos quoque judicat, & in ſtatera judicij ſui opera eorum appendit, & multò magis humilia aſpicit: igitur in eo eſt ſcientia. *Qui enim*, inquit Gregorius lib.15.c.32. *Super nos mira facit, conſtat procul dubio, quia de nobis ſcienter omnia diſponit.*

6. Eadem veritas ſtabilitur Eſther 14. *Domine,* ait, *qui habes omnium ſcientiam.* Eccleſiaſ.42. *Cognovit Dominus omnem ſcientiam*, Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Ad Rom. 11. c. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Coloſſ.2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Quæ teſtimonia ad ſenſum metaphoricum detorqueri nequeunt: tùm quia juxta communem regulam à D. Auguſtino traditam *lib. 2. de doct. Chriſtiana cap.* 10. Verba Sacræ Scripturæ ſunt propriè accipienda, cum nullum ſequitur abſurdum, vel inconveniens: quod non ſequitur ex eo quod conſtituatur in Deo ſcientia: cum iſta ſecundùm rationem ſuam dicat perfectam cognitionem. Quapropter idipſum teſtantur communiter Patres. Philoſophi etiam tanquam veritatem lumine naturali notam aſſerunt. *Quinimmo hujus fidei veri-*

tas,

tas, inquit D. Thom. *tantùm apud homines invaluit, ut ab intelligendo nomen Dei imponerent. Nam Theos, quod secundùm Græcos Deum significat, dicitur à theasle, quod est considerare.* Vide quæ dicta sunt supra q.13. art.8. Lib. 1. cõt. gẽt. cap. 44.

7. Deinde probat suam conclusionem S. D. ratione, quæ in hunc modum deduci potest. Scientia nihil aliud sonat, quam perfectam rei cognitionem: sed Deus est perfectissimè cognoscens, sive intelligens: ergo est perfectissimè sciens, seu in eo est perfectissima scientia. Prob. min. immaterialitas alicujus rei est ratio quòd ipsa sit cognoscitiva, & secundùm modum immaterialitatis est modus cognitionis: sed Deus est in summo immaterialitatis, cum sit ipsum esse subsistens & illimitatum: ergo est etiam in summo cognitionis, seu est perfectissimè cognoscens & intelligens. Minor quoad 1. partem prob. In hoc differunt cognoscentia à non cognoscentibus, in perfectione essendi & gradu naturæ, quòd non cognoscentia nihil habent, nisi formam suam tantùm, sed cognoscens natum est habere etiam formam rei alterius: sed natura cognoscens id non habet, nisi quia est quodammodo immaterialis, & elevata super materialia & cognitione destituta: ergo rei ipsius immaterialitas est ratio cur ipsa sit cognoscitiva. Mai. Patet, quia species cogniti est in cognoscente: sed species cogniti est ut forma, & actus cognoscentis, per eam enim fit actu cognoscens: ergo cognoscens natum est habere etiam formam rei alterius: Minor verò prob. cognoscens non est aptum natum habere plures formas, nisi in quantum natura ejus est minùs limitata & coarctata,

Hic & 1. cont. gẽt. c. 44. & q. 2. de verit. art. 2.

Supra q. 7. art. 1.

quam natura ipsius rei non cognoscentis, habetque majorem amplitudinem & extensionem, quam ista: sed natura cognoscens non est minùs limitata, quam natura non cognoscens, nisi quia illa magis à materia recedit, per quam fit coarctatio formæ: ergo per id natura cognoscens nata est habere etiam formam rei alterius, quia est immaterialis, & quodammodo supra materiam elevata. Maj. Patet ex Philosopho 3. *de anima com.* 15. & 37. dicente, quòd anima est quodammodo omnia, quia nata est cognoscere omnia. Minor etiam est manifesta: quia per materiam determinantur, & limitantur in suo esse formæ, seu perfectiones. Confirmat hoc S. D. authoritate Arist. 2. *de anima tex.* 124. dicentis, quod plantæ propter suam materialitatem non cognoscunt.

8. Loc. cit. & 1 2.q. 8.art.1. Quoad secundam autem partem prob. Prima minor: licet sensus quilibet sit cognoscitiuus, quia est receptiuus specierum sine materia, tamen intellectus magis cognoscitiuus est quam sensus, cum rerum quidditates penetret; sensus verò circa exteriora duntaxat, & accidentia sensibilia occupatur; sed intellectus non est magis cognoscitiuus, nisi quia est magis separatus à materia, & immixtus, ut dicitur *lib.* 3. *de anima tex.* 4. ergo secundùm modum immaterialitatis est modus cognitionis.

9. Lib. 12. metaph. lect.8.& 1.cont. gent.c. 44. Conf. in tantum aliqua natura est agens in quantùm est actu: ergo in tantum est aliquid cognoscens, seu intelligens, in quantum est in actu in linea intelligendi: sed est in actu in hac linea per hoc quod attingit ipsum intelligibile, & ei unitur ut formæ: ergo in tantùm est cognoscens seu intelligens, in quantum habet

bet suscipere ipsum intelligibile ut propriam formam: sed nihil suscipit aliud ut propriam formam nisi sit inter utrumque proportio, quia unumquodque recipitur ad modum recipientis: ergo inter cognoscens & cognoscibile debet esse proportio: sed est aliquid intelligibile per hoc quod est à materia separatum: ergo & erit cognoscens prout fuit immateriale.

Pro intelligentia notandum est ex D. Thom. 10.
quod res aliqua invenitur perfecta dupliciter. Qu. 2.
Vno modo secundùm perfectionem sui esse, de verit.
quod ei secundùm propriam speciem competit: art. 1. c.
sed quia esse specificum unius rei est distinctum ab esse specifico alterius: ideo in qualibet re creata hujusmodi perfectioni habitæ, in unaquaque re, tantùm deest de perfectione simpliciter, quantùm perfectionis in aliis speciebus invenitur, ut sic cujuslibet rei perfectio in se consideratæ sit imperfecta, veluti pars totius perfectionis Vniversi, quæ ex singularum rerum perfectionibus invicem adunatis consurgit. Vnde ut huic imperfectioni aliquod remedium adhiberetur, invenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, secundùm quod perfectio, quæ est propria unius rei, in altera invenitur: & hæc est perfectio cognoscentis, in quantùm est cognoscens. Quia secundùm hoc à cognoscente aliquid cognoscitur, quòd ipsum cognitum est aliquo modo apud cognoscentem. Et secundùm hunc modum possibile est, ut in una re totius universi perfectio existat. Vnde hæc est ultima perfectio, ad quam anima, secundùm Philosophos, pervenire potest, ut in ea totus Vniversi ordo, & causarum ejus describatur. In quo etiam finem ultimum humanæ

humanæ vitæ constituerunt, qui secundum nos in visione Dei situs est, quem videntes omnia vident, secundùm illud Gregorij lib. 4. Dialog. c. 33. *Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident?*

11. Ibidem. Perfectio autem unius rei in altera esse nequit secundùm determinatum essendi modum, quem in illa sortiebatur. Quapropter, ut nata sit in re altera esse, oportet eam considerare absque his, quæ nata sunt eam determinare: & quia formæ & perfectiones rerum per materiam determinantur, inde est, quod secundùm hoc est aliqua res cognoscibilis, secundùm quod à materia separatur. Vnde etiam oportet ut id, in quo suscipitur talis rei perfectio, sit etiam immateriale; si enim materiale esset, perfectio recepta esset in eo secundum aliquod esse determinatum: & ita non esset in eo secundùm quod est cognoscibilis, scilicet prout existens perfectio unius, est nata esse in altero. Et ideo erraverunt antiqui Philosophi & posuerunt, simile simili cognosci, volentes secundùm hoc quòd anima, quæ cognoscit omnia, ex omnibus naturaliter constitueretur, ut terrâ terram cognosceret, aquâ aquam, & sic de aliis. Existimarunt enim, quòd perfectio rei cognitæ in cognoscente determinatum esse haberet, quemadmodum & in propria natura illud habet; quod omnino falsum est. Non enim ita recipitur forma rei cognitæ in cognoscente, quemadmodum formæ naturales in materia prima: nam in intellectu cognoscente oportet eas immaterialiter recipi, & non materialiter. Vnde videmus quod secundùm ordinem immaterialitatis in rebus, natura cognitionis invenitur;

Plantæ enim & alia, quæ infra plantas sunt, nihil immaterialiter possunt recipere, & ideo omni cognitione destituuntur. Sensus autem recipit species sine materia, sed tamen cum conditionibus materialibus: intellectus autem etiam à conditionibus materialibus species depuratas recipit. Similiter est etiam ordo in cognoscibilibus. Quia igitur Deus est in fine separationis à materia, cum ab omni potentialitate sit penitus immunis, relinquitur quod sit ipse maximè cognoscitiuus, & maximè cognoscibilis.

CAPVT II.

Ostenditur in Deo esse verè ac propriè scientiam, & non tantùm communiter dictam.

CVm scientia dupliciter accipi, & usurpari valeat, primò largè & communiter pro qualibet certitudinali cognitione, quâ ratione de ipsa loquitur Aristoteles 1. *Poster.* dicens, quod non omnis scientia est per demonstrationem accepta, sed immediatorum principiorum est scientia indemonstrabilis: Secundò propriè, prout contra intellectum principiorum diuiditur; quo pacto est certa & euidens cognitio rei per suam causam necessariam, & infallibilem; dubium oritur, utrum in Deo scientia constitui debeat propriè, non modò prout ly *propriè* excludit scientiam metaphoricè dictam, sed etiam communiter usurpatam. Negat P. Vasquez disp. 4. c. 4. num. 9. & disp. 85. c. 7.

12. 1. Poster. lect. 7.

c.7.num.48. Affirmant verò communiter Theologi.

13. Secunda conclusio: datur in Deo verè & propriè scientia, ut distinguitur à scientia communiter dicta. Prob. omnis perfectio, quæ in aliquo genere entium reperitur, & in suo conceptu nullam dicit imperfectionem, formaliter & propriè in Deo constituenda est: sed inter rerum perfectiones potissima est esse intellectiuum intellectu adepto, seu perfectè scientem, atque intelligentem: ergo oportet in Deo scientiam strictè dictam constituere, cum ista in suo conceptu nullam imperfectionem involvat. Maj. Patet; minor verò prob. Vivum simpliciter est melius non vivente, & inter viventia melius est vegetatiuum sensitivo, & intellectiuum utroque melius est, quia utrumque includit, & novum gradum seu perfectionem superaddit: & denique intellectiuum intellectu adepto est melius intellectivo in potentia, vel in habitu, quia habitus est quodammodo medius inter potentiam & actum, unde sciens in habitu dormienti comparatur: ergo rerum potissima perfectio est esse intellectiuum intellectu adepto, seu perfectè scientem.

Lib. 1. cont. gét. c. 44. & 94. 1. sent. dist. 35. q. 1. a. 1. c. q 2. de verit. a. 1. sed cont. 2.

14. Hanc rationem insinuat D. August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 6. & 7. dicens: *Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnes anteponunt. Et quoniam omnes qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda, & non indigna de Deo æstimare, qui vitam ipsam cogitant, & quæcunque illis forma occurrerit corporis, eam vitâ vivere vel non vivere statuunt, & viventem non viventi anteponunt, eamque ipsam viventem corporis formam, quantalibet luce præfulgeat,*

fulgeat, quantalibet magnitudine praemineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam, qua vegetatur intelligunt, eamque illi moli, quæ ab illa vegetatur & animatur, dignitate incomparabili preferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, & si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, praeponunt ei sentientem, qualis est pecorum, & huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam cùm adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur praeponere; illam scilicet vitam, quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed potiùs est ipsa sapientia. Sapiens enim mens, id est adepta sapientiam, nec fuit unquam insipiens, nec esse unquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plenâ fiduciâ vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponerent.

Dices, quòd licèt esse intellectiuum intellectu adepto sit potissima omnium perfectio, non tamen esse scientem scientiâ strictè & propriè dictâ, hæc enim in suo conceptu intrinsecè claudit imperfectionem: Etenim dicit cognitionem conclusionum causatarum ex principiis; in Deo autem nihil causatum reperiri potest; nec aliquid per modum conclusionis cognoscit: aliàs à principiis ad conclusiones descenderet, quod etiam ab Angelis, ceu quid imperfectum, removet Dionysius 7. *cap. de divin. nom.* Similiter illud quod scitur, per aliquid magis notum sciri debet, nimirum conclusiones seu principia, quæ sunt notiora conclusionibus: Deo autem non est aliquid magis vel minùs notum. 15. Qu. 2. de verit. a. 1. arg. 4. & 5.

Contra quando aliquid ex creaturis ad Deum, 16.

Ibid. ad 4. Deum, seu divinam transfertur prædicationem, ab eo removendum est, quidquid imperfectionis dicebat, ex eo quod in tali subjecto reperiebatur; servandum autem omne id quod perfectionis ipsi inerat: sed quod scientia sit cognitio conclusionum descendens à cognitione principiorum, ceu magis notorum ex parte cognoscentis, habet ex subjecto, in quo reperitur, nimirum intellectu humano, qui dum actu principia intelligit, solùm in potentia scit conclusiones; certitudo autem cognitionis ad perfectionem scientiæ pertinet: ergo, cùm ratio scientiæ Deo attribuitur, non debet cum hac imperfectione attribui, quam in nobis ex modo imperfecto cognoscendi contrahit, sed debet ab hujusmodi imperfectione denudari, & denudata perfectissimè Deo attribui, ac magis propriè quam in nobis reperiatur, quoad rem significatam.

17. Ibid. ad 5. Conf. quamvis in Deo non sit aliquid magis & minùs notum, si consideretur modus cognoscentis, quia eodem intuitu omnia videt: tamen si consideretur modus rei cognitæ, Deus cognoscit quædam esse magis cognoscibilia in seipsis, & quædam minùs, & effectus maximè per causas cognoscit: sed hoc & nihil ampliùs ad rationem scientiæ propriè & strictè dictæ requiritur: ergo hæc propriissimè in Deo attribuenda venit. Mai. patet, quia inter omnia maximè cognoscibilis est ejus essentia, & per eam sicut per causam ex parte objecti omnia cognoscit, ut infra probabitur. Minor etiam est evidens, quia ad scientiam propriè dictam nil aliud exigitur nisi quòd sit certa & evidens rei cognitio per suam causam ex parte rei cog-

nitæ

nitæ; non verò desideratur, quod ex parte cognoscentis una cognitio sit ab alia causata, quia in tantùm hoc evenit, in quantum cognoscens uno cognito non perfectè attingit aliud simplici intuitu; unde certificari debet de illo per resolutionem ad principia, resolutio autem præsupponit ex parte cognoscentis quandam compositionem, & descensum à principiis ad conclusiones. Vnde Angelus absque tali descensu, & resolutione perfectam habet scientiam, simplici intuitu res cognoscens. Sed de his ampliùs infra.

CAPVT III.

Solvuntur argumenta contraria.

Arg. 1. contra 1. quidquid in sua ratione formali imperfectionem claudit, Deo, saltim propriè, attribui nequit: sed scientia in sui ratione imperfectionem claudit: ergo Deo scientia propriè dicta attribui nequit. Prob. min. omnis actus primus dicit imperfectionem respectu actus secundi, seu operationis: sed scientia habet rationem actus primi, sicut considerare actus secundi rationem sortitur, ut dicitur *in 2. de anima*: ergo scientia in sui ratione imperfectionem claudit. Maj. patet, quia actus primus est ut potentia respectu actus secundi. 18. Hîc, & q. 2. de verit. a. 1.

Conf. quælibet cognitio scientifica propriè dicta est causata, causatur enim ex decursu principiorum in conclusiones, & collatione earum ad principia veluti causas: sed in Deo nihil 19. Ibidem.

nihil est causatum, & multominus discursus, quia iste est motus animæ rationalis exeuntis de potentia in actum considerandi: ergo in Deo non datur scientia propriè dicta.

20. Loc. cit. & q. 2. de pot. a.1. & q 1. a.1. Resp. neg. min. Ad cujus prob. dist. maj. omnis actus primus, qui per essentiam est conjunctus cum actu secundo, vel omni potentialitate carens, dicit imperfectionem respectu actus secundi, nego: actus primus, qui non est per essentiam conjunctus cum actu secundo, sed est in potentia ad ipsum, concedo maj. Et dist. min. Scientia secundùm suam rationem absolutè & simpliciter sumptam est actus primus separatus ab actu secundo, & potentialitati admixtus, nego: prout habet esse in tali subjecto, nimirum intelligente exeunte de potentia in actum intelligendi, concedo. Non sic autem est in Deo, sed essentialiter conjungitur cum actuali consideratione, cum essentialiter sit ipsum esse Dei, atque ejus intelligere.

21. Loc. cit. Resp. ad conf. quod licet Dei scientia omni discursu careat, non tamen omni causalitatis ratione: etenim scientia actualis, qualis in Deo constituitur, essentialiter est cognitio rei per suam causam. Quo supposito Doctores communiter respondent, quod esto essentia Dei (quæ est ratio cognoscendi se & alia omnia, sicut medium in demonstratione est per se notum, & ratio cognoscendi conclusionem) non sit causa realis actualis productiva eorum quæ sunt in Deo, nimirum attributorum; tamen est causa virtualis eorum, quia videlicet si attributa causam haberent, ab ipsa Dei essentia veluti à causa dimanarent. Quod sufficit

cit ut sit cognitio scientifica, & cognitio rei per suam causam. Nam & Metaphysica propriè scientia est, & tamen non demonstrat proprietates de suo subjecto reipsâ ab ea fluentes, & distinctas, sed virtualiter duntaxat. Sed nos ex dicendis respondemus quod licet ex parte cognitionis in Deo non detur causalitas, tamen ex parte objecti cognoscit unum esse causam alterius, quod sufficit. Causalitas enim ex parte cognitionum solum exigitur in intellectu discurrente, & procedente de noto ad ignotum, seu notiori ad minùs notum.

Argum. 2. ad rationem scientiæ propriè dictæ requiritur, ut minùs notum per aliquid notius cognoscatur, propter quod enim unumquodque tale & illud magis: sed in Deo non datur aliquid magis vel minùs notum: ergo neque scientia propriè & strictè sumpta. Minor patet, quia Deus simplici intuitu omnia perfectissimè videt & cognoscit. 22. Qu. 2. de verit. arg. 5.

Conf. in Deo non datur propriè intelligere: sed scire est quoddam intelligere: ergo in Deo non reperitur scientia propriè dicta. Prob. maj. primò, quia intelligere est quoddam pati & moveri, ut patet ex Aristot. 3. *de anima tex.* 12. *&* 28. motus autem & passio Deo repugnant. Secundò, quia in Deo non datur potentia intellectiva propriè dicta: sed operatio dispositionem ipsius potentiæ sequitur: ergo neque in ipso datur intelligere propriè. Maj. prob. ex D. Thom. dicente: *Quia verò nihil est sui ipsius principium cum divina actio non sit aliud quam ejus potentia, manifestum est ex predictis, quòd potentia non dicitur in Deo sicut principium actionis, sed sicut principium facti: Unde si aliqua* 23. Ibidem arg. 1. Lib. 2. côt. gẽt. c. 10.

actiones Deo conveniant, quæ non in aliquod factum transeant, sed maneant in agente, respectu horum non dicetur in Deo potentia, nisi secundùm modum intelligendi, non secundùm rei veritatem. Hujusmodi autem actiones sunt intelligere & velle: potentia igitur Dei propriè loquendo non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus. Intellectus igitur & voluntas non sunt in Deo ut potentiæ, sed solùm ut actiones. Tertiò, quia intelligere est quoddam vivere: sed vivere dicit actum viventis, à quo ceu principio elicitivo, & modo vitali egreditur: ergo cum in Deo repugnet unum procedere ab alio, ut à principio elicitivo, & productivo ejus, intelligere propriè in Deo reperiri nequit.

24. Loc. cit. Resp. ad arg. S. Doct. quòd quamvis in Deo non sit aliquid magis, vel minùs notum, si consideretur modus cognoscentis, quia eodem intuitu omnia videt: tamen si consideretur modus rei cognitæ, Deus cognoscit quædam esse magis cognoscibilia in seipsis, & quædam minùs: sicut inter omnia maximè est cognoscibilis sua essentia, per quam quidem omnia cognoscit, non aliquo discursu, cum simul videndo essentiam suam omnia videat; unde & quantùm ad istum ordinem, qui potest attendi in divina cognitione ex parte cognitorum, etiam salvatur in Deo ratio scientiæ.

25. 1. dist. 38. q. 1. a. 2. corp. Contrà modus cognitionis non sequitur modum rei cognitæ, sed modum cognoscentis, ut ex Boëtio docet S. Doct. sed scientia ex se est quædam ignoti cognitio, seu cognitio minùs noti per notum: ergo si ex parte cognoscentis in Deo non datur magis & minùs notum, non erit in eo cognitio scientifica propriè

priè dicta. Maj. prob. quia cognitio non fit, nisi secundùm quod cognitum est in cognoscente: sed unumquodque est in aliquo per modum ipsius, & non per modum sui, ut dicitur *in lib. de caus. prop.* 10. ergo oportet ut cognitio fiat secundùm modum cognoscentis.

Resp. dist. Maj. modus cognitionis non sequitur modum rei cognitæ, secundùm esse quod habet ad extra, concedo: secundùm esse quod habet in cognoscente mediante sua specie, nego: ex objecto enim ut unito cum potentia in ratione principij formalis determinativi ipsius actus intelligendi ad speciem, paritur notitia in aliqua specie determinata, ut hominis, vel equi, &c. Notum autem, & ignotum sunt rei differentiæ prout habet esse in cognoscente. Vnde potest dari magis, & minus notum, non quidem ex parte actus intelligendi, prout significatur esse à divino intellectu, sed prout significatur esse ab essentia divina, tanquam specie repræsentante plura, quæ in seipsis sunt magis & minùs cognoscibilia. 26. Loc. cit.

Resp. ad conf. quod datur in Deo intelligere propriè, non ut quædam actio, sed ut actus perfectus. Ad 1. instantiam resp. quod intelligere dicitur quoddam pati, & móveri impropriè. Et hoc quidem habet in nobis, in quantum est dependens intellectus noster à sensibus in cognoscendo: sic enim patitur continuum & tempus; habetque quodammodo motui & passioni subesse, quod longè à Deo abest: ac subinde in ipso intelligere datur per modum actus perfecti duntaxat, quod est propriissimè intelligere. 27. Hic art. 2.

28. Ad 2. instantiam fusè dicturi sumus infra. Qu. 15. art. 1. Quantùm ad præsens expedit, dicimus in Deo verè dari intellectum per modum potentiæ in ordine ad actualem intellectionem, non quidem per modum potentiæ realiter producentis operationem & physicè, seu agentis cum transmutatione, & separabilis ab actu: sed per modum potentiæ grammaticaliter agentis, & essentialiter conjunctæ cum suo actu. Et ita venit intelligendus S. Doct. unde ly, *secundùm rei veritatem*, reddit sensum, quod non est ibi potentia respectu actionis, secundùm esse, quasi scilicet potentia realiter sit principium productiuum actionis: *sed secundùm modum intelligendi*; quia enim de ratione actionis in creaturis est, ut à principio sit, ut docet S. Doctor; ideo cum intellectus in Deo concipit aliquid per modum actionis, ut intelligere & velle, concipit ut id, quod est à principio activo, nimirum à potentiâ; quæ tamen habitudo non est in re, sed tantùm in ratione.

Quæst. 1. de potentia a. 1. ad 1.

29. Ad 3. instantiam dicimus, quòd in Deo datur intelligere, sicut & vivere per modum actionis grammaticalis & actus perfecti, qui realiter est ipsa ejus essentia, & intellectus: tamen significatur ut egrediens ab eo: non sicut actus à potentia in re, sed sicut actus perfectus ab actu perfecto: quem tamen intellectus noster nequit intelligere, nisi sub ratione potentiæ, dum significatur, ut principium actus, qui est operatio. Quod enim est sic principium actus, oportet ut sit potentia, seu ut potentia activa significetur.

30. Arg. 3. de ratione scientiæ propriè dictæ est discursus:

discursus: sed in Deo non datur discursus: ergo in Deo non datur scientia propriè dicta. q. 1. de verit. a. 1. arg. 4.
Maj. prob. tum quia scientia est cognitio conclusionum per demonstrationem acquisita, quæ est quidam discursus. Tum etiam quia scientia in hoc ab intellectu principiorum distinguitur, quòd iste veritatem absque discursu attingit; non verò scientia.

Respondent quidam, in Deo non dari equidem formalem discursum, bene autem virtualem, quod sufficit ad rationem scientiæ; & per id satis superque ab habitu principiorum distingui. Sed profectò hæc solutio non est admittenda, nisi per virtualem discursum intelligatur esse in Deo, quidquid perfectionis est in cognitione scientifica discursiva, nimirum certitudinem cognitionis, & notitiam infallibilem principiorum, uno tamen simplici intuitu, & absque successione, vel causalitate cognitionum adinvicem, ut dicemus *art.* 7. unde. 31.



Resp. cum D. Thom. dist. maj. de ratione scientiæ propriè dictæ est discursus, quantùm ad actum perfectum ejus, nego: quantum ad modum acquirendi ipsam per motum inquisitionis, & rationis discurrentis ex principiis in conclusiones, concedo maj. unde cum illud, quod in creaturis reperitur imperfectione aliqua involutum, sit Deo sublatâ imperfectionis fæce attribuendum, removendus est discursus à Dei scientia. *Dicendum*, inquit, *quod quia illud quod in Deo est, in creaturis cum aliquo defectu invenitur, propter hoc oportet, ut si aliquid in creaturis inventum Deo attribuatur, separemus totum quod ad imperfectionem pertinet, ut* 32. quæst. 1. de verit. a. 1. ad 4. & in 3. d. 31. q. 2. art. 4.

solùm maneat hoc quod perfectionis est; quia secundùm hoc tantùm creatura Deum imitatur. Dico igitur quod scientia, quæ in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis. Ad perfectionem ejus pertinet certitudo ipsius: quia quod scitur, certitudinaliter cognoscitur. Sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectus à principiis in conclusiones, quarum est scientia. Hic enim discursus non contingit nisi secundùm quod intellectus cognoscens principia, cognoscit in potentia tantùm conclusiones: si enim actu cognosceret, non esset ibi discursus, cum motus non sit nisi exitus de potentia in actum. Dicitur ergo in Deo scientia ratione certitudinis de rebus cognitis: non autem ratione discursus prædicti, qui nec etiam in Angelis reperitur, ut Dionysius dicit cap. 7. de divin. nom.

33. Ex dictis loc. cit. Ad 1. prob. similiter dicimus, quod cum demonstratio sit quidam syllogismus, sicuti in Deo non datur discursus, sic neque eget demonstratione ejus scientia, quæ non est habitualis, sed actualis, & per intuitum rei. Nec enim de ratione cujuslibet scientiæ est, quòd sit cognitio conclusionum per demonstrationem acquisita, sed illius duntaxat quæ collativa est, & per inquisitionem, motumque rationis acquiritur, ut in nobis contingit. Ad 2. prob. resp. non distingui in hoc scientiam ab intellectu principiorum, quia illa fit per demonstrationem acquisita, iste verò non: sed quia intellectus principiorum respicit verum ut per se notum: scientia autem respicit verum, ut per aliud notum, & quia in nobis ad hoc opus est discursu & collatione, ideo scientia nostra per demonstrationem comparari indiget.

1.2 q.57. art. 1. & 2.q 2 de verit.art. 1.ad 5.

diget. Deus autem omnia unico & simplici intuitu cognoscit, nec ex parte cognoscentis est ei aliquid magis vel minùs notum, licet ex parte rei cognitæ cognoscat quædam esse magis cognoscibilia in seipsis, & rationes cognoscendi alia.

Arg. 4. de ratione scientiæ strictè sumptæ est attingere primariò conclusiones demonstratas, 34.
cum istæ sint primarium objectum ipsius : sed cognitio Dei non attingit primò & per se conclusiones demonstratas : ergo non est scientia strictè. Minor prob. nam divina cognitio primariò attingit essentiam suam, & in illa intuetur attributa & creaturas : sed veritates scibiles ac demonstrabiles sunt veritates creatæ, aut illæ quibus attributa enunciantur de Deo, non autem divina essentia ; hæc enim simplici intuitu, qui est intellectus principiorum, vel sapientiâ attingitur : ergo cognitio Dei non attingit primò & per se conclusiones demonstratas.

Respondetur, omissis variis solutionibus, 35.
quas affert Illustriss. Godoy hîc §.2. dist. maj. de ratione scientiæ est attingere primariò conclusiones, secundùm se sumptas, nego : ut visas in principiis, seu medio sciendi, & demonstrandi concedo maj. Namque materialiter scita sunt conclusiones, sed ratio formalis sciendi sunt principia, seu medium. Et dist. min. non attingit conclusiones demonstratas secundùm se sumptas, concedo, sic enim sunt materialiter scita : ut visas in divino esse, seu divina essentia, tanquam in medio & ratione sciendi illas, nego min. & conseq. Itaque primum cognitum quo, est divina essentia, sed

(Infra a. 7. c. & supra q. 1. 1. dist. 35. q. 1. art. 1. & 2.)

ſecundarium cognitum, & quod ſunt res creatæ, quæ ſecundum eſſe earum ſunt effectus divini eſſe, & in eo videntur ſicut in principio, & in eſſentia divina ſicut in medio ſciendi. Vide quæ ex S. Thom. diximus tom. 2. clyp. Phil. q. 15. art. ultimo.

CAPUT IV.

Solvuntur instantiæ contra rationem D. Thomæ.

36. Hîc in c. & q.2. de verit. art.2. ARg. 4. contra rationem D. Thom. cum S. Doct. ait, *In hoc cognoſcentia à non cognoſcentibus differre, quòd non cognoſcentia non habent niſi formam ſuam tantùm, cognoſcens verò natum eſt habere etiam formam rei alterius*, vel loquitur de modo habendi naturaliter formam alterius, vel de modo intentionaliter ſuſcipiendi? Si primum dicatur, omnino falſum eſt, quia lapis ſecundùm eſſe naturale, quod habet ad extra, non eſt in intellectu, ſed ſpecies ejus. Quinimmo hoc admiſſo non valeret diſcrimen allatum. Non cognoſcens enim præter formam ſuam naturaliter habet alias, v. g. aqua calorem, paries albedinem, & ſic de cæteris accidentalibus formis. Si autem de modo habendi intentionaliter fiat ſermo, prout reipſa quidem fit, non eſt propoſitio undequaque vera: nam aër etiam intentionaliter recipit colores, tanquam medium deferens ſpecies eorum ad oculum; & tamen nullatenus eſt cognoſcens.

37. Quot & quantas ſolutiones ab interpretibus

bus D. Thomæ hæc instantia extorserit, norunt qui legerint, de quibus latè Illustrissimus Godoy *hic* §. 3. Quibus omnibus omissis breviter dicimus, ibi sermonem esse de forma prout est actus & perfectio rei constituens eam in esse perfecto, non modò absolutè & perfectione proprij esse, sed etiam in habitudine ad alias perfectiones in aliis entium quorumlibet gradibus repertas. Similiter ly ***habere*** sumitur prout includit modum habendi naturaliter & intentionaliter. Quapropter cum dicitur, quòd non cognoscentia non habent nisi formam suam tantùm, sensus est, quòd non habeant nisi formam suam naturaliter, tanquam perfectionem specificam, & principium omnis actualitatis naturaliter sibi debitæ; v.g. ignis habet igneitatem duntaxat, quâ sortitur suum esse specificum, ignitque ac calefacit, quæ sunt operationes propriæ speciem ignis consequentes tanquam actus ejus. Cum verò dicitur, quod cognoscens natum est habere etiam formam rei alterius, sermo est de modo habendi intentionaliter quidditates vel formas aliarum rerum, ut patet: statim enim subdit: ***Quia species cogniti est in cognoscente.*** Est autem species cogniti intentionaliter in cognoscente. Habere autem formas sic, est habere illas tanquam proprias perfectiones, seu actus perfectivos ipsius naturæ, seu potentiæ cognoscitivæ per se, & in ordine ad operationem ipsi cognoscenti propriam secundùm speciem suam; v.g. cum species coloris est actu in oculo facit videre tanquam principium formale, & actus perficiens potentiam in ordine ad propriam & specificam operationem, nimirum visionem.

Ex q. 2. de verit. art. 2.

1. contra gent. c. 47. rat. 4.

visionem. Visio enim est proprius actus cognoscentis, seu videntis, in quantum cognoscens seu videns est.

38. Vnde ad 1. nimirum quòd non cognoscens præter formam suam quam naturaliter habet, etiam alias habet, dist. habet alias tanquam perfectiones specificas, seu propriarum operationum principia, nego: secundum rationem informandi, & ut principia operationum extranearum à forma, seu natura propriæ speciei, concedo. Et in hoc à cognoscentibus distinguuntur, quia cognoscentia habent tales formas ut proprias perfectiones specificas, & principia formalia propriarum & specificarum operationum; v. g. aqua recipit quidem calorem, sed secundùm naturam suam calore non perficitur, quin potiùs alteratur & corrumpitur, nec calor est principium formale propriæ operationis specificæ ipsius aquæ: sed, cùm intellectus recipit speciem seu formam intelligibilem caloris, per eam fit actu, & per eam perficitur in ordine ad propriam operationem, scilicet intelligere: & quò perfectius recipit intentionaliter, eò sit in intelligendo perfectior.

39. Ad illud quod de aëre subditur, resp. dist. aër intentionaliter recipit colores, tanquam perfectiones naturales & specificas, seu ut principia propriarum operationum, & actuum, nego: tanquam medium deferens species coloris ad oculum, ut perficiatur ad videndum, concedo: nam propria operatio aëris non est videre ad quod deservit color lucidus, sed humectare, &c. ad quod receptus color nihil deservit. Nisi dicamus, quòd ad genus cognoscibilium

scibilium reducitur quodammodo, prout recipiens intentionaliter colores, quia est medium deferens speciem ejus ad oculum, quò perveniente, & informante ipsum, pròducitur visio.

Igitur cognoscens cum non cognoscente equidem convenit in hoc, quòd utrumque habet suam quidditatem, seu formam naturaliter: naturaliter enim homo habet humanitatem, & quaslibet alias perfectiones ipsam naturaliter consequentes, sicut risibilitatem, &c. Sed in ratione majoris & minoris perfectionis per id distinguuntur, quòd cognoscens est perfectius & magis in actu aliarum rerum, in quantùm suscipit intentionaliter illas, tanquam proprias actualitates, per quas est in actu specifico propriæ naturæ, & speciei, & supplet defectum, quem habebat cognoscens, in potentia existens ad alias perfectiones. Et quò majorem virtutis amplitudinem habuerit cognoscens ad suscipiendas alias formas ceu perfectiones & actus, eò erit perfectius. Vnde cognoscens sensitiuum est in infimo perfectionis gradu inter cognoscentia, quia nec recipit omnes formas, nec secundùm totalitatem formæ; bene verò intellectiuum, quia secundùm Aristotelem anima nata est quodammodo fieri omnia: ac subinde perfectius est, & quò magis fuerit in actu formarum, eò perfectius erit, ut in Deo contingit, qui per essentiam suam, tanquam formam intelligibilem est in actu omnium rerum, eo modo quo intellectus est in actu per speciem intelligibilem. 40.

Arg. 5. contra id quod deducit S. Doct. nimirum quòd immaterialitas sit ratio cur aliquid sit cognoscitiuum: nam sensus sunt cognoscitivi: 41.

gnoscitivi : & tamen non sunt immateriales, sed materiales & affixi organo corporeo. Multa etiam sunt immaterialia, nec tamen cognoscitiva, aut ratio cognoscendi, sicut charitas, & aliæ qualitates spirituales.

42. Resp. ex S. Doct. quod licet sensus entitativè sit virtus affixa organo corporeo, tamen est mobilis per se intentionaliter ab objecto sensibili, quod est actu motiuum ejus proportionatum, & à quo factus in actu sensationem producit. Vnde sensus vocatur deficiens ipsius intellectus participatio. Quia intellectus per se habet efficere intelligibilia in actu, si illa in actu non sint in linea intelligibilitatis, ut accidit in rebus materialibus ; at verò sensus non est præditus aliquâ virtute activa per quam faciat sensibilia in actu, sed ea actu sunt, & efficiunt seu reddunt ipsum actu sentientem. Quemadmodum enim non implicat ut quidditas rei corporeæ fiat actu intelligibilis, & suscipiens immaterialitatis modum, ita non repugnat ut sensus, qui entitativè est virtus affixa organo corporeo, species sensibilium modo intentionali suscipiat, & ab eis efficiatur in actu cognoscendi.

q. 2. de verit. a. 2. c. & 1. p. q. 79. art. 3.

Vide q. de spirit. creat. a. 2. c.

43. Ad illud quod additur, nimirum multa esse immaterialia, quæ non sunt cognoscitiva, resp. quod cum in genere subsistentium, nihil sit immateriale, quòd non sit operatiuum, nihil est immateriale, quod non sit cognoscitiuum. Cum enim agere secundum suam rationem communem nonnisi supposito conveniat, quia sequitur ad esse actu seu existere: oportet quod hoc agens, quod est cognoscitiuum sit per se subsistens. Et de hac immaterialitate

1. dist. 35. q. 1. art. 1. c.

rialitate intelligit D. Thom. quod sit ratio cognoscendi seu operandi in genere cognoscitivo, ut patet ex eodem dicente: *Oportet formas esse intelligentes si sint subsistentes, sic enim solum possunt esse operantes.* Ea propter dist. multa sunt immaterialia, & non cognoscitiva, si sint per se subsistentia, nego: non per se subsistentia, concedo. Dico tamen quod hujusmodi, licet non cognoscant, sunt tamen cognoscentium perfectiones propriæ, in eo quod cognoscentia sunt. Et hoc pacto gratia, charitas, & aliæ qualitates ad genus intelligentium pertinent.

Lib. 1. cōt. gēt. cap. 44. num. 7.

Vide supra q. 8. art. 3.

Sed instabis, quia voluntas est immaterialis virtus animæ, quæ est per se subsistens: sed tamen non est cognoscitiva: ergo nec omnis immaterialis forma, vel virtus per se subsistens est cognoscitiva. 44.

Resp. dist. min. voluntas non est virtus cognoscitiva, ut eliciens cognitionem, concedo: ut operans cum cognitione, seu per cognitionem, nego. Est enim voluntas essentialiter rationalis. Verumtamen quia bonum, quod est objectum ipsius, secundùm rationem, seu formaliter est posterius vero, quod est objectum intellectus, voluntas ipsi intellectui in cognoscendo subordinatur, qui est virtus eliciens cognitionem, per quam voluntas habet operari. Vnde voluntas à S. Doct. nonnunquam vocatur rationalis participativè, quia in operando ab intellectu dirigitur. Eo igitur modo, quo voluntas ad immaterialitatem dicit habitudinem, habet etiam rationem potentiæ cognoscitivæ, nimirum mediante intellectu, secundum habitudinem ad suum objectum formale, 45.

3. dist. 23. quæst. 1. a. 3. dist. 27. q. 2. a. 3 quæstiunc. 1. ad 1.

formale, ut mediante apprehensione est formaliter motiuum ipsius, & reddens actu volentem: & secundùm modum operandi.

CAPVT V.

Solvitur alia instantia, & ostenditur quomodo immaterialitas sit radix cognoscendi.

46. ARg. 6. ad idem, immaterialitas, quæ ponitur ratio cognoscendi, vel est aliquid positiuum, vel negatiuum? neutrum dici potest: ergo non est ratio cognoscendi, vel cognoscibilitatis. Prob. min. imprimis nequit esse ratio cognoscendi ut aliquid positiuum; quia si ipsa esset quid positiuum, vel esset quid prius ipsa intellectualitate, ceu quid genericum & superius, vel tanquam ratio differentialis & constitutiva? Sed neutrum horum: ergo non est ratio cognoscendi, ut aliquid positiuum. Min. prob. nam si se habeat ut quid genericum, ex ea non rectè infertur intellectuale seu intellectiuum esse, quia à superiori ad inferius affirmativè consequentia non tenet; v.g. non valet, est vivens: ergo est rationale. Si autem dicatur se habere tanquam rationem differentialem, & constitutivam; sequetur, quòd intellectualitas non sit forma constitutiva intellectualis naturæ, sed passio ejus ad rationem immaterialitatis consequens. Deinde non est aliquid negatiuum: Tum quia ens positiuum negatione non constituitur: Tum etiam quia Deus, & Angelus carent omnino materia

materia simpliciter: & tamen non sunt æquè intellectuales & cognoscitivi: ergo negatio materiæ non est ratio & causa intellectualitatis, seu cognoscibilitatis.

Conf. essentia est id quod est prius in re: 47.
sed intellectualitas seu intelligere est ipsa Dei essentia, ut supra reliquimus probatum: ergo non habet aliquam rationem in Deo seipsâ priorem: ergo immaterialitas non est causa intellectualitatis in Deo.

Pro majori intelligentia notandum est ex 48.
S. Doct. quod dupliciter aliquid ad rationem In 1.dist.
alterius consequi intelligitur: primò ut ad ali- 2. q. 1.
quam positivam rationem, vel causam; quem- art. 3. c.
admodum visibile consequitur in homine ad esse animal rationale; ratio enim cur homo est visibilis, est, quia est rationalis. Secundò tanquam ad aliquid negativum, seu negationem, sicut indivisionem consequitur in ente ratio unius, non quidem sicut ad aliquid positiuum enti superadditum, sed sicut ad negationem. Dicitur enim unum indivisum, quia in se divisione caret in eo quod unum est.

Notandum est 2. quod sicut rei subsistenti 49.
per se, dum est in actu seu actus perfectus, Opusc.
competit agere: ita & formæ seu quidditati rei 14.
esse principium formale quo agendi, assimilatiuum agentis cum termino producto, vel effectu. Vnde principium quo assimilans verbum productum intelligenti est species seu quidditas rei, quæ quatenus efficit cognoscens in actu, per hoc reddit actu intelligens, & procedit verbum in exercitio simile intelligenti, prout per illam formam agit. Itaque exercere intellectionem, seu agere intellectualiter est ipsius

ipsius entis per se subsistentis, actiones enim sunt suppositorum: sed quòd actio illa sit secundùm speciem determinata, est per formam seu speciem intelligibilem, tanquam principium formale continens objectum, & in virtute illius agens.

50. Dicendum est itaque immaterialitatem quæ ponitur causa & radix intellectualitatis, seu intelligendi, ac intelligibilitatis, non dicere ex parte rei aliquid positiuum superadditum naturæ intelligenti, seu intelligibili, sed negationem duntaxat, & remotionem materialitatis: Ac subinde esse intellectiuum realiter est ipsummet esse per se simpliciter & in sua puritate: esse verò intelligibile est ratio formæ seu naturæ secundum se, & ut est ratio rei, & actus formalis ipsius, seu lux. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. c. ubi ait: *Quæ Deo attribuuntur, verificantur dupliciter, vel per modum negationis, vel per modum causalitatis. Per modum negationis dupliciter, vel ad removendum privationem seu defectum oppositum: vel secundùm quod aliquid ex negatione consequitur, sicut est de hoc nomine unus, qui ex hoc ipso quod non est divisus, est unus. Similiter ex hoc ipso quod est immaterialis, est intelligens.* Et dist. 35. q. 1. art. 1. c. *Dicendum*, inquit, *quod secundùm Dionysium in lib. de divin. nom. tribus viis ex creaturis in Deum devenimus, scilicet per remotionem, per causalitatem, per eminentiam, quarum quælibet nos in Dei scientiam inducit. Prima igitur via, quæ est per remotionem, est hæc; cum à Deo omnis potentia, & materialitas removeatur, eò quòd ipse est actus primus & purus, oportet essentiam ejus esse*

denudatam

denudatam à materia & esse formam tantùm. Sicut autem particulationis principium est materia, ita formæ debetur intelligibilitas. Unde forma principium cognitionis est. Unde oportet quod omnis forma per se subsistens separata à materia sit intellectualis naturæ. Et siquidem sit per se subsistens, & intelligens: si autem non sit per se subsistens, sed quasi perfectio alicujus subsistentis non erit intellectus, sed principium intelligendi, quemadmodum omnis forma non in se subsistens non operatur, sed est operationis principium, ut caliditas in igne. Et opusc. 70. q. 1. art. 2. ad 4. *Intelligibile*, ait, *videtur magis dici per remotionem quam per positionem. Ex hoc enim unumquodque est intelligibile, quod est à materia immune & separatum.*

Prob. breviter eodem modo sequitur esse intellectiuum, seu esse intelligens ad esse immateriale, sicut ad esse illimitatum: sed esse illimitatum non addit supra ens per se, seu esse simpliciter, aliquid positiuum reale, sed negationem duntaxat contractionis formæ ad materiam & potentialitatem: ergo similiter esse immateriale non est aliquis modus realis positiuus præter esse per se, ac simpliciter in sua puritate consideratum. Maj. prob. ideo non cognoscens non est natum habere formam rei alterius, quia natura ejus est magis coarctata & limitata in actualitate essendi & virtute: ergo è contra cognoscens per id natum est habere formas aliorum, quia natura ejus est magis illimitata, seu majorem actualitatis & virtutis amplitudinem sortitur: sed non cognoscens est coarctatum hoc modo per immersionem in materia: quia forma in sua actuali- 51. 1. p. q. 7. a. 1 & hic art. 1.

tate & virtute per materiæ grossitiem fit torpescens, & minùs perfectè actus: igitur non est aliquid illimitatum nisi per remotionem à materia: ergo per hoc aliquid habet esse immateriale, per quod habet esse illimitatum, seu amplitudinem essendi. Hinc fit quod Deus est in summo intellectualitas gradu constitutus, & essentia ipsius est ratio perfectissima intelligendi, quia ejus esse est esse purissimum, seu in sua puritate consistens, & non receptum in aliquo, per cujus commercium impuritatem aliquam contrahere possit. Sub Deo statuuntur Angeli, qui cùm aliquam potentialitatem ex ordine ad nihilum, ex quo prodierunt, contrahant, necessum est ut illorum esse sit actus in sua puritate simpliciter, unde & minùs intellectivi, seu intelligentes sunt: & his minùs homines, quorum forma est corporis actus: in ultimo autem gradu cognoscendi sensitiva locata subsistunt. In Deo est ut lux purissima, in Angelis est lux cadens, in homine obumbrata, quia ratio nascitur in umbra intelligentiæ: in sensitivis est immersa: in non cognoscentibus est tenebra. Videnda quæ diximus *tomo 5. clypei Philosop. q. 14. art. 1.*

52. Nec tamen inde velim inferatur, quod intelligens, seu intelligibile non dicantur de Deo ut perfectiones quædam positivæ in eo existentes, hoc enim nullatenus in mentem venit: sed tantummodo dico, quod esse intelligens & intelligibile, esto sint positivæ perfectiones, non tamen consequuntur physicè immaterialitatem entis sicut rationem aliquam positivam enti superadditam, sed sunt ipsum ens in sua puritate consistens, & ut per se, seu

quasi

quasi in statu solitudinis & naturæ secundum se, & ut per se subsistens est, remotaque à materia; sicut esse unum simpliciter in Deo est maxima perfectio, attamen non sequitur ad indivisionem essentiæ, seu esse divini sicut ad aliquam rationem positivam, sed prout dicit negationem divisionis omnimodam. Ex quibus colligitur primò, quòd esse naturale & esse intellectiuum, intelligere, aut esse intelligibile in Deo unum & idem sunt, quia ipse est ens seu potius ipsum esse in omnimoda sua puritate consistens, in qualibet autem creatura aliquatenus distinguuntur. 1. cont. gentes cap. 47. rat. 4.

53. Colligitur secundò, quod hujusmodi demonstratio, qua ex summa immaterialitate divini esse probatur ipsum esse perfectè cognoscentem, seu scientem, solùm est demonstratio quia; ut sumitur ex D. Thom. lib. 3. cont. gent. cap. 39. ubi ait: *Rursus est quædam alia Dei cognitio altior quam præmissa* (nimirum quâ communiter cognoscitur Deus ab hominibus) *per quam magis ad propriam ipsius cognitionem acceditur: cum per demonstrationem removeantur ab eo multa; per quorum remotionem ab aliis discretus intelligitur. Ostendit enim demonstratio Deum esse immobilem, æternum, incorporeum, omnino simplicem, unum, & alia hujusmodi. Ad propriam autem alicujus rei cognitionem pervenitur, non solùm per affirmationes, sed etiam per negationes; sicut enim proprium hominis est esse animal rationale, ita proprium ejus est non esse inanimatum, neque irrationale. Sed hoc interest inter utrumque cognitionis propriæ modum, quòd per affirmationes propria cognitione de re habita scitur quid est res, & quomodo ab aliis separatur: per*

negationes autem habita propriâ cognitione de re sciтur quod est ab aliis discreta : tamen quid sit remanet ignotum : tales autem est propria cognitio, 1. perih. lect. 1. *quæ de Deo habetur per demonstrationes.* Similiter est à posteriori, tum quia omni negatione prior est affirmatio : sicut prius est esse rationale, quam non irrationale : tum quia proceditur à creaturis ad Deum, per viam remotionis, removendo scilicet ab eo imperfectionem & limitationem formæ, & esse, quæ in non cognoscentibus reperitur, & attribuendo ipsi perfectionem, quæ est intelligentium propria, seclusis imperfectionibus.

54. Ex dictis supra. Resp. itaque ad arg. quod immaterialitas, quæ ponitur ratio cognoscendi, secundùm suam rationem non explicat aliquid positiuum, sed magis dicitur per remotionem: unde per immaterialitatem distinguuntur cognoscentia à non cognoscentibus, non tanquam per aliquam differentiam, per quam positivè constituantur, sed tanquam per differentiam distinguentem, utrumque enim conceptum habet differentia : primus est positiuus, secundus negatiuus, unum enim distingui ab alio est unum esse aliud; sicut non esse inanimatum, vel non irrationale, non est differentia constitutiva hominis, sed distinctiva, non enim constituitur homo per hoc, quòd non sit inanimatus, vel non irrationalis, sed rationalitate, tamen per hæc à brutis & inanimatis distinguitur. Vnde concedimus quod per immaterialitatem non constituuntur cognoscentia, sed per proprias formas, tamen per eam distinguuntur. Quapropter immaterialitas in Deo solùm explicat quid non sit, sed

non

non quid sit, vel aliquam positivam perfectionem: bene verò intellectualitas, quæ est ratio entis per se subsistentis in sua puritate omnimoda accepti. Vnde intellectualitate in Deo nihil est prius per modum formæ seu naturæ speciei, nec etiam secundùm rationem relatam ad rem, esto concipiatur aliquid secundùm rationem relatam ad nostrum modum concipiendi, non tamen per modum formæ, & naturæ speciei. Cum igitur instatur, quod essentia est id quod primò concipitur in re, dicendum est hoc intelligi, cognitione perfectâ, distinctâ, & dicente quid sit res, & non quid non sit, aut an sit: unde esto ponamus quod immaterialitas ponatur ut ratio cognoscendi intellectualitatem, nec tamen dicit quid sit, sed quid non sit, unde non est prædicatum constitutiuum. Per quod ad conf. patet. Videnda sunt quæ diximus supra quæst. 2. art. 3. cap. 7.

CAPVT VI.

Solvitur ultima instantia contra rationem à D. Thoma allatam, & ostenditur repugnare substantiam immaterialem per se subsistentem, quæ essentialiter non sit intellectiva.

ARg. ultimò, si immaterialitas formæ per se subsistentis esset causa seu ratio intellectualitatis, seu intelligendi, implicaret substantia spiritualis, seu immaterialis non intel- 55.

lectiva, ſicut implicat hominem conſtare animâ rationali, & non eſſe rationalem : ſed non implicat ſubſtantiâ immaterialis, quæ intellectiva non ſit : ergo immaterialitas formæ per ſe ſubſiſtentis non eſt ratio per ſe cur ipſa ſit intellectiva. Prob. min. Tum quia non poteſt ſufficiens hujus implicantiæ reddi ratio : Tum quia poteſt intelligi ſubſtantia ſpiritualis abſque ulla connexione cum vi radicali intelligendi : cum ratio ſubſtantiæ ſpiritualis ſit per ſe ſubſiſtere, & independenter à corpore eſſe, cum qua non convertitur eſſentialiter intellectiuum.

56. Conf. non repugnat ſubſtantia corporea non operativa, ut patet in materia prima : immo non repugnat ſubſtantia completa corporea, quæ non ſit operativa operatione corporea : ergo non repugnat ſubſtantia ſpiritualis non operativa operatione ſpirituali, cujuſmodi eſt intelligere & velle : ergo non repugnat ſubſtantia ſpiritualis non intellectiva. Prima conſeq. patet à paritate rationis. Antecedens autem prob. nam de facto cælum Emphyreum operatiuum non eſt, ut docet D. Thom.

In 2 diſt. 2 q. 2 art. 3.

57. Omiſſis variis authorum ſolutionibus, quas latè proſequitur Illuſtriſſ. D. Godoy hîc diſp. 22. à num. 179. uſque ad 198. Reſpond. neg. min. ad cujus primam prob. dicimus rationem implicantiæ, juxta doctrinam S. Doct. hanc eſſe, quòd ſubſtantia ſpiritualis phyſicè & ſecundùm ſuum eſſe, in ſupremo entium ordine & gradu conſtituta eſt : ergo debet eſſe per ſe ſubſiſtens, & actus perfectus ſimpliciter: quia in tantum aliquid eſt perfectum ens, & attingens ſupremum entium gradum, in quantum

q. 2. de verit. a. 2. cap. & hic a. 1. c.

quantum est actu, seu habet esse simpliciter: sed ut sit aliquid perfectum simpliciter, & attingens ad supremum entis gradum, non sufficit proprium esse specificum, ut excludens aliarum rerum perfectiones, & gradus entis, quia se habet ex additione ad illos: ergo debet illos habere saltim in virtute, & eos complecti; sicut numerus major est perfectior, se habens ex additione ad minorem, quem in se necessariò complectitur: sed nequit habere illos secundum modum limitatum essendi, & naturaliter determinatum, quem habent in inferioribus: ergo debet aptum natum esse habere illas perfectiones naturarum specificas; & suscipere intentionaliter sicut actus perfectos, per quos sit actu omnia illa, vel sit actu non solum absolutè, sed cum quadam habitudine ad hujusmodi intelligibilia: sed hoc est esse cognoscens, seu intellectiuum: ergo repugnat substantia spiritualis per se subsistens, quæ non sit intellectiva.

Conf. quia implicat substantia spiritualis 58.
per se subsistens, quæ non sit melior quam Ex dictis
corporea: ergo debet esse vivens seu habere supra n.
vitam: sed vivere est quædam operatio: ergo 13. & 14.
in substantia spirituali erit operatio spiritualis: sed operatio spiritualis non est alia quam intelligere & velle: & implicat esse volentem nisi q. 19. a. 1.
sit intelligens, ut infra dicetur: ergo necessum est, quod spiritualis substantia, quæ est per se subsistens, & ut actus perfectus, sit intellectiva, & operativa spiritualiter. Tandem esse operatiuum est potissima naturæ perfectio, cum operatio sit ut complementum omnis actualitatis: quapropter & natura divina est maxi-

mè operans, & diffusiva sui: ergo implicat ut sit perfecta simpliciter, & in supremo gradu entis constituta, & quòd non sit operativa proprio modo spirituali, & distincto à modo operandi rei corporeæ, quod est intelligere, aut velle.

59. Ex his ad primam prob. patet. Ad 2. dicimus, quod ratio substantiæ spiritualis est per se subsistere, ad quod necessariò sequitur esse operatiuum modo spirituali & vitali: & subinde intelligere & velle.

60. Ad 3. resp. quod esto admitteremus posse dari substantiam materialem, & corpoream non operativam, nec tamen cogeremur concedere substantiam spiritualem per se subsistentem non operativam; dispar enim est ratio. Quia substantia materialis est in ultimo gradu entis, habens minimum de actualitate, & subinde de esse operativo secundùm seipsam. Cujus contrarium evenit in substantia spirituali, quæ est omnino à materia immunis & absoluta: ac subinde ei competit quòd sit actus perfectus per se subsistens, & perfectè operatiuus. *Quantò enim aliqua forma est perfectior*, inquit S. Doct. *tantò magis superegreditur materiam corporalem* (ac subinde est magis in actu, debeturque ei operari magis perfectè.) *Vnde forma elementi non habet aliquam operationem, nisi quæ fit per qualitates activas & passivas, quæ sunt dispositiones materiæ corporalis: forma autem mineralis habet aliquam operationem excedentem qualitates activas & passivas, quæ consequitur speciem ex influentia corporis cœlestis; ut quòd magnes attrahit ferrum: & quòd sapphyrus curat apostema. Vlteriùs autem anima vegetabilis habet operationem,*

q. unica, de spirit. creat. a. 2. c.

rationem, cui quidem deserviunt qualitates activæ & passivæ organicæ; sed tamen supra posse hujusmodi qualitatum, ipsa effectum proprium sortitur in nutriendo & augendo usque ad determinatum terminum, & alia hujusmodi. Anima autem sensitiva ulteriùs habet operationem, ad quam nullo modo se extendunt qualitates activæ & passivæ, nisi quatenus exiguntur ad compositionem organi, per quod talis operatio exercetur, ut videre, audire, appetere, & hujusmodi. Perfectissima autem formarum, id est, anima humana, quæ est finis omnium formarum naturalium, habet operationem omnino excedentem materiam, quæ non fit per organum corporale, scilicet intelligere. Et quia esse rei proportionatur ejus operationi, cum unumquodque operetur secundùm quod est ens, oportet quod esse animæ humanæ superexcedat materiam, & non sit totaliter comprehensum ab ipsa, sed tamen aliquo modo attingatur ab ea. Esse ergo operatiuum convenit arti inquantum perfectum est. Et cum repugnet dari substantiam spiritualem per se subsistentem quæ non sit perfecta, & attingens ultimum gradum entis in actualitate essendi, & perfectione, idcirco repugnat eam esse operativam, non verò materialem, quæ operativa non sit.

Sed omissâ hac solutione respondetur 1. negando posse dari substantiam completam physicè, esto materialis sit, quæ non sit operativa, saltim radicaliter, & remotè: sicut implicat eam esse corpoream & non dicere ordinem ad accidentia corporea, quæ ut passiones consequuntur eam, ex parte quidem materiæ quantitas, ex parte autem formæ qualitas. Tum quia debet esse realiter in aliqua specie corpo- 61.

ris

ris naturalis actu determinata, & habens formam naturalem, quæ est principium radicale actiuum motus naturalis: ergo est realiter operativa. Tum quia est ordinata ad finem, & dicit aliquam habitudinem intrinsecam ad ipsum, tanquam proprium bonum: sed implicat per se ordinari ad finem, nisi secundùm aliquam rationem motus & operationis circa finem: ergo necesse est quamlibet substantiam naturalem completam esse radicaliter operativam. Tandem quia omnis forma debet esse participatio primi actus, qui est per essentiam operans; sed non potest ipsum participare nisi conveniat aliquo modo cum ratione ejus: ergo debet esse quodammodo operativa.

62. Ad prob. de cœlo Emphyreo ex D. Thom. authoritate desumptam, quidam respondent ipsum mutasse sententiam, quam *in secundo* tradiderat, quod probari potest ex quodlibet 6. art. 19. ubi ita scribit: *Dicendum, quod quidam ponunt cœlum Empyreum non habere influentiam in aliqua corpora, quia non est institutum ad effectus naturales, sed ad hoc ut sit locus beatorum, & hoc quidem mihi aliquando visum est: sed diligentiùs consideranti magis videtur dicendum, quod influat in corpora inferiora, quia totum universum est unum unitate ordinis, ut patet per Philosophum 12. Metaphys. (tex. 52.) Hæc autem unitas ordinis attenditur secundùm quod ordine quodam reguntur corporalia per spiritualia, & inferiora corpora per superiora, ut Augustinus dicit in 3. de Trinit. Vnde si cœlum Empyreum non influeret in corpora inferiora, cœlum Empyreum non contineretur sub unitate universi, quod est inconveniens. Videtur autem proprius ejus effectus*

Scil. 2. sent. dist. 24. q. 2. art. 3.

ctus esse perpetuitas, & permansio in inferioribus corporibus.

Sed breviter respond. aliud esse, quòd non sit operatiuum, aliud est quod non sit operatiuum absque motu & transmutatione. Dico ergo quod est operatiuum, attamen inquantum attingit ad substantias spirituales est operatiuum absque motu, & per quietem positivam, quæ quidem non est operatio simpliciter per modum actionis, sed adinstar actus perfecti: *Hoc autem est proprium huic corpori*, nimirum cœlo Empyreo, *quod influat absque motu, in quantùm est supremum, attingens quodammodo ordinem substantiarum spiritualium, prout Dionysius dicit 2. cap. de divin. nom. quòd divina sapientia conjungit principia secundorum finibus primorum.* 63.

Quodlib.6.cit. art. 19.

CAPVT VII.

Quatenus, & respectu quorum objectorum constituenda sit in Deo ratio scientiæ propriè dictæ, sapientiæ, atque intelligentiæ.

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur conclusio, & probatur authoritatibus D. Thomæ.

CVm sint tres virtutes intellectuales in nobis, quibus intellectus in cognitio ne veri, quod est bonum ejus, perficitur, nimirum intellectus principiorum seu intelligentia, sapientia, 64.

1.2.q.57. a.2. Hic art.1. ad 2.

ſapientia, & ſcientia, non dubium quin in Deo perfectiſſimè reperiantur, cùm in ſui conceptu nullam prorſus imperfectionem involvant, ſed ſint intellectualis naturæ potiſſimæ perfectiones. De ſapientia, & ſcientia teſtatur Apoſtolus ad Rom. 11. c. dum exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* De intelligentia autem habetur Iob. 12. c. *Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo: & ipſe habet conſilium & intelligentiam.* Quatenus verò, & reſpectu quorum objectorum ſub his rationibus Deo tribuendæ ſint, explicatu haud facile eſt. Quapropter Theologi non uno modo rem explicant.

65. Durandus *in 1. diſt. 35. q. 4. n. 6.* aſſerit, quod eſto eſſentia divina ſit primum objectum ab intellectu divino cognitum, & ratio cognoſcendi omnia alia, tamen cognitio Dei, ut fertur in eſſentiam ſuam ſecundùm ſe, vel ſecundùm ea quæ ſibi attribuuntur, non ſortitur rationem ſcientiæ, ſed ſimplicis intelligentiæ, vel cognitionis principiorum: quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere; Deus autem non cognoſcit ſe, vel ea quæ ſibi attribuuntur, per cauſam: & ideo talis cognitio non eſt ſcientifica. Sed cognitio aliarum rerum ſecundùm ea quæ ipſis attribuuntur, poteſt in Deo dici ſcientia: quia talia ab ipſo cognoſcuntur per eſſentiam divinam, ut eſt cauſa omnium rerum, & omnium proprietatum, quæ illis attribuuntur. Idem docet Ferrara *lib. 1. cont. gent. c. 25.* Nazarius *hic contr. 2. concluſ. 1.* & noviſſimè Ildefonſus Michaël *ibid. dub. 3.* Veruntamen ex Thomiſtis plurimi in Deo rationem ſcientiæ propriè

propriè dictæ, respectu attributorum etiam ipsius, communiter constituunt, & non tantùm respectu creaturarum. Ipsos sequitur, & citat Illustriss. Godoy *hîc tract.* 3. *disp.* 23. Quomodo autem Deo competat ratio sapientiæ & intelligentiæ diminutè satis, ut in plurimum à Theologis recentioribus explicatur.

Supponendum est ex D. Thom. quod cum 66.
istæ tres virtutes intellectuales dentur ad per- 1. 2. q. 57.
ficiendum intellectum in cognitione veri, art 2.
quod est proprium ipsius bonum: intellectus principiorum perficit intellectum in cognitione veri per se noti, & quod statim percipitur. Scientia verò perficit ipsum in cognitione veri, quod est per aliud notum, & non statim percipitur, sed per inquisitionem rationis. Vnde scientia dependet ab intellectu principiorum, subindeque respicit etiam ipsa principia non quidem absolutè, sed ut deducta in conclusiones, de quibus certitudinem accipit per resolutionem ad ipsa. Sapientia verò intellectum perficit in cognitione altissimarum causarum, quæ sunt principia essendi omnibus: ac subinde ei competit de omnibus judicare, atque ordinare: quia judicium perfectum & universale haberi nequit, nisi per resolutionem ad primas, & altissimas causas. Idcirco tam intellectus principiorum, quam scientia dependent sicut à principalissimo ab ipsa sapientia, quæ, & de ipsis scientiarum conclusionibus, & de principiis earumdem habet judicare. Vnde sapientia cum omnibus scientiis convenit equidem, in quantum hoc sortitur quod est omnibus scientiis commune, ut scilicet ex principiis conclusiones demonstret:

monstret: sed tamen aliquid proprium supra omnes alias scientias habet, in quantum de omnibus judicat, tam principiis, quam conclusionibus, quapropter rationem perfectioris virtutis sortitur.

67. 2. 2. q. 8. art. 1. c. Supponendum est 2. quod nomen intellectus quandam intimam cognitionem importat, dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Tunc autem intimè cognoscitur res, cum ejus essentia cognoscitur, seu quod quid est ipsius; unde intellectus principiorum ex eo dicitur, quod per cognitionem terminorum ad intima rei penetret: & sit ratio demonstrandi accidentia propria de subjecto. In quantum ergo sapientia quædam communia notificat, ut sunt ens, & quæ conveniunt enti, inquantum ens, dicitur de principiis judicare. Sicut igitur certitudo conclusionum, quæ dicunt rem esse vel non esse, accipitur per resolutionem in principia, quibus probatur rem esse vel non esse: ita & certitudo seu evidentia principiorum accipitur ex notificatione terminorum; v. g. scito quid sit totum, & quid pars, statim intellectus certitudinaliter cognoscit, omne totum esse majus sua parte. Vnde cognitio quod quid est rei, est radix omnis intelligentiæ, & scientiæ: intelligentiæ quidem proxima & immediata; sed scientiæ mediantibus principiis, quæ cum sint complexa dicunt rem esse, vel non esse, & sunt probativa conclusionum secundùm esse veri, quod in compositione, & attributione unius ad alterum consistit.

68. Hic art. 1. ad 2. Supponendum est 3. quòd, cùm ea, quæ sunt divisim & multipliciter in creaturis, & cum aliqua imperfectione, in Deo sint simpliciter,

&

& unitè, & absque ulla prorsus imperfectionis umbra, aut caligine: esto homo secundum diversa cognita, habeat diversas virtutes intellectuales, nam secundùm quod cognoscit principia habet intelligentiam; prout cognoscit conclusiones, scientiam: & secundum quod cognoscit causas altissimas, sapientiam; consilium vel prudentiam, quatenus agibilia cognoscit: Hæc tamen omnia Deus unâ & simplici cognitione cognoscit. Vnde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest; ita tamen quod ab unoquoque eorum, secundùm quod in divinam prædicationem venit, secludatur quidquid reperitur imperfectionis, & retineatur quidquid perfectionis est. In scientia autem, prout in nobis reperitur; imperfectionis est, quod sit habitus, qualitas quædam, & cum discursu, unde omnia ista à divina cognitione semovenda. In intelligentia reperitur quod sit complexa quædam cognitio, seu divisio & compositio, unde cognitioni Dei non debet sic attribui, qui omnia uno simplici intuitu cognoscit. In sapientia, prout quædam scientia est, reperitur quod sit implicata præfatis omnibus illis imperfectionibus: sed perfectionis est, quod sit cognitio altissimarum causarum, & quæ sunt primæ simpliciter. In scientia quòd sit cognitio rei certa, & evidens per suam causam: & tandem in intelligentia, quod intima rei penetret per cognitionem quidditatis ipsius, in qua fundatur: unde totum hoc retinendum est, cum in divinam venerint prædicationem, seu Deo attribuentur. His suppositis sit

Conclusio: in Deo respectu suorum attributorum 69.

1. cont. gent. c. 94. & locis infra citandis. torum non datur propriè ſcientia, ſed ſapientia: reſpectu verò creaturarum datur intelligentia, & ſcientia ſtrictè, ſeu propriè dicta; intelligentia quidem, ſecundùm quod cognoſcit quidditatem ſuam, & aliarum rerum; ſcientia verò prout cognoſcit ſuum eſſe, & aliarum rerum. Hæc concluſio quoad omnes ſuas partes eſt expreſſa D. Thom. Et imprimis eam docet in 1. diſt. 35. quæſt. 1. art. 1. ad 5. dicens: *Ea quæ dicuntur de Deo, ſemper intelligenda ſunt per eminentiam, ablato omni eo, quod imperfectionis eſſe poteſt. Vnde à ſcientia, ſecundùm quod in Deo eſt, oportet auferre diſcurſum rationis inquirentis, & retinere rectitudinem circa rem ſcitam, ſed quia ſcientia propriè complexorum eſt; intelligentia propriè eſt quidditatis rei: ideo Deus dicitur ſciens, inquantùm cognoſcit eſſe ſuum: & dicitur intelligens, inquantùm cognoſcit naturam ſuam: quæ tamen non eſt aliud, quam ſuum eſſe, nec magis ſimplex. Et ideo in Deo non eſt aliud intelligere quam ſcire, niſi ſecundùm rationem. Sapientia verò non ponit in numerum cum ſcientia & intellectu: quia omnis ſapientia ſcientia eſt; ſed non convertitur, quia illa ſcientia ſola ſapientia eſt, quæ cauſas altiſſimas conſiderat, per quas ordinantur & cognoſcuntur omnia ſequentia. Vnde propriè Deus dicitur ſapiens inquantùm ſeipſum cognoſcit, & intelligens, & ſciens ſecundùm quod ſe, & alia cognoſcit.*

70. Pro majori intelligentia nota ex eodem, 1 diſt. 38. q. 1. a 3. quòd, cum in re duo ſint, quidditas & eſſe ejus, his duobus reſpondet duplex operatio intellectus. Vna quæ dicitur à Philoſophis formatio, quâ apprehendit quidditates rerum, quæ etiam dicitur indiviſibilium intelligentia.

Alia

Alia autem comprehendit esse rei componendo affirmationem, quia etiam esse rei ex materia & forma compositæ, à qua cognitionem accipit, consistit in quadam compositione formæ ad materiam, vel accidentis ad subjectum. Similiter etiam in ipso Deo est considerare naturam ipsius, & esse ejus: & sicut natura sua est causa, & exemplar omnis naturæ, ita etiam esse suum est causa, & exemplar omnis esse. Vnde sicut cognoscendo essentiam suam cognoscit omnem rem, ita cognoscendo esse suum cognoscit esse cujuslibet rei, & sic cognoscit omnia enuntiabilia quibus esse significatur, non tamen diversa operatione, nec compositione, sed simpliciter, quia esse suum non est aliud ab essentia, nec est compositum consequens.

Præterea alibi, *Dicendum*, inquit, *quod divina cognitio, & sapientia dicitur, inquantùm seipsum Deus cognoscit, & scientia inquantùm res temporales intuetur: quamvis & ipsa sapientia etiam apud nos scientia quædam sit, communiter nomine scientiæ accepto, licet secundùm aliquam scientiæ acceptionem contra sapientiam distinguatur.* Denique explicans illud Apostoli ad Colos. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi:* ita scribit: *Deus habet omnium rerum notitiam: Sapientia enim est cognitio divinorum: scientia verò est creaturarum cognitio. Quidquid autem de Deo potest sciri pertinens ad sapientiam, totum Deus abundanter in se cognoscit. Item quidquid potest cognosci de creaturis, cognoscit in se supereminenter.* 71. 1. Sent. ad Annib. d. 35. q. 1. a. 1. ad 3. Ibid. lect. 1.

§. II.

Ratione probatur conclusio quoad omnes suas partes.

72. 1.Poster. lect 4.q. 2. de verit.art.1. PRima pars conclusionis, nimirum quòd in Deo respectu suorum attributorum non detur propriè & strictè scientia, prob. primò: De ratione scientiæ strictè dictæ est, quòd sit cognitio rei per suam causam propriam: sed Deo respectu suorum attributorum nequit attribui cognitio per causam etiam virtualem: ergo nequit Deo attribui scientia propriè dicta respectu suorum attributorum. Maj. patet, nam scire est rem per causam cognoscere. Minor verò quoad primam partem prob. primò: respectu cognitionis Dei seipsum sicuti est in se cognoscentis, essentia divina nullatenus potest habere rationem causæ etiam virtualis attributorum: ergo intellectus divinus cognoscens essentiam Dei sicuti est & etiam attributa, nullo modo cognoscit rem per causam, etiam virtualem, aliàs conciperet rem aliter quam est in se. Prob. antec. Implicat intelligi rationem causæ sine habitudine ad aliquid ab ea causatum, & effectum: sed implicat quòd Deus intelligat aliquid posse in se habere rationem causati & effecti, etiam virtualiter: igitur respectu cognitionis Dei, seipsum sicuti est in se cognoscentis, essentia divina nequit habere rationem causæ, etiam virtualis, respectu suorum attributorum. Maj. patet, quia causa, & causatum, seu effectus correlativa sunt, & dicunt

cunt habitudinem principij & principiati. Min. vero prob. impossibile est intelligi aliquid causatum, & effectum, quod non dependeat in suo esse à causa, & sit participativè ens, seu participans esse ab illa : hoc enim est causari, recipere esse actu : sed implicat Deum intelligere in se aliquid, quod possit habere dependentiam in suo esse ab alio, & quod sit participativè ens : ergo implicat, quòd Deus intelligendo se sicuti est, intelligat attributa sua posse, etiam virtualiter, habere rationem causati & effecti. Prob. min. implicat, ut aliquis intelligens rem sicuti est, intelligat aliquid posse illi convenire, quod sit contra naturam & propriam illius rationem, etiam virtualiter : sicut aliquis intelligens hominem quidditativè & sicuti est, impossibile est quod verè cognoscat illum posse esse irrationalem, etiam virtualiter, quia esse irrationalem est contra rationem essentialem ipsius hominis : sed Deum intelligere in se aliquid, quod in suo esse dependentiam habere possit, & esse participativè ens, est intelligere aliquid Deo convenire posse contra naturam, & rationem essentialem ipsius Dei : ergo impossibile est Deum concipientem, & cognoscentem se quidditativè, & sicuti est in se, posse intelligere aliquid, nimirum attributa, quod possit habere dependentiam in suo esse ab alio, & esse participativè ens, etiam virtualiter. Prob. min. Deus per essentiam est ens, à se omnino independens, omnino simplex, & actus purus : sed Deum intelligere in se aliquid, quod in suo esse dependentiam habere possit, etiam virtualiter, & esse ens participativè, est intrinsecè, & essen-

tialiter repugnans rationi essentiali entis per essentiam, à se & omnino independentis, omnino simplicis, & actus puri: ergo Deum intelligere in se aliquid, nimirum attributa, quod in suo esse dependentiam habere possit, & esse participativè ens, etiam virtualiter, est concipere aliquid convenire Deo, saltim virtualiter, quod est contra naturam & rationem essentialem ipsius. Maj. patet, nam, ut supra diximus, (Qu. 2. art. 3.) quidquid est in Deo essentialiter est Deus, & realiter idem est in Deo esse, quod fortem esse, justum, misericordem, &c. Minor etiam est manifesta: quia esse ens à se opponitur ei quod est esse ab alio, & esse per essentiam ens, & actum purum, ac omnino simplex, intrinsecè repugnat ei quod participat esse: nam omne participans esse realiter componitur ex esse, & id (Opusc. 69.) quod est; id quod est autem est ut potentia respectu ipsius esse, & realiter distinguitur ab illo.

73. Secundò prob. De ratione scientiæ strictè acceptæ est, quòd sit cognitio alicujus veri per aliud noti, & subinde quòd ex parte objecti sit magis cognoscibile, quam illud, quod scitur & sit notum per illud; (1. 2. q. 57. art. 2. q. 2. de verit. a. 2.) quia propter quod unumquodque tale, & illud magis: sed repugnat à Deo cognoscente se sicuti est, intelligi attributa sua vt minùs nota & cognoscibilia quam sit ipsa essentia: ergo implicat in divino intellectu esse scientiam strictè dictam suorum attributorum. Maj. patet, quia hæc est differentia inter scientiam & intelligentiam, seu habitum primorum principiorum, quia iste respicit verum ut per se notum; scientia verò ut per aliud notum. Minor autem prob. primò, quia quod est

est de quidditate, & ratione essentiali alicujus pertinet ad per se notum illius; dicitur enim propositio per se nota, cujus prædicatum est de ratione subjecti: sed quodlibet attributum in re est de ratione essentiali ipsius Dei, itaut si Deus definiretur quidditativè, & sicuti est in se, scientia, potentia, voluntas &c. ingrederentur illius definitionem essentialem: ergo attributa, ut attinguntur à Deo cognoscente se sicuti est, sunt verum per se notum, & ejusdem cognoscibilitatis cum essentia divina, etiam ex parte objecti cognoscibilis. Secundò prob. eadem min. quod est ejusdem immaterialitatis simpliciter, & ejusdem actualitatis essendi est ejusdem cognoscibilitatis ex parte objecti: sed attributa in se considerata, sunt essentialiter ejusdem immaterialitatis, & actualitatis essendi, cum sint essentialiter actus purus, & ipsummet esse Dei: ergo sunt ejusdem cognoscibilitatis ex parte objecti, & etiam ex parte cognoscentis, qui unico & simplicissimo intuitu omnia cognoscit, essentiam & attributa.

Supra q. 2. a. 1. opusc. 69.

74. Tertiò prob. evertendo præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum: si Deus de suis attributis scientiam strictè dictam haberet, maximè quia virtualiter ab essentia distinguuntur, & ita se habent respectu essentiæ, quod si essent realiter ab ea distincta, realiter ab ea causarentur, sicut passiones à suo subjecto: sed hæc ratio est nulla: ergo Deus de suis attributis non habet scientiam propriè dictam. Prob. min. primò: sic se habet finis in operabilibus sicut principia in speculativis, & electio mediorum sicut conclusio: quemadmodum enim ad notitiam principiorum sequitur conclusionum cognitio,

1 2. q. 8. a. 3. q. 12. art 4. 19. 7. q. 23. de verit. 1.

ita electio mediorum ad intentionem seu volitionem finis cum habitudine ad media : sed quod in Deo attributa virtualiter ab essentia distinguantur, non sufficit ut essentia terminet intentionem seu amorem Dei necessarium, attributa verò electionem, seu volitionem liberam & electivam : ergo virtualis attributorum ab essentia distinctio non sufficit ut essentia divina terminet intelligentiam, attributa verò scientiam propriè dictam, seu ut cognoscantur

Lib. 1. cont. gent. c. 74. rat. 5.

à Deo cognitione scientifica. Minor prob. ex D.Thom. dicente : *Principale objectum divinæ voluntatis est divina essentia : cum autem divina essentia sit Dei intelligere, & omnia alia quæ in ipso esse dicuntur, manifestum est quod eodem modo principaliter vult se intelligere, se velle, se esse unum, & quidquid est aliud hujusmodi :* Sed si Deus essentiam suam vellet per intentionem ut finem, & attributa per electionem ut media, non vellet eodem modo principaliter essentiam & alia quæ in Deo formaliter reperiuntur, ut per se manifestum est : ergo attributa divina non per electionem, sed per intentionem à Deo diliguntur. Secundò prob. Deus amat sua attributa amore necessario : sed electio semper fit per liberum arbitrium, & per hoc Deus liberum arbitrium habere dicitur, quia electionem habet : ergo bonitas attributorum nequit divinum velle terminare, prout habet rationem

Loc. cit. ex 1. cót. gent. cap. 88.

electionis : *Voluntas*, inquit, *est finis, electio autem eorum, quæ sunt ad finem : cum igitur Deus seipsum tanquam finem velit ; & non sicut quæ ad finem sunt, alia verò sicut quæ ad finem sunt, sequitur quod respectu sui habeat voluntatem tantùm ; respectu autem aliorum electionem : electio autem*

autem semper per liberum arbitrium fit, Deo igitur liberum arbitrium competit.

Conf. ideo ex D. Thoma à Deo attributa amantur eodem amore necessario, & qui est finis adæquati, quo amatur essentia, quia realiter sunt ipsa essentia, & subinde realiter habent idem esse & eandem bonitatem, quæ convenit rei in quantum est actu: sed non minus intelligibilitas realis objecti pensanda est in Deo penes essentiam ejus, ac divinum esse, quam bonitas: ergo si bonitas essentiæ & attributorum terminat realiter eundem amorem necessarium, quia est una essentia secundum rem cum attributis, non minùs intelligibilitas essentiæ Dei, quæ est realiter eadem: atqui attributorum unicam terminabit quidditativam & simplicem cognitionem Dei, quæ est intelligentia, vel sapientia, ut statim dicetur. Itaque ex D.Thom. esse intelligibile, & esse naturale in Deo realiter idem sunt, quemadmodum intelligere & esse: ergo quemadmodum est unum esse naturale, secundùm rem, essentiæ & attributorum, erit etiam secundùm rem idem esse intelligibile. 75. Loco cit.

Quidam ad hoc argumentum respondent neg min. Ad prob. negant conseq. Rationem discriminis assignare conantur, tum quia electio est de mediis non amatis propter se, sed propter finem; attributa verò divina, cum infinitæ sint bonitatis, sunt ipse ultimus finis: ac proinde sunt propter se, & non propter aliud, unde electionem terminare non possunt: ut autem cognitionem scientificam terminent, sufficit ea cognosci ratione essentiæ divinæ, cùm in hoc nulla repugnantia inveniatur. Tum 76.

quia de ratione electionis est libertas ; unde petit pro objecto aliquid non necessarium ad amati finis existentiam ; attributa autem necessaria sunt ad essentiæ existentiam : ac proinde à Deo suam essentiam necessariò amante, necessariò & non liberè amari petunt. Quapropter electionem, quæ suapte natura libera est, terminare nequeunt : Vt autem veritas aliqua demonstretur, non obstat necessaria cum principio connexio ; quinimmo exigitur necessariò, & absque illa non potest aliquid demonstrativè cognosci. Vnde quamvis Dei attributa necessariò cum essentia divina connectantur, per illam demonstrari queunt ; ac proinde scientificam cognitionem terminare.

77. Secundò respondet ipse Illustriss. Godoy attributa divina equidem non posse terminare electionem divinam puram, & adæquatè sumptam, bene verò electionem inadæquatè acceptam : unde licet illa non amentur à Deo amore, qui sit adæquatè electio ; amantur tamen amore, qui inadæquatè est electio, hoc est amore non sistente in illis, sed respiciente ulteriorem finem, non realem sed virtualem, & intellectio sic sumpta, inquit, comparatur ad intentionem finis, sicut cognitio scientifica ad intellectum principiorum, & cum intentione finis convertitur.

78. Sed neutra ex his solutionibus argumento plenè satisfacit. Non quidem prima : quemadmodum enim electio est de mediis amatis non propter se, sed propter finem, ita scientia est de notis non per se, sed per aliud, nimirum principia : sed sicut attributa divina sunt bona per se, & amata per se, utpote infinitam habentia bonitatem ;

bonitatem; ita attributa sunt per se intelligibilia, & infinitam habentia intelligibilitatem, cum essentialiter sint actus purus, & ipsemet Deus: ergo sicut repugnat electionem, quæ respicit aliquid amatum propter aliud, terminari ad ipsa attributa; ita & scientiam, quæ respicit verùm notum per aliud, & non per se primò, terminari ad attributa; quia non minùs repugnat summo intelligibili, & actui puro in linea intelligibilitatis esse notum per aliud, quam summo & infinito bono ac per essentiam, propter aliud amari.

Deinde, sicut electio petit libertatem, & subinde habet pro objecto aliquid non necessarium ad amati finis existentiam, ita cognitio scientifica essentialiter petit esse cognitionem ab alio causatam; nimirum ex cognitione principiorum: sed non minus repugnat cognitio causata in Deo respectu propriorum attributorum, quæ ex parte objecti eandem cognoscibilitatem habent, & in re spectant ad essentiam Dei, itaut si diffiniretur Deus sicuti est in se, in definitionem ejus essentialiter ingrederentur, quàm repugnet electio respectu eorum: ergo discrimen allatum vim argumenti non evacuat. Min. prob. quia non minùs divina attributa sunt essentialiter entia à se, & per se primò intelligibilia quam sint per se primò, seu per essentiam bona: igitur sicuti repugnat bono per essentiam quòd propter aliud & liberè ametur, ita & quod per aliud intelligatur, seu innotescat, tanquam per causam. 79.

Nec valet ad commentum illud de causa virtuali confugere, dicendo, attributa equidem esse entia à se per negationem omnis causæ actualis; 80.

actualis, non autem per negationem causæ virtualis. Non, inquam, valet, tum quia, ut fusè ostendimus, hujusmodi virtualis causalitas repugnat in Dei essentia respectu attributorum in se consideratorum, quo pacto à divina scientia attinguntur. Tum, quia attributa in se essentialiter sunt ipse Deus, seu divina essentia, esto per conceptus nostros diversas rationes sortiantur: ergo si ipsa non sint entia à se per negationem causæ virtualis, neque alio modo ipsa essentia erit ens à se, cum in re sint eadem simplicissima entitas. Tandem quia illud quod per essentiam est tale, nullam habet mixtionem sui contrarij, seu oppositi: v. g. quia Deus est per essentiam ipsum esse, nihil habet omnino de non esse: sed Deus, & quælibet Dei perfectio per essentiam est ens à se: ergo nullam habet mixtionem sui oppositi: sed hoc quod est habere quomodolibet causam est oppositum enti à se per essentiam: ergo attributa sunt entia à se per negationem omnis causalitatis etiam virtualis.

81. Quod ad solutionem Illustriss. Godoy spectat, omnino pugnat cum doctrina D.Thomæ, & nullatenus veritati consona videtur: Doctrinæ quidem D.Thomæ adversa est, quia ut ipse docet 3. q.18. art.4. cap. *Electio est proprius actus liberi arbitrij*. Et exinde concludit in Christo fuisse liberum arbitrium, quia fuit electio: *Et ideo*, inquit, *cum in Christo ponatur voluntas ut ratio, necesse est etiam ponere electionem, & per consequens liberum arbitrium, cujus actus est electio, ut in prima parte habitum est:* igitur qualitercunque in Deo admittatur electio respectu attributorum, etiam inadæquatè,

oportet admittere volitionem liberam respectu suorum attributorum : unde simpliciter necessario & naturaliter non amabit bonitatem eorum, quæ essentialiter est sua bonitas summa & perfectissima. Vnde S.D. perpetuò docet electionem Deo convenire respectu creaturarum, non autem respectu sui ipsius. Ita loco cit. ex 1. cont. gentes cap.88. & lib.1. sent.dist.41. art.1.cap. *Electio*, inquit, *non convenit Deo respectu sui ipsius, non enim est electio finis, sed eorum quæ sunt ad finem.*

Veritati autem consona minimè videtur : Primò, quia quodlibet attributum amatur in Deo prout est in se verè & realiter : sed sic essentialiter est ipsum esse divinum : ergo essentialiter est bonitas Dei summa & per essentiam : ergo non est bona, etiam virtualiter per ordinem ad aliud. Secundò, impossibile est aliquid amari per ordinem ad aliud, & non participare bonitatem ab illo : impossibile est autem divina attributa participare, etiam virtualiter, bonitatem à divina essentia, quia sunt infinita perfectio secundum essentiam : aliàs non essent divina, sed creata. 82.

Secunda pars conclusionis, nimirum quòd cognitio, quam habet Deus de seipso, suisque attributis sit sapientia propriè prout contra scientiam condividitur ; patet : tum quia sapientia est cognitio divinorum, sicut scientia est cognitio rerum humanarum, ut patet ex D.August lib. 14. de Trinit. cap.1. ubi explicans illud Apostoli 1. Corinth. 12. *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ*, ita scribit : *Ista definitio dividenda est, ut rerum divinarum scientia, propriè sapientia nuncupetur; humanarum* 83.

humanarum autem, propriè ſcientiæ nomen obtineat. Quod & docet D.Thom. in eum locum. Tum etiam quia ſapientia reſpicit altiſſimas & primas cauſas ſimpliciter: cujuſmodi eſt Deus, qui per ſuam ſcientiam, voluntatem, & potentiam rerum omnium eſt cauſa. Tandem quia ſapientia eſt nobiliſſima ſcientia, ſeu ſcientiarum Dea: hujuſmodi autem eſt cognitio, quam Deus de ſeipſo, ſuiſque attributis habet, cum ſit nobiliſſimi entis cognitio: De ſeipſo igitur ſapientiam habet.

§4. Quòd autem habeat de rebus creatis intelligentiam, in quantum cognoſcit quidditatem ſuam & aliarum rerum, patet: quia nomen intellectus, ſive intelligentiæ quamdam intimam cognitionem importat, dicitur enim intelligere, quaſi intùs legere: ſed rei intima & perfecta cognitio non habetur, niſi dum pertingimus ad cognoſcendum eſſentiam rei intellectæ: ergo Deus optimè dicitur habere intelligentiam, quatenus cognoſcit quidditatem ſuam, quæ eſt cauſa & exemplar omnis naturæ ſeu quidditatis creatæ, per quam de omni natura & eſſentia creata habet propriam & diſtinctam cognitionem. Itaque ſicut intellectus noſter dicitur habere primorum principiorum intelligentiam, per terminorum primorum cognitionem, quæ quidem mediante definitione accipitur, per quam ſcitur quid res ſit: ita & per eſſentiam ſuam, quaſi rerum omnium perfectam ſpeciem, & rationem omnis naturæ & eſſentiæ creatæ, quidditativam & perfectam cognitionem habet. Vnde cognitio eſſentiæ ejus, ut eſt ratio cognoſcendi omnem naturam creatam, convenienter intelligentia dicitur.

2.2. q.8. art. 1. & 2. in c.

Quòd

Quòd denique de rebus omnibus habeat ſcientiam, quatenus cognoſcit eſſe ſuum, & aliarum rerum, prob. quia ſcientia eſt cognitio rei per ſuam cauſam, cognitio, inquam, qua affirmatur rem ita ſe habere, vel negatur: ſed eſſe Dei eſt cauſa omnis eſſe, quod reperitur in ente creato: ergo cognoſcens ſuum eſſe ut cauſam, & exemplar totius eſſe creati, habet ſcientiam propriè ac ſtrictè dictam de ipſis rebus creatis. Hinc eſt, quòd ſcientia in Deo eſt unica omnium rerum, & non multiplex, ſeu diverſificata, quemadmodum in nobis. Nam in nobis non eſt una ratio medij, per quam omnia propriè & diſtinctè cognoſci poſſint: unde cum diverſitas medij, & principiorum, diverſitatem formalem ſcientiarum cauſet, diverſas oportet ſcientias diſtingui, non verò in Deo; quia per unicum medium, quod eſt ipſius eſſentia, & unicum principium, quod eſt illius eſſe, cognoſcit omnes res creatas diſtinctè ac determinatè, & unitates omnium enunciabilium, ut infra oſtendetur. 85.

Nota quòd cum ſapientia ſit quædam ſcientia, & intellectus principiorum, utrumque enim complectitur, & ſe habet quodammodo ex additione ad illa; poteſt hæc utraque cognitio, quâ nimirum Deus intelligit ſuam quidditatem, & aliarum rerum cognoſcit ſuum eſſe, & aliarum rerum, ſapientia vocari, communiter dicta, cum ſit cognitio per altiſſimam cauſam: non tamen ſapientia debet dici, ſi loquamur de ſapientia propriè dicta, & ſecundùm quod contradiſtinguitur à ſcientia propriè dicta & ab intelligentia, ſeu intellectu principiorum, hoc modo enim Dei cognitio ſecundùm 86.

dùm ſe, dicitur ſapientia, quæ habet divina duntaxat contemplari & reſpicere, utpote prima entia, & cauſas ſimpliciter primas, totius eſſe, & cognitionis.

---

§. III.

Soluuntur argumenta contraria.

87. ARg. 1. ex D.Thom. dicente quod, *Deus de ſeipſo habet ſcientiam ſpeculativam tantùm: ipſe enim operabilis non eſt. De omnibus autem aliis habet ſcientiam, & ſpeculativam & practicam.* Nec licet D.Thomam explicare de ſcientia, ſumptâ pro altiſſima cognitione; non autem de ſcientia ſtrictè acceptâ, ut dividitur contra ſapientiam: Tum quia ſi hæc interpretatio admittatur, eodem modo intelligendus veniet, cum ait, Deum de aliis rebus à ſe ſcientiam practicam habere, cum eodem tenore de utraque loquatur: quod omnino falſum eſt, cum de rebus creatis Deus ſcientiam propriè dictam habeat, ut etiam ipſimet admittunt. Tum etiam, quia ſcientia ſpeculativa propriè dicta eſt nobilior quam practica, ut patet per Philoſophum: ſed omne quod eſt in ſe perfectionem dicens, Deo cum proprietate attribuendum venit: ergo ſcientia ſpeculativa propriè dicta Deo attribuenda venit: ſed non reſpectu rerum creatarum, quia de his ſcientiam habet practicam: ergo de ſeipſo, ſeu de eſſentia ſua reſpectu ſuorum attributorum.

Infra art. 16.

Lib 1. metaphyſ. text. 2. & lib. 6. text. 2.

88. Conf. ſapientia eſt perfectiſſima ſcientia: ſed juxta D.Thomam eſt in Deo ſapientia propriè,

1. Sent.

priè, in quantùm ſeipſum cognoſcit: ergo diſt. 35.
propriè habet ſcientiam de ſuis attributis. Min. q. 1. a. 1.
prob. tum ex 1. ſent. cit. tum ex c. 12. ſup. Epiſt. ad 5.
ad Rom. lect. 5. ubi explicans illud Apoſtoli: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, ita ſcribit: *Habet enim ſapientiam de divinis, & ſcientiam de rebus creatis.*

89. Hic art. 1. ad 2.
Reſp. ad arg. quod ea quæ ſunt diviſim & multipliciter in creaturis, in Deo ſunt ſimpliciter & unitè. Homo autem ſecundùm diverſa cognita habet diverſas cognitiones. Nam ſecundùm quòd cognoſcit principia dicitur habere intelligentiam: ſcientiam verò ſecundùm quod cognoſcit concluſiones, ſapientiam ſecundùm quod cognoſcit cauſam altiſſimam: conſilium, vel prudentiam ſecundùm quod cognoſcit agibilia. Sed hæc omnia Deus una & ſimplici cognitione cognoſcit. Cum igitur ſcientia, prout dividitur in practicam & ſpeculativam ſub ſe etiam ſapientiam complectatur, quæ ſe habet quodammodo ex additione ad ſcientiam ſimpliciter dictam, in quantum cognoſcit altiſſimam cauſam ſimpliciter, Dei cognitio, prout attingens ſe, dicitur ſcientia ſpeculativa, non quælibet, aut ſub quacunque ratione, ſed prout habet rationem ſapientiæ, & ſecundum quod ſapientia contra ſcientiam ſimpliciter uſurpatam dividitur, & ſe habet ex additione ad illam. Itaque verum eſt quod cognitio, quam Deus de ſeipſo habet, ſimpliciter & ſtrictiſſimè eſt ſpeculativa, ſed non ſtrictè ſcientia, prout contra ſapientiam dividitur. Ab alio namque habet aliqua cognitio, quòd ſit ſtrictè & ſimpliciter ſpeculativa, & ab alio quod ſit ſtrictè ſcientia: nam eſſe ſpeculativam habet

habet ex parte rei ſcitæ, quæ nullo modo eſt operabilis à ſciente, ſed eſſe ſcientiam ſtrictè dictam habet ex eo quod ſit cognitio rei per ſuam cauſam neceſſariam. Quod Deo reſpectu ſui implicat, ſed primum ſimpliciter competit.

90. Vnde ad primam inſtantiam dicimus S. D. eodem modo intelligendum quantum ad rationem practici, non quantum ad rationem cognitionis: id eſt, quod ſicut ſcientia, quam Deus habet de ſeipſo, eſt ſpeculativa ſimpliciter, quia eſt de re non operabili, ita ex parte rei ſcitæ ſcientia, quam habet de rebus operabilibus à ſe, eſt practica ſimpliciter. Sed non ſequitur, quod ſi ſecunda cognitio eſt ſcientia ſtrictè dicta, etiam & prima. Quia aliunde utriuſque ratio ſumitur. Ad ſecundum dicimus quod ſcientia ſpeculativa propriè dicta eſt nobilior quam practica, & his nobilitate præſtat ſapientia: unde Deo reſpectu ſuipſius attribuitur ſapientia, reſpectu aliarum rerum ut in ſe, & per ſe cognitarum ſcientia ſpeculativa, ut dicetur infra *art.* 16.

91. Reſp. ad conf. quod cognitio quâ Deus ſeipſum perfectè cognoſcit eſt perfectiſſimè ſapientia ſecundùm quod ſapientia contra ſcientiam ſimpliciter dictam dividitur: cognitio autem quâ ſuum eſſe & alia cognoſcit eſt ſcientia ſtrictè dicta.

92. Arg. 2. ſi ob aliquam rationem in Deo non eſſet ſcientia ſuorum attributorum propriè dicta, maximè quia de ratione ſcientiæ à priori, quæ ſola in Deo conſtitui debet, eſt procedere per cauſam: attributa autem divina, cum ſint entia per eſſentiam & à ſe, cauſam in eſſendo non

non habent : sed hæc ratio est nulla : ergo datur scientia in Deo propriè dicta respectu suorum attributorum. Minor prob. ad rationem scientiæ à priori sufficit procedere per causam in essendo virtualem : sed licet attributa divina ex conceptu & ratione entis à se non habeant causam realiter influentem, habent tamen causam virtualem : ergo ob rationem illam malè negatur in Deo scientia suorum attributorum. Maj. prob. 1. quia Metaphysica, propriè scientia est & à priori procedens : sed tamen veritas, bonitas, & aliæ proprietates, quas de ente demonstrat, non habent causam realiter & formaliter influentem, sed virtualem duntaxat : ergo ad rationem scientiæ à priori sufficit procedere per causam in essendo virtualem. Prob. 2. quia Theologia nostra propriè & strictè scientia est : & tamen non procedit per causam, quæ realiter influat, sed tantùm per causam virtualem in essendo : ergo ad rationem scientiæ à priori sufficit procedere per causam in essendo virtualem. Min. patet, nam attributa divina, quæ Theologia nostra de Deo demonstrat, causam realiter influentem non habent. Prob. 3. quia non potest ratio urgens in contrarium assignari, cur videlicet causalitas virtualis objectiva non sufficiat pro ratione objecti scibilis : ergo de ratione scientiæ non est per causam realiter influentem procedere, sed sufficit si per causam virtualem procedat.

Nec valet dicere, posse attributa divina per essentiam demonstrari, & unum attributum per aliud, v.g. æternitatem per immutabilitatem, ab intellectu viatoris essentiam ab attributis distinguente, & attributa inter se : nam sup- 93.

positâ hac distinctione apprehenditur essentia ut radix attributorum, & unum attributum ut ratio alterius cognoscitur: Secùs autem ab intellectu divino cognoscente essentiam & attributa, prout à parte rei sunt, absque distinctione inter illa. Deus enim non potest istam distinctionem confingere: ac proinde, cùm in re essentia non sit causa attributorum, nec unum sit causa alterius, non potest ab intellectu divino essentia cognosci tanquam causa attributorum, quod necessarium erat, ut illa attingeret cognitione scientificâ.

94. Non, inquam, valet, primò, nam quòd Deus essentiam suam & attributa cognoscat prout sunt in se, non tollit quin cognoscat essentiam ut attributorum rationem seu virtualem radicem: sed hoc sufficit ut dicatur attributa per cognitionem scientificam cognoscere: ergo scientificè ea cognoscit. Maj. prob. unum esse causam virtualem alterius est taliter comparari cum illo, quod, si realis inter utrumque distinctio intercederet, illud realiter causaret: sed Deus hoc ita cognoscit, cum in hac cognitione nulla fictio intercedat: ergo cognoscit essentiam suam ut radicem attributorum.

95. Secundò: nam Metaphysica non solum in nobis obtinet rationem scientiæ, sed etiam in angelico intellectu: & tamen angelicus intellectus non efficit distinctionem rationis inter ens & proprietates, quas de ente demonstrativè cognoscit: ergo quamvis Deus non distinguat essentiam suam ab attributis formaliter, cognoscit tamen sua atttibuta cognitione scientifica propriè & strictè. Min. prob. ideo intellectus noster inter ens, & illius proprietates

diſtinctionem rationis fingit, quia non uno ſed pluribus conceptibus, ens & ejus proprietates cognoſcit: ſed Angelus una cognitione, & uno mentis conceptu cognoſcit ens, & illius proprietates: ergo inter objecta prædicta diſtinctionem rationis non efficit.

Tandem, quia, ut ex D. Thoma dictum eſt, 96.
datur in Deo cognitio ſcientifica diſtincta à ſapientia, & intellectu principiorum: ſed hæc cognitionum diſtinctio nequit in Deo ſubſiſtere niſi eſſentiam ſuam cognoſcat, ut eſt cauſa virtualis, aut radix attributorum: ergo quamvis Deus diſtinctionem rationis non efficiat inter ſuam eſſentiam & attributa, illa tamen tali ordine cognoſcit, ut eſſentiam attingat ut radicem virtualiter, attributa verò ut in eſſentia virtualiter radicata, quod ſufficit ad rationem ſcientiæ ſtrictè dictæ.

Reſp. ad arg. ex dictis, ideo non admittendam in Deo ſcientiam ſtrictè dictam reſpectu 97.
ſuorum attributorum, quia eſſentia nullatenus eſt cauſa ſuorum attributorum, nec attributa in ſe conſiderata ſunt quid per aliud, nimirum eſſentiam divinam, ceu cauſam, nota. Vnde negatur minor. Ad cujus prob. admiſsâ majori intellectâ ut ſupra, diſt. min. attributa divina in ſe conſiderata, quo pacto terminant cognitionem divinam, habent cauſam virtualem, nego: prout ex diverſis perfectionibus creaturarum Deus ab intellectu creato habet cognoſci, concedo: Nam Deus eſt ſimpliciſſima entitas, in qua nullatenus reperiri poteſt habitudo principij ſeu cauſæ ad attributa ſua ſecundùm rem, ſed ſecundum modum intelligendi noſtrum. Vnde S. D. negat in Deo rationem po-

tentiæ secundum rem respectu propriæ operationis, quæ est eademmet divina essentia, quia de ratione potentiæ, seu principij est habitudo ad aliud; quæ in una simplici omnino entitate reperiri non valet; admittit verò secundùm modum intelligendi, prout Deus habet à nobis cognosci. Vnde & nos de divinis attributis scientiam habemus, quia cum fundamento in re inter ea & essentiam divinam distinguimus, & unum ut causam alterius apprehendimus; sed non ita Deus, qui se perfectissimè, prout est in se, cognoscit.

98. Itaque neque ex parte Dei cognoscentis, neque ex parte objecti cognoscibilis admitti potest in Deo cognoscibili prout est in se aliqua virtualis causalitas in essendo, aut etiam cognoscendo, itaut unum sit magis cognoscibile quam aliud, loquendo de illius essentia in ordine ad attributa, quia sunt simplicissima entitas, intelligibilis, & actus purus, licet admittatur distinctio virtualis: quia hæc, ut supra diximus abundè ex S. D. non ponit aliquam diversitatem in Deo, sed fundatur in eminentia esse divini præeminenter in se cōtinentis quidquid perfectionis est. Et hæc eminentia attenditur quantùm ad tria, universalitatem, plenitudinem, & unitatem. Sunt enim in illo omnes perfectiones adunatæ, & maximè unum, absque ullo prorsus defectu. Vide supra q.4. art.2. cap.4.

In 1. dist. 2. q. 1. art 3 c.

99. Ad exemplum de Metaphysica adductum, dicimus, quod licet proprietates entis non habeant causam realiter influentem, tamen ex parte objecti cognoscibilis entis ratio est causa cognoscibilitatis earum, & unum secundum

suam

suam rationem est notius alio ; quod sufficit ut de eis habeatur scientia. Secus autem evenit in Dei cognitione, quâ seipsum cognoscit prout est in se : nam neque ex parte cognoscentis, neque ex parte rei cógnitæ cognoscit unum esse magis cognoscibile quam aliud, ut dictum est. Ad alias instantias patet ex dictis. Vnde solutio supra adducta optima est, & evacuans argumenti difficultatem.

Ad illud, quod primo loco contrà illam objicitur, dicimus quod Deus cognoscendo se, seu essentiam suam & attributa, prout sunt in se, non cognoscit essentiam suam ut rationem attributorum, quia hoc solum competit intellectui cognoscenti Dei essentiam inadæquatè, & multipliciter, atque ex diversis creaturarum perfectionibus ; non verò cognoscenti perfectè & ut est in se, quo pacto Deus se cognoscit. *Sciendum*, inquit S. D. *quod pluralitas rationum contingit ex hoc, quod res quæ Deus est superat intellectum nostrum. Intellectus enim noster non potest unà conceptione diversos modos perfectionis accipere, tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diversi modi perfectionum secundùm diversas formas, &c.* Vide supra q.4.citata. Ad prob.transeat Maj. & negatur min. quia non habere causam secundùm rē seu realiter est de ratione Dei, & cujuslibet attributi, quod secundùm rem essentialiter est ipse Deus. Vnde sicut non potest fingere plures Deos, ita neque cognoscere hujusmodi causalitatem virtualem: quia dato quod attributum aliquod realiter distingueretur à Deo, esset essentialiter Deus, quia nihil potest remanere idem, si ejus ratio essentialis destruatur, de ratione autem reali,

100. Loc. cit. ex 1.sent.

& substantia attributi cujuslibet divini est, quod sit ipse Deus : unde si remaneret distinctum, essentialiter esset Deus, & subinde essent duo dij. Adde quod illud quod causatur ab alio, participat esse, hoc enim est causari, unde sicut impossibile est cognoscere attributum divinum habere esse participatum, quia non esset essentialiter actus purus, ita implicat Deum concipere talem distinctionem.

101. Ad 2. instantiam resp. quod seclusis imperfectionibus scientia Metaphysicæ in intellectu angelico reperitur : nec tamen efficit distinctionem rationis formaliter inter ens, & ejus proprietates ; neque demonstrativè, sed simplici intuitu cognoscit ; intelligit tamen rationem entis secundum se, & ex parte objecti scibilis esse magis notum, & rationem cognoscendi scientificè, hoc est certò & evidenter ipsas proprietates. Et similiter divinus intellectus ex parte objecti cogniti, cognoscit quædam esse magis cognoscibilia, quam alia, & per id scientificè cognoscit; sed hoc de essentia respectu suorum attributorum minimè cognoscit : quia in conceptu essentiali cujuslibet attributi secundum se cogniti includitur ratio deitatis, & in deitate quodlibet attributum, unde propriè scientiam de illis non habet.

102. Resp. ad 3. ex dictis concessâ majori, intellectâ de distinctione quoad nostrum modum intelligendi, nam ut diximus in re est una simplicissima cognitio, neg.min. Nam sapientiam habet ut cognoscit seipsum, ut autem cognoscit esse suum & alia à se, habet scientiam ; prout cognoscit quidditatem suam & alia dicitur habere intelligentiam. Sed nos cum statuamus

tuamus

tuamus Deum attingentem se prout est in se, nullo modo attingere attributa ut distincta, & nota per essentiam, idcirco dicimus non posse Deo attribui scientiam de suis attributis, propriè loquendo de scientia. Alia argumenta facilè ex dictis, & dicendis dissolventur.

CAPVT VIII.

Vtrum in Deo scientia à posteriori constituenda veniat.

Conclusio est negativa. Sumiturque ex D. Thom. dicente: *Locutio hac quâ dicitur, quod sciens se ad essentiam suam redit, est locutio metaphorica: non enim in intelligendo est motus, ut probatur in 7. Phys. text. 20. Vnde nec propriè loquendo est ibi recessus, aut reditus: sed pro tanto dicitur ibi esse processus vel motus: in quantum ex uno cognoscibili pervenitur ad aliud, & in nobis fit per quemdam discursum, secundùm quem est exitus & reditus in animam nostram, dum cognoscit seipsam: primò enim actus ab ipsa exiens terminatur ad objectum, & deinde reflectitur supra actum, & deinde super potentiam & essentiam, secundùm quod actus cognoscuntur ex objectis, & potentia per actus: sed in divina cognitione non est aliquis discursus, quasi per notum in ignotum deveniat. Nihilominus tamen ex parte cognoscibilium potest quidam circuitus in ejus cognitione inveniri, dum scilicet cognoscens essentiam suam alias res intuetur, in quibus sua essentia similitudinem videt, & sic quodammodo ad suam essentiam redit, non quasi essentiam suam ex rebus aliis cognoscens.*

103. Qu. 2. de verit. a. 2. ad 2.

104. Ex quibus prob.concl.Tunc ſcitur à poſteriori de aliquo,cùm cognoſcitur cauſa, quæ in ſe eſt notior, per effectum qui eſt notior quoad nos: ſed neque ex parte cognoſcentis, neque ex parte rei cognitæ poteſt aliqua creatura eſſe notior Deo quam proprium eſſe per quod ſcit de omnibus, tanquam per cauſam totius eſſe creati: ergo non poteſt in Deo admitti ſcientia à poſteriori. Maj. patet, nam ideo ex creaturis procedimus ad demonſtrandum aliquid à poſteriori de ipſo Deo, quia illæ ſunt quidam effectus ſenſibiles Dei nobis nôtiores, qui immediatè Deum in ſe pro hoc ſtatu attingere non valemus. Min. etiam eſt manifeſta, nam imprimis certum eſt, quod non ſit notior ſecundum naturam: quo pacto illa dicuntur notiora, quæ plus habent de entitate, & ſunt magis in actu, cum ipſum Dei eſſe ſit actus purus, in cujus comparatione creaturæ ſunt quaſi nihil, ſeu non ens. Deinde neque ex parte cognoſcentis;nam ideo in nobis ex parte cognoſcentis dicuntur aliqua eſſe notiora, quæ tamen non ſunt ſimpliciter notiora, quia ex ſenſibilibus ad intelligibilia procedimus, quæ licet abſolutè & ſimpliciter notiora ſint, quia magis immaterialia, non tamen nobis, ut probatur *in 1. Phyſ. text. 2.* Dei autem cognitio hujuſmodi proceſſum nullatenus admittit; ſed per eſſentiam ſuam ceu cauſam, eſt perfectiſſimè omnia cognoſcens: ergo creatura nequit dici notior Deo, ſive ex parte cognoſcentis, ſive ex parte rei cognitæ, quam ſit proprium eſſe, per quod, ceu cauſam, de omnibus ſcit, ſeu omnia cognoſcit.

Lib. 1. poſter. lect. 24. 1. cont. gent. c. 10.&ſeq. q. 12. de verit. a. 1.

1. Phyſ. lect. 1.

105. Conf. cognitio ſeu ſcientia quæ habetur de Deo

Deo à posteriori est imperfecta, utpote in potentia ad ulteriorem ac perfectiorem illius cognitionem : sed hoc cognitioni Dei omnino repugnat : ergo & scientia à posteriori Deo repugnat. Prob. min. quia talis cognitio solùm dicit de Deo quia est, seu quid non est, non verò quid est : sed hujusmodi cognitio est quodammodo confusa, & in potentia ad cognitionem quidditativam Dei, quæ sola perfecta cognitio est ; unde cognitio, quæ in hac vita habetur de Deo per demonstrationem, per quam scitur de illo quia est, vel quid non est, dicitur ex parte & imperfecta, quia est in potentia ad cognitionem claram & quidditativam ipsius Dei in patria, secundùm illud Apostoli 1. Corinth. 13. *Nunc cognosco ex parte*, id est, imperfectè : ergo scientia, seu cognitio, quæ habetur de Deo à posteriori est imperfecta, utpote in potentia ad ulteriorem ac perfectiorem cognitionem, cujusmodi est cognitio, quam habet de seipso per suam essentiam.

Lib. 1. cont. gent. c. 39.

Conf. 2. quia divisio scientiæ in scientiam à priori, & à posteriori est scientiæ discursivæ, qualis in nobis reperitur, in qua cognitio effectus utpote notior est causa cognitionis ipsius causæ. Vnde non quidem scientia, sed demonstratio, per quam acquiritur, à Philosopho dividitur in demonstrationem à priori, & à posteriori : demonstratio autem est quidam discursus. 106.

Objicies 1. Deus in creaturis cognitis cognoscit se ut causam earum : sed objectum, in quo aliud cognoscitur est intelligenti ratio cognoscendi, ad minus ex parte objecti : ergo creaturæ à Deo cognitæ sunt ei ratio, seu medium 107.

dium cognoſcendi ſeipſum, prout eſt earum cauſa & principium: & conſequenter per creaturas de ſeipſo à poſteriori cognitionem habet. Minor videtur certa, quia objectum in quo aliud cognoſcitur, primò cognitionem terminat, & ratione illius tranſit cognitio ad id, quod in illo cognoſcitur. Maj. autem prob. ex D.Thom. tum loco ſupra cit. num.103. tum ex 1. diſt.27. q.2. art.2. ad 4. ubi ait: *Seipſum*, ſcil. Deus Pater, *in creatura videre poteſt, in quantum ipſum creatura repræſentat, quamvis imperfectè.* Et ratio hujus eſt, quia Deus creaturam omnem comprehenſivè cognoſcit: ergo cognoſcit quidquid in eo cognoſcibile eſt: ſed creatura dicit intrinſecam habitudinem ad eſſe divinum, cujus eſt quædam ſimilitudo & deficiens participatio: ergo Deus ſeipſum in creatura cognoſcit, tanquam earum cauſam finalem, agentem, & formalem idealem.

108. Conf. ideo conſtituimus in Deo ſcientiam à priori, quia divinus intellectus cognoſcit cauſam & effectum, & ordinem inter illa, nimirum cauſam eſſe per ſe cauſam illius effectus: ſed etiam Deus cognoſcit effectum ipſum eſſe per ſe illius cauſæ effectum: ergo admittere debemus in Deo ſcientiam à poſteriori, ſeu cognitionem cauſæ per effectum.

109. Conf. 2. In Angelo datur cognitio ſcientifica à poſteriori: ſed tamen non diſcurrit ex effectibus ſenſibilibus ad cognitionem cauſarum procedens: ergo eſto Deus non ſic procedat, poterit in eo admitti ſcientia à poſteriori. Maj. patet, Angeli ſunt capaces cognitionis, quæ eſt per ſignum: ſed hæc eſt à poſteriori, cum effectus ſenſibiles in cognitionem

cauſæ

causæ ducant : ergo in eis potest admitti cognitio scientifica à posteriori.

Resp. ad arg. dist. Maj. Deus cognoscit seipsum in creaturis cognitis, tanquam in principio à quo procedat sui cognitio, & ad quod terminetur, nego maj. tanquam in similitudine repræsentante imperfectè divinum esse,& redeundo ad essentiam suam, concedo maj. & dist. min. objectum in quo aliud cognoscitur est intelligenti ratio cognoscendi, si ab eo incipiat & ad ipsum resolvatur cognitio illius quod cognoscitur, concedo : si ab eo non incipiat, nec ultimate in illud resolvatur, nego min. & conseq. Etenim ut ex D. Thom. diximus in cognitione Dei quidam, ut ita dicatur, circuitus invenitur : primò cognoscit essentiam suam, & in ea res omnes creatas intuetur, in quibus suæ essentiæ similitudinem videt, & sic quodammodo ad suam essentiam redit, non quidem ex aliis essentiam suam cognoscens (quod requirebatur ut esset scientia à posteriori, in qua effectus se habent ut causæ & principia cognoscendi) sed per seipsam, & in ea res alias, tanquam in medio, causâ, & principio cognoscendi. 110. Ex q.2. de verit. a.2. ad 2.

Resp. ad 1. Conf. concessa maj. dist. min. cognoscit effectum esse per se effectum illius causæ, itaut cognitio ipsius effectus sit medium & causa seu principium ex quo cognoscatur causa, nimirum Deus, nego : per resolutionem illius effectus in divinam essentiam ceu principium & terminum illius cognitionis, concedo min. & nego conseq. Nam videre effectum esse causæ effectum quasi resolvendo esse effectus in causam, hoc non ad scientiam à posteriori, 111. Ex dictis loc.cit.

posteriori, sed à priori spectat : sed cognoscere effectum ut causam cognitionis causæ, & resolvendo cognitionem causæ in effectum tanquam in terminum ultimum processus cognoscitivi, hoc pertinet ad scientiam à posteriori. Nam omnis scientià est cognitio rei per causam, vel simpliciter & absolutè, quæ est causa essendi; vel secundùm quid & quoad nos, quæ est causa cognoscendi. Vnde necesse est ut in scientia à posteriori cognitio effectus sit principium & causa ex qua causetur causæ cognitio, & terminus in quem resolvatur, quod impossibile est in Deo admittere.

112. Resp. ad 2. Conf, quòd licet in cognitione
Ex q. 8. Angeli non detur discursus, saltim formalis,
de verit. tamen intellectus eorum, prout est ex nihilo,
art. 16. est tenebrosus, comparatus claritati divinæ :
& 17. unde suæ naturæ relictus, habet Deum in creatura tanquam in medio cognoscere, simplici tamen intuitu, & perinde potest per hoc dici habere de Deo scientiam à posteriori, quatenus respectiuam habet cognitionem ; non verò Deus, qui per essentiam suam omnia cognoscit, & cujus intellectus non habet vesperum.

CAPVT IX.

Vtrum divinæ scientiæ rationem habitus repugnet habere.

113. VNa ex conditionibus ad nostram scientiam pertinentibus est, quod sit habitus, loquendo de illa, prout habet esse permanens ; definitur enim, *habitus certus, verus, & evidens per*

per demonstrationem acquisitus. Quærimus ergo impræsentiarum, utrum aliquo modo id divinæ scientiæ competere queat ? Quidam affirmativam tenent sententiam, ut videre est apud illustriss. Godoy hîc tract. 3. disp. 24. §. 8. Sed negativa est cōmunis ac receptissima inter scholasticos. Estque D. Thomæ hîc art. 1. ad. 1. ubi ait : *Dicendum quod quia perfectiones procedentes à Deo in creaturas altiori modo sunt in Deo, ut supradictum est, oportet quod quandocunque nomen sumptum à quacunque perfectione creatura Deo attribuitur, secludatur ab ejus significatione omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, qui competit creaturæ. Unde scientia non est qualitas in Deo, vel habitus, sed substantia & actus purus.* Idem asserit innumeris aliis in locis.

Prob. ex S. D. quia ratio habitus in sua intrinseca ratione imperfectionem involvit : ergo nequit formaliter competere divinæ scientiæ in ordine ad potentiam intellectivam, vel volitivam prout sunt elicitivæ divinæ intellectionis, & volitionis, etiam secundùm modum significandi. Prob. antec. primò, quia habitus est actus imperfectus, quasi medius inter potentiam & actum ultimum : unde & habentes habitum dormientibus comparantur : ergo in sua ratione dicit rationem imperfecti, & intrinsece perfectibilis ad ultimo actu. Secundo quia habitus de sua ratione est perfectivus potentiæ, quæ passiva est & determinabilis ad operationem, unde formæ naturales ad operandum non indigent habitu, v. g. forma ignis ad calefaciendum : sed ratio potentiæ passivæ omnino dicit imperfectionem : ergo habitus in sua ratione importat habitudinem ad aliquid imperfectum.

114.
1. cont. gent c. 56. 92. 1. 2. q. 49. art. 4. 3. sent. d 23. q. 1 art. 1. e q 1. de pot. a. 1.

imperfectum. Tertio, quia habitus formaliter, & secundùm rationem suam est de genere accidentis: sed esse accidens in sua ratione dicit imperfectionem repugnantem actui puro: ergo habitus de sua intrinseca ratione dicit imperfectionem. Prob. antec. quia habitus essentialiter est qualitas difficilè mobilis à subjecto: sed quod est mobile à subjecto, formaliter est de genere accidentis, cujus natura est adesse, & abesse à subjecto: ergo habitus formaliter & secundùm rationem suam est de genere accidentis.

115. Nec valet dicere hæc omnia convenire habitui creato, non quidem ex suo conceptu formali, sed quia creatus est. Non, inquam, valet: quia, ut dictum est, ex sua intrinseca & formali ratione, habitus dicit esse perfectionem potentiæ passivæ, & mobilis, seu actuabilis realiter à suo objecto: sed potentiæ passivæ ratio intrinsecè claudit imperfectionem Deo repugnantem: ergo & ratio habitus.

116. Arg. 1. habitus est perfectior potentiâ: sed
Quæst. in Deo constituitur ratio potentiæ: ergo mul-
1. de por. to magis potest ei attribui ratio habitus.
arg. 4. Resp. ex S. D. dist. maj. habitus est perfe-
117. ctior potentiâ, cujus est habitus, quæ est po-
Loc. cit. tentia passiva, concedo: habitus est perfectior potentiâ, cujus non est habitus, absolutè loquendo, nego: licet autem Deo conveniat ratio potentiæ activæ, non autem potentiæ passivæ, unde repugnat ei ratio habitus, qui nunquam est in potentia activa, sed solùm passiva: cujusmodi sunt potentiæ cognoscitivæ & rationales, quæ sunt passivæ, & actuabiles à suis objectis.

Arg.

Arg. 2. Illud quod in suo conceptu formali imperfectionem non involvit, Deo minimè repugnat: sed aggregatum ex potentia & habitu intellectivo, v. g. scientiæ, nullam in suo conceptu imperfectionem involvit: ergo Deo non repugnat tam ratio potentiæ intellectivæ, quã habitus scientiæ. Min. prob. aggregatum hujusmodi nil aliud dicit, quam potentiam facilem ad actum scientiæ: sed in tali aggregato ex potentia & facilitate ad actum nulla imperfectio importatur: ergo aggregatum ex potentia & habitu intellectivo scientiæ nullam dicit imperfectionem. Min. prob. quia potentia non est imperfectio, & multo minùs facilitas ad actum cognitionis: immo est magna perfectio, cujus oppositum scil. difficultas sciendi, seu carentia hujusmodi facilitatis est imperfectio. 118.

Respondet Illustriss. Godoy hîc disp. 24. §. 9. negando min. ad cujus prob. distinguit majorem sic: Aggregatum hujusmodi nil aliud dicit, quam potentiam facilem ex conceptu potentiæ, negatur maj. potentiam facilem facilitate superaddita potentiæ, supponentéque difficultatem in illa, conc. maj. hoc autem imperfectionem dicit, nimirum impotentiam, seu carentiam virtutis ad actum, seu proportionis proximæ ad illum, ac subinde repugnat Deo. 119.

Resp. 2. neg. min. Ad cujus prob. dist. maj. hujusmodi aggregatum nil aliud dicit, quam potentiam & facilitatem ad actum, potentiam activam, & conjunctam per se cum actu suo, ergo: potentiam passivam & per se ab actu ultimo separabilem, concedo maj. & nego min. 120. Loc. cit. de pot. art. 1.

omnis

omnis enim potentia passiva, & quæ per se non est conjuncta cum suo actu, sed separabilis, imperfectionem intrinsecè claudit.

121. Arg. 3. Vis proximè intellectiva & facilitas ad intelligendum in divino intellectu distinctione virtuali abinvicem distinguuntur : sed facilitas ut distincta sufficit ad constituendam habitus rationem : ergo est in Deo ut habitus. Maj. patet, tum quia illa quæ in nobis abinvicem realiter distinguuntur, in Deo virtualiter saltim distinguuntur, seu ratione ratiocinata, v. g. quia misericordia & justitia in nobis realiter distinguuntur, & unitè in Deo reperiuntur, distinguimus ea ratione ratiocinata, seu virtualiter. Sed illa facilitas in nobis à ratione potentiæ realiter distinguitur ; ergo in Deo distinguitur virtualiter seu ratione ratiocinata. Tum quia vis proximè intellectiva, & facilitas ad intelligendum, non dicuntur de Deo & de nobis purè æquivocè, sed analogicè : ergo cum in nobis realiter distinguantur, erit fundamentum, ut ratio inter ea distinguat in Deo. Minor etiam est evidens : nam facilitas illa virtualiter distincta à potentia intellectiva ad divinam intellectionem concurrit : sed non per modum speciei, non enim ex parte objecti concurrit, ut similitudo ejus : nec concurrit per modum potentiæ, cum ab ea distinguatur : ergo concurrit ut juvans potentiam, & complens, & subinde ut habitus.

122. Resp. omissâ aliorum solutione, videnda apud citatum Godoy num.187. & seq.neg. maj. Ad cujus prob. disting. min. illa facilitas in nobis realiter distinguitur à ratione potentiæ, si sit facilitas per modum dispositionis superadditæ,

additæ, & ut determinatio potentiæ ad operandum, seu facilitas comparata exercitio & usu, concedo : si sit facilitas, ut vigor naturalis ad fortiter, & expeditè operandum, & intrinsecè radicata in principiis rei substantialibus, nego min. Hoc enim pacto est essentialiter ipsamet potentia simpliciter dicta, quæ nuncupatur naturalis potentia, ut explicuimus tom.2. clypei Philos. q.8. art.2. §. 2. sic autem est hujusmodi facilitas ad intelligendum in Deo, nimirum ut vigor naturalis, & non ut dispositio superaddita ad perficiendum subjectum tollendumque, potentialitatem & indispositionem ejus ad perfectè intelligendum, unde scientia in Deo non habet rationem habitus, sed potiùs actus, vel naturalis vigoris radicati in principiis substantialibus rei, cum Deus per essentiam & naturam suam sit perfectissimè intelligens ac sciens.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Deus intelligat se.

CAPVT PRIMVM.

Doctrina articuli proponitur.


ONCLUSIO, Deus se intelligit per seipsum, itaut cognoscens & cognitum omnino idem sint. Probat *in sed contra* authoritate Apostoli 1.ad Corinth.2. dicentis : *Spiritus omnia scrutatur, etiam* 1. Hic, & q.2. de verit. a.2. lib.1. cont.

gent. c. 47 & 48. lib 1. sent. dist. 25. art. 2. lib. 12. metaphys. lect. 8. *profunda Dei. Quis enim hominũ scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Q. d. Sicut spiritus hominis, id est intellectus ejus seu mens eorum quæ in corde hominis latent, per seipsum cognitionem habet, atque immediatè per seipsum, & non per alios cognoscit: ita & Spiritus Dei, quippe qui Deus secreta Trinitatis per seipsum novit, nec aliunde cogni- Ibid. lect. 2. tionem eorum venatur. Hæc veritas nec ipsos Philosophos fidei lumine destitutos latuit. Eam expressè demonstrat Aristoteles lib. 12. metaphys. text. 39. & Avicenna lib. 8. cap. 7.

2. Hic in cap. art. Prob. S. D. sic: Eo ipso fit intellectio, quòd intellectus est in actu ipsum objectum intelligibile, quod est quidditas rei: ergo eo ipso aliquid est intelligens se per seipsum, quod intellectus ejus est omnibus modis idem cum sua essentia, seu quidditate in actu: sed in Deo intellectus in actu est omnino idem cum sua essentia: ergo Deus est intelligens se per seipsum. Antec. prob. ex discrimine reperto inter operationes transeuntes & immanentes: quòd videlicet in operationibus, quæ in exteriorem effectum transeunt, objectum operationis, quod significatur ut terminus, est aliquid extra operantem: at verò in operationibus immanentibus objectum, quod significatur ut terminus operationis, est in ipso operante, & secundùm quod est in eo, est operatio in actu: sed intelligere est operatio immanens; ergo secundùm quod intelligibile, quod est ipsius terminus, est ipsum intelligens in actu, seu in eo est actu, secundùm hoc intellectus est in actu intelligendi: ergo si per seipsum est in actu objectum

intel

intellectum, seipsum intelligit per seipsum. Min. prob. secundùm hoc duntaxat intellectus est aliud ab intelligibili, quia utrumque est in potentia, videlicet ad conjunctionem perfectam intelligibilem: sed Deus est actus purus, & nullo modo in potentia, etiam ad conjunctionem intelligibilem & perfectam ipsius intellectus cum sua quidditate & essentiâ, sive ex parte objecti, sive ex parte potentiæ: ergo divinus intellectus in actu est omnino idem cum essentia divina.

Maj. prob. ad perfectionem intellectualis operationis, quæ est intelligere quidditatem rei (hæc enim sola dicitur propriè intelligere) requiritur quod species intelligibilis perfectè conformetur cum re intellecta, & quod ipsa perfectè intellectui conjungatur: sed secundùm hoc potissimùm aliqua inveniuntur distincta, quòd sunt separata, & in potentia ad identitatem & conjunctionem in esse: ergo secundùm hoc duntaxat intellectus est aliud ab intelligibili, quòd utrumque est in potentia ad conjunctionem perfectam intelligibilem. Maj. patet, quia simile simili cognoscitur: ergo ut perfecta sit operatio intellectualis, exigitur perfecta conformatio speciei cum re intellecta. Similiter quandiu res intellecta est absens, & extra cognoscentem, non potest ejus operationem terminare, quia non fertur operatio immanens in objectum ad extra, sed prout est in operante: ergo ut perfecta intellectio fiat, requiritur conjunctio per identitatem objecti cum potentia in esse intelligibili: & secundùm hoc duntaxat intellectus est aliud ab intelligibili, quod utrumque est in potentia; sicut ea-

3. Loc. cit. cont. gent. cap. 47. rat. 1. 1. p. q. 56 a. 1.

tenus distinguitur album ab albedine, quatenus est in potentia ad albedinem, nam albedo ut conjuncta formaliter secundùm suum esse realiter nihil aliud est quam album.

4. Loc. cit ex 1.p.q. 56.a.1.c. Nota quòd, cum dicitur objectum operationis immanentis, qualis est intellectio, esse in operante, intelligi debet per unionem formalem, id est, ad hoc ut intellectio procedat, requiritur ut objectum sit unitum potentiæ sicut forma, quæ est principium formale actionis in agentibus naturalibus. Sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, in quo est, ita species rei visæ existens in oculo, est principium formale visionis constituens oculum actu videntem: Et per hoc differre dicitur ab actione transeunte, quia objectum, quod significatur ut terminus, non est in operante, videlicet sicut principium formale, à quo procedat operatio: non enim signum est principium formale calefaciendi in igne: at verò natura hominis quæ intelligitur, seu est objectum & terminus intellectionis, mediâ specie sua est principium formale intelligendi ipsam: Quia simile simili cognoscitur.

§. I.

Solvuntur argumenta.

5. Lib de causis propos. 5. D.Th ibid. lect. 15. ARg. 1. Qui cognoscit se per seipsum, est rediens ad essentiam suam reditione completâ: sed Deus non est rediens ad essentiam suam, cùm non exeat extra illam: ergo non est sciens, seu cognoscens seipsum aut essentiam suam.

Resp. S. D. quod sciens seipsum, seu essentiam

tiam suam dicitur redire ad seipsum reditione completa, non per hoc quod extra seipsum exeat, sed quia habet esse formam in seipsa, seu per se subsistentem. Per se autem subsistere maximè competit Deo. Eapropter secundùm hunc loquendi modum ipse est potissimùm, atque maximè ad essentiam suam rediens. Cujus rei gratia advertit, quòd forma, inquantùm materiam perficit dando illi esse, quodammodo supra ipsum effunditur: in quantùm verò in seipsa, & non in composito esse habet, in seipsam redit, & colligitur, atque in seipsam per propriam operationem convertitur; quod est cognoscere se. Virtutes igitur cognoscitivæ, quæ non sunt per se subsistentes, sed actus aliquorum organorum, seipsas non cognoscunt, sicut in singulis sensibus patet: sed virtutes cognoscitivæ per se subsistentes seipsas cognoscunt. 6. Loc. cit.

Verba S. D. sunt: *Cum dico, quod sciens scit essentiam suam, ipsum scire significat operationem intelligibilem: ergo patet, quod in hoc quod sciens scit essentiam suam, redit, id est, convertitur per operationem suam intelligibilem ad essentiam suam, intelligendo scil. eam. Et quod hoc debeat vocari reditus, manifestat per hoc, quod cum anima scit essentiam suam, sciens & scitum sunt una res: & ita scientia quâ scit essentiam suam, id est, operatio intelligibilis est ex ea, in quantum est scita, & sic est ibi quadam circulatio, qua importatur in verbo redeundi seu convertendi. Ex hoc autem quod secundum operationem suam redit ad essentiam suam, concludit ulterius quod secundùm substantiam suam est rediens ad essentiam suam, & ita fit reditio completa secundùm sub-* 7. Loc. cit. ex lib. de causis lect. 15.

stantiam & operationem : Illa autem dicuntur secundum substantiam suam ad seipsa converti, quæ subsistunt secundùm seipsa habentia fixionem, ita quod non convertantur ad aliquod aliud sustentans ipsa, sicut est conversio accidentium ad substantiam.

8. Arg.2. cognoscens patitur à re cognita, ipsique assimilatur : cum intelligere sit quoddam pati, ut dicitur 3. *de anima text.* 12. & 28. omnisque cognitio fiat per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam : sed Deus non patitur, nec perficitur à seipso, nec sibi assimilatur : ergo non cognoscit seipsum.

9. Resp. ex S. D. quod cognoscens patitur à re cognita loquendo de passione largè sumpta, seu æquivocè, & quantùm ad modum significandi. Similiter cognoscens assimilatur rei cognitæ, quando est potentia susceptiva ejus, quod

1. dist. 35. q. 1. a.1. ad 4. in Deo non contingit. *Dicendum*, inquit, *quod omnia ista vocabula, quibus dicimus, scientiam esse assimilationem, apprehensionem, vel impressionem, vel aliquid hujusmodi veniunt ex consideratione intellectus possibilis, qui non cognoscit, nisi per receptionem alicujus speciei, respectu cujus est in potentia, per quam assimilatur rei extra animam. Vnde ubi est intellectus in actu tantum, nihil horum propriè dicitur, sed secundum modum intelligendi tantùm.*

10. Arg. 3. præcipuè Deo sumus similes secundum intellectum & mentem, secundùm quam sumus ad imaginem Dei, ut docet August.3. de Trinit. sed intellectus noster non intelligit se, nisi sicut intelligit alia, ut dicitur 3. *de anima :* ergo Deus non intelligit se, nisi fortè intelligendo alia.

11. Resp. S. D. quod licet Deo similes simus secundum

cundum intellectum, non tamen perfectè, & quantùm ad modum intelligendi. Nam cum intellectus noster sit in potentia ad omnia intelligibilia, non potest habere intelligibilium operationem, nisi in quantum per speciem intelligibilem alicujus perficitur. Quapropter intellectus noster seipsum per speciem intelligibilem, quemadmodum & cætera alia intelligit; Deus autem est sicut actus purus, tam in ordine existentium, quam in ordine intelligibilium, & ideo non indiget reduci in actum per aliquam speciem intelligibilem, sed seipsum per seipsum intelligit.

CAPUT II.

Soluuntur quædam instantiæ contra rationem D. Thomæ, & breviter explicatur quomodo intellectus in actu sit ipsum intelligibile in actu.

ARg. 4. contra rationem à D.Thom. allatam cum ait S. D. quod *intellectus in actu est ipsum intelligibile in actu*, vel intelligit quod sunt unum in esse entitativo, vel in esse intelligibili? Primum dici nequit: etenim lapis extra animam existens nullatenus est ipsemet intellectus secundùm suum esse naturale: superest igitur ut sint unum in esse intelligibili, quatenus mediante specie intelligibili anima in rem ipsam transformatur: sed ex hoc nullatenus deduci potest, quòd se per seipsum cognoscat: ergo ratio D.Thomæ inefficax est. Prob. minor, in qualibet cognitione necessum est, quòd in- 12. Opusc. 14.

tellectus in actu sit ipsum intelligibile in actu in esse intelligibili & intentionali: sed tamen non dicitur quod intelligibile per se ipsum cognoscatur, sed per speciem suam: ergo nec infertur quòd Deus se per seipsum cognoscat, ex hoc quod actu intellectus ejus sit essentia ipsius in actu, sed solùm per speciem, per quam intellectus divinus est actu ipsummet intelligibile in actu, nimirum Deus, vel essentia divina.

13. Vt possit fieri satis huic difficultati multa dicenda occurrebant circa unionem seu conjunctionem objecti intelligibilis cum ipso intellectu, verum quia in lib. de anima quæst. 14. rem fusè tractavimus, hîc eam paucis absolvemus. Notandum igitur, quod aliqua esse unum dupliciter contingit, prout ad præsens spectat: Primò per realem unitionem, seu unionem eorum in uno physico composito; quatenus videlicet unum recipit, & aliud recipitur tanquam actus & forma: quo pacto ex materia prima & forma unitis, vel ex subjecto & accidenti ad invicem conjunctis per receptionem & informationem unum aliquod totum coalescit: Secundò per identitatem naturæ, seu alicujus formæ totalis, sicut animal & rationale in homine, humanitas enim utrumque includit, & identificat. In his, quæ primo modo sunt unum præsupponitur diversitas realis actus & potentiæ, atque conjunctio seu unitio quâ reddantur unum per receptionem & informationem. Vnde non dicuntur realiter unum omnibus modis, sed quia sunt unum in uno esse quod causant. In his verò quæ sunt unum per identitatẽ accidit diversitas in radice & causa,

nec

nec per se requiritur : unumque non se habet necessariò ut potentia realis susceptiva, & aliud ut forma, aut actus informans : sed comparantur inter se ut actus ad actum, & ut duæ perfectiones subordinatæ; sicut animal & rationale, albedo & album esse, lux & lucidum esse.

Dicimus igitur, quod intellectus intelligens 14.
& intelligibile in actu sunt unum de se & ex propriis per identitatem intelligibilem seu intentionalem, seu etiam per identitatem naturæ quasi metaphysicè, sicut humanitas in actu, & esse hominem. Nam humanitas in actu est homo formaliter, sicut albedo in actu est album esse. Effectus enim formalis est realiter forma ipsa in actu suo, id est, ut communicata, & secundum esse : esto secundum rationes suas distingui intelligantur. Sic igitur ipsum intelligibile, cum habeat rationem formæ respectu intellectus intelligentis, oportet quod in actu sit ipse intellectus intelligens in actu : quia forma communicata subjecto est ipse effectus formalis : esse autem intelligentem in actu est effectus formalis intelligibilis facti in actu proprio. Itaque cum dicitur, quod intellectus & ipsum intellectum sunt unum, non est existimandum quod potentia intellectiva secundùm se sit res intellecta, hoc enim non est undequaque verum respectu omnis intelligibilis: sed sensus est, quod intellectus prout actu intelligens, est ipsum intelligibile prout factum in actu suo : sicut id quod est album non est albedo, sed album formaliter est albedo in actu, quia actus albedinis communicatæ est esse album.

Quod autem intellectus & intelligibile sint 15.
unum

1. p. qu. 56 art. 1. cap. unum per informationem, & præsupponant diversitatem, hoc aliunde provenit, nimirum ex potentialitate essendi & actualitate in ratione manifestativi, seu intelligibilis & intellectivi. Sicut enim calori accidit, quod inhæreat igni ut calefaciat, nam etiam si esset per se subsistens, nihilominus calefaceret, & perfectiùs: ita & formæ, seu speciei intelligibili, ut sit principium formale intellectionis, accidit quod inhæreat: & de ratione ejus per se duntaxat est, quod sit ut actus & forma, seu perfectio intrinseca intelligentis, per quam sit in actu suo.

16. Ad arg. itaque resp. quod hoc axioma sic intelligendum venit, intellectus in actu est ipsum intelligibile in actu per identitatem quidem intentionalem, & quasi naturæ metaphysicæ, in his intelligentibus & intelligibilibus, quæ secundùm se potentialitatem admixtam habent in linea intelligibilitatis prout radicatæ in natura rei & entis intellectivi atque intelligibilis. In intelligibilibus autem intelligentibus omnino depuratis, & quæ fœces alicujus potentialitatis non contrahunt, sunt unum & per identitatem intelligibilem, & per identitatem in esse, prout intelligibilitatem fundat, vel intellectualitatem radicat. Vnde dist. min. Ex hoc quod intelligens & intelligibile sunt unum, non elicitur quod intelligens se per seipsum intelligat, si sint unum inadæquatè & per imperfectam identitatem objecti intelligibilis cum ipso intellectu intelligente, concedo: si sint unum adæquatè & omnibus modis, seu per identitatem perfectam, nego. Identitatem autem perfectam voco, cum intelligibile,

ligibile, & intellectus intelligens nullo modo sunt in potentia ad unionem, sed tam radicaliter quam formaliter sunt unum in actu, ut contingit in Deo intelligente seipsum: neque enim formaliter intellectus ejus est in potentia ad essentiam ejus, ut ipsi uniatur, neque radicaliter, sicut accidit in aliis intelligentibus. Nam licet intellectus humanus actu intelligens aliquod objectum non sit formaliter in potentia ad ipsum, sed ipsummet in actu per identitatem intelligibilem, tamen radicaliter utrumque est in potentia. Nam res materialis in se, vel spiritualis ad modum rei corporeæ cognoscibilis à nobis, est in potentia duntaxat intelligibilis, & intellectus humanus secundùm se est duntaxat in potentia intelligens. Sed in Deo est omnibus modis in actu tam radicaliter, quam formaliter tam ipse intellectus intelligens, quam ipsa essentia divina: quia est actus purus, & summè immaterialis secundum suum esse & substantiam seu essentiam: ac subinde esse intelligibile, & esse naturale, quod est radix ipsius esse intelligibilis seu intelligendi, in Deo unum & idem sunt. Per quod patet ad prob. dico enim in qualibet cognitione sufficere ut intellectus & intelligibile sint unum in esse intentionali, ut absolutè fiat intellectio: sed ut perfectissima sit, cujusmodi est intellectio, quâ Deus se per seipsum intelligit, exigitur ut sint omnibus modis unum.

Arg. ultimò contra eandem; & præsertim contra illam propositionem à S. D. assumptam, videlicet, quod secundùm hoc tantum intellectus non est ipsum objectum intelligibile, sed distinctum ab illo, quia utrumque est in potentia: 17.

tentia : Nam sufficit, quòd vel intellectus seorsim, vel intelligibile sit in potentia : ergo non requiritur, ut utrumque sit in potentia, ad hoc ut non sint idem, sed distinguantur in esse intelligibili. Antec. prob. nam Deus est actus purus, & nullo modo in potentia respectu intellectus creati, & è contra intellectus creatus est in potentia ad ipsum : attamen non sunt omnino unum in esse intelligibili, sed distincta : ergo sufficit, quod vel intellectus, vel intelligibile seorsim sit in potentia.

18. Conf. intellectus Angeli non est ipsum objectum intelligibile per se, loquendo de objecto primario, quod est substantia seu essentia illius; sed tamen intellectus Angeli non est in potentia respectu suæ essentiæ : ergo non ex eo tantùm intellectus est aliud ab intelligibili, quia
1. p. q. utrumque est in potentia. Min. prob. quia ex
56.a.1.c. hoc duntaxat intellectus est in potentia respectu objecti, quia species objecti est in virtute cognoscitiva tantùm in potentia : sed intellectus Angeli non est in potentia ad aliquam speciem, per quam seipsum cognoscat, cùm per suam substantiam seipsum intelligat : ergo intellectus Angeli non est in potentia respectu suæ essentiæ.

19. Resp. D. Cajetanus, quod cum D.Thom.ait: *Secundùm hoc tantùm sensus, vel intellectus aliud est à sensibili, vel intelligibili, quia utrumque est in potentia*, ly *utrumque* debet referri ad intellectum & sensum; non verò ad intellectum, & objectum ejus. Esto enim verum sit, quod intellectus sit potentiâ intelligens, & objectum potentiâ intelligibile, & per hoc distinguantur, tamen hoc ait ab Authore non intendi :

tum

tum quia potentialitas respectu unius sufficit, ut patet in exemplo de intellectu creato intelligente Deum, qui est actus purus. Tum quia ista potentialitas objecti, non in se, sed respectu hujus non est potentialitas imperfectionis, de qua loquimur. Tandem quia planus literæ sensus primam expositionem optimè amplectitur, & propositio satisfacit.

Potest secundò responderi, & fortassis magis ad mentem D.Thomæ, quòd ly *utrumque* refertur ad intellectum & objectum : si enim referretur ad sensum & intellectum, non diceretur utrumque, sed uterque. Præterea, quia oppositorum oppositæ sunt rationes & causæ : sed intellectus & intelligibile sunt unum per hoc quod utrumque est in actu : ergo distingui debent per id quod utrumque est in potentia : non quidem in potentia ad esse, sed ad agere actu intellectionem; impossibile enim intellectu videtur, quod intelligens sit in potentia, & intelligibile sit in actu, cum intelligibile sit ut forma, quæ dicitur esse in actu proprio, dum est communicata proprio perfectibili : ergo sicut intellectus est in potentia, dum non formatur actu specie objecti : ita objectum est in potentia perficiens, quandiu per speciem suam intellectui non unitur, vel per seipsam. 20.

Vnde resp. ad arg. neg. antec. Ad cujus prob. dist. maj. Deus est actus purus, & nullo modo in potentia respectu intellectus creati : si sumatur Deus secundum se, concedo : quia essentia divina, cum sit à materia separata, est per se actu intelligibilis, & lux per essentiam; si sumatur Deus in ratione objecti intelligibilis à nobis, & per modum formæ actu unibilis intellectui 21. Quodlib.7.a.1.

lectui creato, nego. Sic enim non semper actu conjungitur, seu unitur, sed est distans secundùm se, non propter defectum intelligibilitatis, sed excessum super potentiam. Sicque est in potentia respectu nostri, quia non attingimus ad illum.

22. Resp. ad conf. dist. maj. Intellectus Angeli non est ipsum intelligibile objectum, quod est substantia ejusdem Angeli, in esse entitativo, concedo: in esse intelligibili secundùm actum primum, nego maj. sic enim essentia Angeli per modum propriæ speciei est semper præsens proprio intellectui, per modum actus, & formæ necessario conjunctæ cum suo perfectibili, quod semper facit esse in actu suo: & intellectus in ordine ad illam est ut potentia per se conjuncta cum suo actu, sicut potentia calefactiva in igne cum calore. Itaque differunt abinvicem intellectus humanus, Divinus, & Angelicus: quia intellectus humanus se habet respectu omnis intelligibilis ut potentia de se non conjuncta actui, etiam respectu propriæ essentiæ, & speciei; unde simpliciter ab ipso intelligibili differt, quatenus utrumque est in potentia ad conjunctionem actualem. Intellectus Divinus è contra est universaliter, per propriam essentiam continentem species omnium rerum, in actu omnis intelligibilis: sed intellectus Angelicus quodammodo est in actu & in potentia: in actu quidem respectu propriæ essentiæ, quæ cum sit immaterialis, & per se subsistens est ei conjuncta actu, ut principium formale intelligendi seipsam: sed respectu aliorum suapte natura est in potentia, & habet perfici à speciebus intelligibilibus, non

quidem

quidem acquisitis, ut in nobis contingit, sed inditis & infusis. Ea propter semper concluditur, in tantum aliquid esse in actu intelligendi, in quantum intellectus in actu est ipsum intelligibile in actu; & quòd in tantum sunt distincta, in quantum sunt in potentia ad unionem illam, & transformationem.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus comprehendat seipsum.

CONCLVSIO: Deus perfectè seip- 1.
sum comprehendit. Probat S. D. ex 3. dist.
D. Augustino lib. 83. qq. quæst. 14. quia 14. art. 2.
omne quod intelligit se, comprehen- quæst. 1. & 2. 1.
dit se; sed Deus intelligit se: ergo comprehen- cont.
dit se. Maj. patet, nam si intelligit se perfectè, gent. c. 3.
& quantùm intelligibilis est à se, tunc cognos- q. 2. de
cens cognoscibili adæquatur, & tanta est effi- verit.
cacia virtutis cognoscitivæ in cognoscendo, art. 2. & 5. q. 20.
quanta est cognoscibilitas objecti, quia virtus art. 4.
sequitur rei essentiam & quidditatem, quæ est opusc. 2.
medium cognoscendi illam. c. 106.

Deinde probat ratione: Tunc dicitur ali- 223. & 264.
quid comprehendi, quando ad finem cognitio-
nis ipsius pervenitur, id est, quando cognos- 2. In corp
citur res ita perfectè sicut cognoscibilis est; art.
sed Deus ita perfectè seipsum cognoscit, sicut cognoscibilis est: ergo Deus seipsum comprehendit. Maj. patet, quia tunc propositio demonstrabilis comprehendit, quando per demonstrationem cognoscitur, non autem si per rationem probabilem duntaxat cognoscatur,

quia

quia per demonſtrationem ita perfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt, non autem per rationem probabilem. Minor autem prob. Deus infinitè cognoſcibilis eſt; ſed infinitè ſeipſum cognoſcit: ergo Deus ita perfectè ſeipſum cognoſcit, ſicut cognoſcibilis eſt. Maj. declaratur, eſt aliquid cognoſcibile ſecundùm modum ſui actus, non enim cognoſcitur aliquid ſecundùm quod eſt in potẽtia, ſed ſecundùm quod eſt actu, ut dicitur *in 9. metaphyſ. text.* 20. ſed Deus eſt ſummè in actu, ſeu actus puriſſimus abſque omni potentialitate: ergo eſt infinitè cognoſcibilis. Minor etiam prob. tanta eſt virtus Dei in cognoſcendo, quanta eſt actualitas ejus in exiſtendo; ſed actualitas ipſius in exiſtendo eſt infinita, cum ſit ſuum eſſe: ergo eſt infinitè cognoſcitivus, ſeu virtus ejus in cognoſcendo eſt infinita. Prob. maj. Deus cognoſcitivus eſt per hoc quod eſt actu, & ab omni materia & potentia ſeparatus, ut oſtenſum eſt ſupra *art.* 1. *hujus quæſt.* ergo tanta eſt virtus Dei in cognoſcendo, quanta eſt actualitas ejus in exiſtendo.

Arg. 1. qui eſt omnibus modis infinitus, ſe-
3. ipſum non comprehendit; ſed Deus eſt omni-
Hic arg. 1. bus modis infinitus: ergo Deus ſeipſum non comprehendit. Maj. prob. quia quod comprehendit ſe, eſt finitum ſibi, ut dicit Auguſt. *lib.* 83. *q.* 14 ſed quod eſt finitum ſibi non eſt omnibus modis infinitum: ergo qui eſt omnibus modis infinitus, ſeipſum non comprehendit.


Si dicatur, quod Deus infinitus eſt nobis, ſed finitus ſibi; *Contra*, verius eſt unumquod-
4. que ſecundùm quod eſt apud Deum, quam ſecundùm quod eſt apud nos: ergo ſi Deus ſibi ipſi

ipsi est finitus, nobis autem infinitus, veriùs dicetur finitus, quam infinitus, quod est contra determinata *q. 7. art. 2.*

Resp. S. D. quod comprehendere dupliciter accipitur: primò propriè, quando videlicet includit ipsam rem, seu attingit fines ejus: qua ratione oportet, ut omne illud quod comprehenditur, finem habeat: Vnde S. August. epist. 112. diffiniendo comprehensionem dicit, quod totum comprehenditur videndo, cujus fines circumspici, vel circumscribi possunt: tunc autem fines alicujus circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur. Et sic Deus nullo modo à se, vel alio quocunque intellectu comprehendi potest. Nam quod sic comprehenditur, finitum esse oportet, sicut omne inclusum finem habet, Deus autem simpliciter infinitus est. Secundò sumitur communiter, quando nimirum comprehendens non exceditur à re comprehensa. Et hoc pacto Deus seipsum comprehendere dicitur, quia ita perfectè seipsum cognoscit, sicut perfectè cognoscibilis est. Vnde hujusmodi loquutio, Deus comprehendit seipsum, & similes per negationem exponendæ sunt. Sicut enim Deus dicitur esse in seipso, quia à nullo exteriori continetur: ita dicitur comprehendi à seipso, quia nihil est sui, quod lateat ipsum. Vnde Augustinus *loc. cit.* ait: quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. 5. Hic, & supra q. 12. art. 7. ad 1. & 2.

Resp. ad 2. S. D. cum dicitur, Deus est finitus sibi non autem nobis, dupliciter intelligi posse: uno modo ita ut intellectus ejus capiat & includat ipsum, ceu aliquid finitum cognos- 6. Hic sol. 1. ad 2.

cendo: & hocmodo nec sibi, nec nobis finitus est, sed simpliciter infinitus. Alio modo secundùm quamdam proportionis similitudinem accipiendo, itaut sensus sit, quod Deus sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum: quia nimirum tanta est virtus ejus in cognoscendo, quanta est cognoscibilitas objecti ut cognoscatur, & hoc modo Deus dicitur finitus sibi. Alias instantias vide infra art. 12.



ARTICVLVS IV.

Vtrum intelligere Dei sit ejus substantia.

1. 1. Cont. gent. cap. 46. & 47. lib. 4. c. 11. & 12. opusc 2 cap 29 & 30.

CVM actualis intellectio, seu ipsum intelligere in omni creatura sit quoddam accidens à naturâ & substantiâ ipsius intelligentis distinctum, ad quod se habet ut potentia ad actum, seu potiùs sicut essentia ad esse, impræsentiarum quærit D.Thom. utrum intelligere Dei, quemadmodum intelligere creatum, sit aliud à natura & substantia ipsiusmet Dei, an verò cum ea realiter identificetur?

2. Conclusio: intelligere Dei est ejus substantia. Probat *in sed contra*, ex eo quod dicit August. lib. 7. de Trinit. Deo hoc est esse, quod sapientem esse: hoc autem est sapientem esse, quod intelligere: ergo Deo hoc est esse, quod intelligere: sed esse Dei est ejus substantia, ut supra ostensum est q. 3. art. 4. ergo intelligere Dei est ejus substantia.

Deinde

Deinde probat *in corp.* duplici ratione, quarum prima est : Si intelligere Dei esset aliud à substantia ipsius, sequeretur quod divina substantia se haberet ad ipsum intelligere sicut potentia ad actum, & perfectibile ad suam perfectionem : sed in Deo, cum sit actus purus, non est aliquid quod comparetur ad alterum sicut potentia ad actum : igitur oportet quod intelligere Dei sit ejus substantia. Maj. prob. intelligere est actus secundus sicut & considerare, intellectus autem & scientia est ut actus primus ; sed in ordine potentiarum & actuum, quod est prius, & potentiale respectu sequentis, & ultimum est completivum respectu ejus, loquendo in uno & eodem : igitur si intelligere Dei esset aliud ab intellectu ejus qui est divina substantia, divinus intellectus & subinde divina substantia se haberet ad ipsum intelligere sicut potentia ad actum, & perfectibile ad suam perfectionem. 3. Hic, & opusc. 2. cap. 31. lib. 1. cont. gent. cap. 45.

Secunda ratio est : intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in ipso intelligente sicut actus & perfectio ejus, non quidem eo modo quo operatio est perfectio & actus secundus, sed eo modo quo esse est perfectio existentis : sed in Deo nulla est forma quæ non sit suum esse, ut supra ostensum est ; ergo in Deo ipsum intelligere, quod se habet ut esse ipsius speciei intelligibilis, per quam intellectus fit actu intelligens, non est aliud quam ipsa forma intelligibilis, per quam Deus intelligit : sed forma intelligibilis, per quam Deus intelligit, non est aliud quam ipsamet Dei essentia, & ipsa divina est suum esse : ergo ipsum intelligere est ipsa substantia & esse Dei, 4. Locis citatis.

Maj. quantùm ad primam partem ſupponitur ut manifeſta ex dictis *ſupra art.* 2. Quoad 2. part. verò prob. quia ſicut eſſe conſequitur formam, ita intelligere ſequitur ſpeciem intelligibilem: ſed ipſum eſſe eſt ut actus manens in exiſtente, & intrinſece perficiens ipſum, & non fluens ad aliud: ergo etiam intelligere, quod eſt eſſe intelligentis in actu, eſt actus & perfectio intrinſeca ipſius intelligentis in actu facti per ſpeciem: ſed quidquid eſt in Deo intrinſecè eſt ipſamet divina eſſentia, & ipſa divina eſſentia eſt ipſum eſſe Dei: ergo intelligere Dei eſt eſſentia Dei, ſive ſubſtantia, & ejus eſſe.

5. Ex quibus colligit S. D. nullam in Deo multiplicitatem realem conſtitui per hoc quod intelligens in actu dicatur, quemadmodum in creatura intellectuali accidit. Etenim in ipſo Deo ſunt omnino unum & idem intellectus, & id quod intelligitur (tanquam principale intellectum, videlicet eſſentia divina) & ſpecies ipſa intelligibilis, nimirum eademmet eſſentia divina, & ipſum intelligere. Quod aliter evenit in creatura: nam cum mens intelligit etiam ſeipſam, non eſt ejus conceptio ipſa mens, ſed aliquid expreſſum à notitia mentis, ſimiliter non eſt ſuum intelligere; unde realem multiplicitatem in creatura infert. Videndus D.Th. q.4. de verit.

6. Opuſc. 14. Pro clariori intelligentia obſervandum eſt, quòd res intelligibilis eo ipſo intelligitur, quo intellectus ſpecie ipſius actu formatur: unde prius naturâ eſt formari ſpecie quam intelligere, ſed non tempore. Informat autem potentiam intellectivam ipſa ſpecies inquantum eſt actus ejus & forma; ſed quia non eſt actus & forma,

forma, ut ipse intellectus sit absolutè, sed ut sit agens seu intelligens actu, ideo importatur in hujusmodi actualitate quædam habitudo potentiæ intellectivæ in actu factæ ad ipsum intelligibile, seu intellectũ ut terminum & objectum illius. Veruntamẽ quia ipsa intellectio est ut actus perfectus, manet in ipsa potentia intellectiva ut perficiens illam, non verò egreditur realiter, & fluit ab illa in id quod intelligitur: unde non habet simpliciter rationem motus seu fieri rei, sed potius se habet ut esse, & actus manens in ipso subjecto. Cum itaque S. D. asserit, quod intelligere est sicut actus & perfectio intelligentis, eo pacto quo esse est perfectio existentis, comparationem & proportionem constituit, non quidem omnimodam (quia, ut diximus, esse simpliciter est actus quo res est, sed intelligere est actus quo res est agens, seu intelligens actu, & subinde cum aliqua habitudine ad rem intellectam, tanquam terminum) sed quantùm ad hoc, quòd sicut esse dicit ultimam actualitatem, & perfectionem intrinsecam & quiescentem in re per quam aliquid completivè est in genere entium, ita ipsum intelligere est ultima perfectio intellectus intrinseca & quiescens, per quam completivè & actualiter est perfectus ultimatè in genere intelligibilium. Per quod distinguitur ab operatione simpliciter, sive transeunte, quæ est perfectio ipsius mobilis intrinseca, in quod transit, unde non est sicut esse ipsius agentis, & formæ ejus, sed sicut fluxus in ipsum passum, quod reducit de potentia in actum formæ.

Magnâ concertatione assolent in præsenti D. Thomæ discipuli, atque interpretes dispu- 7.

tare, utrum hæc propositio, intelligere Dei sit ejus essentia, seu esse, sit in sensu formali intelligenda, an solum in sensu identico, & gratia materiæ. Quidam asserunt ipsam formaliter intelligendam venire, itaut nec virtualiter intelligere ab ipsa essentia divina distinguatur, sed sit formale ipsius constitutivum: quam opinionem fusè impugnavimus supra quæst. 2. art.3.cap.6. unde illuc remittimus Lectorem, & breviter adjicimus in sensu identico, & gratia materiæ intelligendam venire, ex eo nimirum quòd quidquid est in Deo, Deus est. Sumitur ex D.Thom. *Oportet*, inquit, *in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus, & sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.* Patet autem quod velle est esse Dei solùm identicè. Et alibi: *Ad secundum dicendum*, inquit, *quod operatio Dei, quamvis sit ejus essentia secundùm substantiam, tamen differt ratione, & ex hac parte contingit quod operatio intellectualis habet respectum ad res intellectas, quem respectum essentia non importat.* Ex quibus sic: operatio Dei non est ejus essentia nisi secundùm substantiam, seu identicè: sed intelligere in sua ratione importat formaliter nomen operationis, ut patet: ergo non est essentia divina nisi secundùm substantiam. Et ibidem: *Ad 3. dicendum*, ait, *quod sicut intelligere est idem re cum essentia divina, differens ratione, ita & velle.* Ratio est, quia nomen operationis intrinsecè dicit esse ab alio: ergo formaliter non dicit rationem naturæ, seu essentiæ. Quam rationem insinuat D.Chrysostomus hom.1. de incomp. Dei natura, dicens: *Contendere scire quid substantia Deus sit postremæ esse insaniæ judico. Quod ut meliùs intelligatur,*

Infra q. 19.art.1. c. Idem docet in 1. sent. ad Annibald. q. unica art. 2. & alibi sæpe.

Prophetarum sententias afferam : quos non solùm quid substantia Deus sit ignorare videmus, sed etiam de sapientia ejus quanta sit, planè ambigere, quamquam non à sapientia substantia est, sed ex substantia sapientia: ergo sapientia, seu intelligere Dei dicit esse à natura Dei.

Arg. 1. Quod significat aliquid ab operante procedens, non est rei substantia, seu essentia, nam hæc significat rem ut in quiete: sed intelligere significat aliquid ab operante procedens, nimirum intelligente : ergo non potest intelligere Dei, esse illius substantia. Prob. min. quia intelligere est quædam operatio ; sed omnis operatio dicit aliquid ab operante procedens : ergo intelligere significat aliquid ab operante procedens. 8.

Resp. ex S. D. hîc dist. maj. quod significat aliquid ab operante procedens, & progrediens in aliquod extrinsecum, non est rei substantia, concedo : si sit manens in ipso operante ut actus, & perfectio ejus, nego maj. Nam physicè & in re est ipsum esse rei, licet quoad modum significandi & denominandi sit ut actio. Hoc autem pacto intelligere est operatio procedens ab operante, non quidem in aliquid extrinsecum, sed in ipso manens ut actus & perfectio, quemadmodum supra explicatum est. 9.

Arg. 2. Si intelligere Dei esset ejus substantia, sequeretur quod Deus intelligendo se, nil aliud intelligeret quàm suum intelligere : sed cum aliquis intelligit se intelligere, hoc non est aliquid magnum & principale, sed quiddam secundarium, & accessorium : ergo intelligere Dei non esset aliquid magnum & principale. Minor patet, primò enim intelligimus aliquod 10.

objectum, & secundariò intelligimus nostrum intelligere.

11. Resp. ex S. D. dist. min. cum intelligit quispiam ipsum intelligere, quod est accidens & non per se subsistens, concedo min. est enim illud intelligere secundùm quid ens: si illud intelligere sit forma per se subsistens, & actus purus, nego min. tunc enim est in se habens simpliciter esse, & substantiam rei. Hujusmodi autem est ipsum intelligere Dei, unde est aliquid magnum & principale, utpote ipsamet Dei essentia, seu ipsemet Deus intelligens.

12. Arg. 3. Si intelligere divinum esset illius substantia, sequeretur in eo processus in infinitum; sed hic non est admittendus: ergo intelligere Dei non est ejus substantia. Sequela prob. quia omne intelligere est aliquid intelligere: ergo cùm Deus intelligit se, si ipse non est aliud, quam suũ intelligere, intelligit se intelligere: & intelligere, se intelligere se, & sic in infinitum.

13. Resp. S. D. quod, cùm intelligere divinum sit in seipso subsistens, est sui ipsius, & non alicujus alterius, non oportet in infinitum procedere. Hujus rei gratiâ nota ex S. D. primum

1 p q 82. art. 3. quod de ipso intellectu intelligitur, esse ipsum intelligere, nam tam habitus, quam intellectus in nobis per actum cognoscuntur. Sed circa hoc diversi intellectus diversimode se habent. Nam intellectus divinus est suum intelligere, & sic in Deo idem est, quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam, quia sua essentia est suum intelligere. Intellectus autem Angelicus non est suum intelligere, sed tamen primum objectum sui intelligere est ejus essentia. Vnde etsi aliud sit in

Angelo secundùm rationem, quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam, tamen simul & uno actu utrumque intelligit: quia hoc quod est intelligere suam essentiam est propria perfectio suæ essentiæ. Simul autem & uno actu intelligitur res cum sua perfectione. Intellectus autem humanus nec est suum intelligere, nec sui intelligere est objectum primum ipsa ejus essentia, sed quid extrinsecum scil. ipsa natura rei materialis. Et ideo, quod primò cognoscitur ab intellectu humano, est hujusmodi objectum, & secundariò cognoscitur ipse actus, quo cognoscitur objectum. Hinc est, quod intellectus humanus potest quodammodo in infinitum in potentia procedere, non autem intellectus divinus.



ARTICVLVS V.

Vtrum Deus alia à se cognoscat.

CAPVT I.

Relatis quibusdam statuitur Deum non modò seipsum, sed & alia à se cognoscere.



Varii de hac re exorti sunt errores. 1.
Primus fuit eorum qui asseruerunt, ista corruptibilia, & sublunaria cognitionem Dei subterfugere. Qui error ortum habuit ex eo quòd res humanas curare non videatur, cum iniqui fœlicitate potiantur, ut sumitur ex Psalmo 72. ubi postquam dixit:

1. d. 35. art. 2. de verit. q. 2. art. 4. 1. cont. gent. c. 48. & 49.

dixit: *Quomodo scivit Deus, & si est scientia in altissimo?* Respondet tacitæ quæstioni, quæ sibi fieri poterat, nimirum unde sibi videretur non scire Deum, & non esse scientiam in altissimo, dicens: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.* Inde ergo nescit Deus, & non est scientia in excelso, inquit Augustinus *ibidem.* De hoc errore plura infra *quæst.* 22.

2. Secundus error fuit eorum, qui à cognitione Dei actus humanos substrahebant. Cujus erroris fit mentio Esaiæ 29. ubi dicitur: *Væ qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera & dicunt: Quis videt nos, & quis novit nos?* In quæ verba D. Hieronymus: *Idcirco arbitrantur Deum sua nescire consilia, quia in tenebris sunt opera eorum, & dicunt: Quis videt nos? & quis novit nos? Hæc autem dicunt, & sapientes hujus sæculi, & hæreticorum magistri, & Iudæorum Pharisæi, quòd nullus eos intelligat: non recordantes ejus, quod ad Deum dicitur: Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, & sicut tenebræ ejus, ita & lux ejus. Hôc errore decepti Adam & Eva, audientes sonitum pedum deambulantis in paradiso Dei, absconderunt se sub arbore, in qua erat scientia boni & mali. Cain quoque dicens: si ejicis me hodie à facie tua, abscondar, simili stultitiâ arbitratus est Deum ignorare.* De hoc errore etiam fit mentio Psal. 92. ubi in persona impiorum dicitur: *Dixerunt non videbit Dominus: neque intelliget Deus Iacob.* In quæ verba D. Augustinus ait: *Est vox iniquorum, quia nec attendit ista Deus, nec advertit ut sciat quemadmodum vivam, non me curat Deus. Ergo*

inter

inter aliqua me computat Deus? Aut verè me numerat Deus? aut ipsos homines numerat? Infœlix homo, ut esses curavit, ut bene vivas non curat? Cajetanus,& Incognitus hunc errorem Ægyptiis tribuunt, sed Arias Montanus *in prologo super Abacuch* illum Claudiano & aliis Poëtis arrogat.

Tertius error fuit quorundam asserentium, 3.
quòd ex istis sublunaribus Deus solum hominem cognosceret, & nihil præter illum. Non desunt qui tribuant ipsum Rabbi Moysi. Tandem Aureolus in 1. dist.35. art. 2. creaturas in se esse objectum divinæ cognitionis terminativum etiam secundarium, negat, dicens: Sic ergo Deus non intelligit creaturas terminativè, quod ipsæ terminent intuitum divinum, nec in esse reali, nec in esse intentionali; sed alio terminante, videlicet essentiâ divinâ, ipsæ dicuntur denominativè intelligi.

Conclusio: Deus non solùm cognoscit seipsum, sed etiam omnia alia à se, itaut etiam ista 4.
divinum terminent intuitum ut objecta secundaria. Hæc conclusio, saltim quoad 1. partem est de fide, ut sumitur ex libro D.Augustini, sive potius Fulgentij de fide ad Petrum cap.31. *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem, rerum omnium, atque operum, tam suorum, quam humanorum certissimum cognitorem:* Et D. Ioan. Damasc. lib.1. fid. Orthod. cap.2. *Quod Deus: bonus sit, justus, rerum omnium conditarum architectus, quod vim omnem, imperiúmque habeat, omnia inspectet, omnibus prospiciat, omniaque in potestate habeat, ac denique judex sit, hæc, inquam, omnia & scimus & confitemur.* Præterea

Nice

Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus: *Credo*, inquit, *in homousiam Trinitatem.... virtutem omnia intuentem, omnia perficientem.* Constatque ex plurimis Sacræ Scripturæ locis: Dicitur enim Ecclesiastici 39. c. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis ejus.* Idem habet Apostolus ad Hebr. cap.4. *Omnia*, inquit, *nuda sunt, & aperta oculis ejus.* In quæ verba August. lib. de ess. Divinitatis: *Oculos*, inquit, *habere dicitur Deus, eò quod omnia videt, & nihil eum latet, in cujus conspectu, ut ait Apostolus, nulla creatura invisibilis est: Omnia enim nuda & aperta sunt oculis.* Theophilactus etiam in eum locum: *Non solùm hominum explorat corda, & scrutatur, verum etiamsi Angelos dicas, & Archangelos, & Cherubim & Seraphim, omnia illi sunt perspicua. Nihil adeo est, quod oculum ejus latere possit. Omnia enim nuda & aperta oculis ejus. Vt clariùs patefaciat, quomodo sint omnia nuda & aperta coram verbo, dictione usus est per metaphoram ad pecudes, quibus sit pellis detracta, pertinente, ut enim illis τραχηλιοθεντωμ, hoc est cultrum per cervicem recipientibus, & mactatis atque jugulatis, detractâ dehinc pelle omnia interiora, & intranea revelantur, sic & Deo cuncta sint perspicua.* Eandem expositionem tradit Chrysostomus infra adducendus.

5. Hinc est quod 1. Reg. cap.2. vers.3. dicitur, *quia Deus scientiarum Dominus est*, hoc est, juxta vulgarem Hebraïsmum, *Quia Deus scientissimus est*, rerum omnium perfectissimam notitiam habens, etiam internarum cogitationum, *& ipsi*, subdit, *præparantur cogitationes.* Vnde Theodoretus vertit, *Deus cognitionum*, quòd nulla

nulla omnino Deum lateat. Quapropter non scientiæ sed scientiarum Dominus nuncupatur, sicut notat Rabbi David, ut eum rerum omnium, etiam particularium scientissimum esse intelligamus. Quod & satis ostendit ipsius etymon nominis Θεὸσ, id est, omnia videns, à verbo præco θεάομαι, seu θεῶμαι, hoc est videre. Imò & nomen latinum, *Deus*, ducunt aliqui à verbo præco δαίω, quod aliquando est, Nosco, Scio; unde Ægyptij Deum appellabant Oculum mundi, id est, qui universum mundum cernebat. D. etiam August. epist. 111. *Ego,* inquit, *dico, quod Deus totus oculus est, totus manus, & totus pes: quia omnia videt, omnia operatur, & ubique est.* Et D. Athanasius in quæst. de Deo: *Dicitur,* inquit, *Deus ab eo quod omnia contemplatur. Nam nihil eorum quæ sunt, vim illam, quæ cuncta prospicit, effugere potest.* At Marius Vict. tom. 5. Biblioth. lib. 4 adversus Arium refert, *Deum quondam non solùm creditum fuisse mundi oculum, sed etiam in mundi centro constitutum, ut aspectu minimè versatili omnia intueretur.* Quare Zacharias cap. 9. *Dominus*, inquit, *est oculus hominis:* id est, *Deus respicit homines,* ut vertunt 70. vel ut Chaldæus habet: *coram Domino manifesta sunt opera hominum.*

Probat S. D. ratione: cognoscens perfectissimè aliquam virtutem, necessariò cognoscit ea omnia, ad quæ virtus illa se extendit: sed Deus virtutem suam perfectissimè cognoscit effectiva omnium entium causa: ergo Deus alia à se cognoscit. Min. prob. cognoscens perfectè seipsum, etiam perfectè suam virtutem cognoscit, præsertim si virtus sit ipsamet ejus essentia, 6. H c. & 1. cont. gent. cap. 49.

essentia, sicut in Deo; sed Deus perfectissimè seipsum cognoscit: ergo suam virtutem etiam perfectè cognoscit. Min. prob. si Deus seipsum non intelligeret, ipsius intelligere non esset perfectum simpliciter, & omnimode: sed intelligere Dei necessariò debet esse perfectum simpliciter & omnimode: ergo seipsum intelligit. Maj. est manifesta, nam intelligibile est perfectio & actus intelligentis: ergo cum Deus sit nobilissimum intelligibile, Deum intelligere est summa perfectio: ergo intelligere Dei non esset perfectum simpliciter si se non intelligeret. Min. verò prob. quia si intelligere Dei non esset perfectum, neque ipsius esse perfectum esset, cum intelligere sit ipsum esse naturale ipsius Dei.

1. cont. gent. c. 47. & 1. sent. ad Annib. dist. 35. q. 1. art. 3. & 4.

7. Hàc ratione utitur scriptura ad eorum impietatem redarguendam, qui asserebant Deum res, & opera humana nec curare nec scire, ut patet ex illo cap.39. *Dicunt: quis videt nos, & quis novit nos? Perversa est hac vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & opus dicat factori suo, non fecisti me: & figmentum dicat factori suo non intelligis.* In quæ verba D.Hieronymus: *Perversa est, inquit, hac vestra cogitatio, ut factorem putetis nescire quod fecit, & creatorem ignorare creaturam suam: quasi si lutum & opus dicat figulo & factori suo, non me fecisti, vel non me bene fecisti: nec intelligis facturam tuam.* Eodem argumento & ad idem propositum utitur psalmista Psal.93. *Et dixerunt*, inquit, *non videbit Dominus: neque intelliget Deus Iacob. Intelligite nunc qui insipientes estis in populo,& stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Vbi

Theodo

Theodoretus: *Validam*, inquit, *admodum doctrinam syllogismi instar attulit. Qui ex cœno, ait, oculum finxit, quique videndi vim ipsi largitus est, auresque similiter formavit, & audiendi sensum donavit; ipse, inquam, non videt, & non audit? Sed horum opifex his viribus privatus est, quas aliis largitus est? Qui corripit gentes non arguet? Gentes, ait, quæ nec legem acceperunt, nec propheticâ doctrinâ perfruuntur, suppliciis subjicit, & vestram iniquitatem non arguet? Qui docet hominem scientiam. Atqui hominum naturam rationis participem ipse composuit, & per ea, quæ in totius mundi machina cernuntur, atque in singulos dies fiunt, magnam scientiam effecit. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: sed enim non modò videt & audit, verum etiam nostras cogitationes scit.* D. etiam Ambrosius lib.1. offic. cap.14. *Si igitur*, inquit, *radius solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut gravium valuarum obicibus, quominus penetret impeditur: quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum & corda, quæ ipse creavit semet inserere? sed ea quæ ipse fecit non videt, & fecit ut meliora sint, quæ facta sunt, & potentiora ipse qui fecit, ut possint, quando volunt, cognitionem sui operatoris latere? Tantam ergo veritatem & potestatem inseruit mentibus nostris, ut comprehendere cum velit, non possit?*

Conf. Similitudo omnis effectus in suâ causa aliqualiter præexistit: sed Deus per suum esse est rerum causa: ergo ipsæ res in esse Dei aliqualiter præexistunt: sed esse Dei naturale, per quod est causa rerum, est ejus intelligere: 8. Hic & 1. cont. gent. cap.49.

ergo

ergo quicunque effectus præexistunt in Deo sicut in primâ causâ, necesse est quod sint in ipsius intelligere, & quod sint in eo per modum intelligibilem. Nam omne quod est in altero est in eo secundùm modum ejus in quo est. Hanc rationem paulò aliter proponit dicens:

Lib. 1. sent. ad Annibald. q. 1. art. 4. *Ex hoc aliquis est aliorum intellectivus, quod illa sunt apud ipsum modo intelligibili, sicut species rerum apud intellectum. Oportet autem effectus in sua causa aliqualiter præexistere, & nobilius quam in seipsis: Agens enim producit sibi simile, nec agit ultra suæ speciei virtutem. Sic ergo oportet creaturas esse in Deo, qui est earum causa, nec possunt in Deo esse nisi per modum ipsius Dei: quia unumquodque inest alicui per modum ejus in quo est. Unde cum Deus sit immaterialis, & intellectualis natura, creatura est in ipso immaterialiter, & intelligibiliter.*

CAPUT II.

Soluuntur argumenta contraria.

9. Hic, & q. 3. de pot. art. 16. arg. 13. q. 2. de verit. art. 3. arg. 5. ARg. 1. quæcunque sunt alia à Deo extra ipsum sunt: sed ut dicit Augustinus lib. 83. quæst. q. 46. *Neque quicquam Deus extra seipsum intuetur:* quod etiam probat Philos. lib. 12. Metaph. text. 51. ergo Deus non cognoscit alia à se.

Resp. quod verbum Augustini & Philosophi, dicentium, quod Deus nihil intuetur seu intelligit extra se, non est intelligendum, quasi Deus ea, quæ sunt extra ipsum, non intelligat; sed quia illa etiam, quæ extra ipsum sunt, non

extra,

extra, sed in se intuetur: quia per essentiam suam omnia alia cognoscit.

Arg. 2. intellectum est perfectio intelligentis: sed nihil aliud à Deo potest esse perfectio ejus, quia hoc pacto esset aliquid Deo nobilius ac perfectius: ergo nihil aliud à Deo potest esse intellectum ab ipso. 10. Hic, & q. 2. de verit. art. 3.

Resp. ex S. D. dist. maj. intellectum primum quo, seu intellectum secundum suum esse intelligibile, aut speciem intelligibilem, quâ est actus & forma ipsius intellectus, concedo: intellectum ut est res ad extra, nego: nam lapis v. g. non est in oculo, nec actus ejus secundum suam entitatem, sed secundùm speciem suam: species autem, per quam creatura quælibet intelligitur, est ipsamet divina essentia, ut infra dicetur: eapropter non sequitur, quod alia à Deo sint perfectio divini intellectus, sed ipsamet divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis continentis eminenter species omnium rerum. Locis cit. in arg.

Arg. 3. si cognoscit alia à se, cùm cognoscit seipsum, aut eadem ratione cognoscit seipsum & alia, aut aliâ, & aliâ? si eadem, cum seipsum per essentiam suam cognoscat, sequitur quod etiam res alias per essentiam earum cognoscat, quod esse non potest. Si autem aliâ, & aliâ ratione, cum cognitio cognoscentis sequatur rationem quâ cognoscitur, continget quod in divina cognitione invenietur multiplicitas, ac diversitas, quod divinæ simplicitati repugnat: ergo nullo modo creaturam Deus cognoscit. 11. Qu. 2 de verit. art. 3. arg. 6.

Conf. magis distat creatura à Deo, quam distet persona Patris à natura Divinitatis: sed Deus non eodem cognoscit se esse Deum, & se 12. Ibid. arg. 7.

esse Patrem: ergo potiori jure si creaturam cognoscit, aliâ ratione seipsum cognoscit, & aliâ ratione creaturam, quod est absurdum. Min. prob. quia in hoc quod dicitur, Pater cognoscit se Patrem, includitur notio Paternitatis, quæ non includitur, cum dicitur, cognoscit se esse Deum.

13. Ibid. arg. 8. Conf. 2. eadem sunt principia essendi, & cognoscendi: sed non eodem Pater est Pater & Deu, ut dicit Augustinus; ergo non eodem cognoscit Pater se esse Patrem, & se esse Deum; & multo minùs eodem cognoscit Pater se esse, & creaturam, si creaturam cognoscit.

14. Loc. cit. in arg. Resp. ad arg. quod si ratio cognitionis accipiatur ex parte cognoscentis, Deus eadem ratione cognoscit se, & alia: quia & idem cognoscens, & idem cognitionis actus, & idem medium est cognoscendi: si autem accipiatur ratio ex parte rei cognitæ, sic non eâdem ratione se cognoscit & alia: quia non est eadem habitudo sui & aliorum ad medium, quo cognoscit: quia ipse illi medio est idem per essentiam; res autem aliæ per assimilationem: & ideo seipsum cognoscit per essentiam; alia verò per similitudinem, idem tamen est, quod ejus est essentia & aliorum similitudo.

15. Ibid. solut. ad 2. Ex quo sequitur, quod Deus non cognoscit alia secundùm quod sunt in ipso, si ly *secundum quod* referatur ad cognitionem ex parte cogniti, quia non cognoscit in rebus solùm esse, quod habent in ipso secundùm quod sunt unum cum eo, sed etiam esse quod habent extra ipsum, secundùm quod diversificantur ab eo. Si autem ly *secundùm quod* determinet cognitionem ex parte cognoscentis, sic verum est, quod

quod Deus non cognoſcit res, niſi ſecundùm quod ſunt in ipſo, quia ex ſimilitudine rei, quæ eſt idem cum ipſo exiſtens, nimirum eſſentia ſuâ, alia cognoſcit.

Reſp. ad 1. Conſ. quod ex parte cognoſcentis omnino eâdem cognitione cognoſcit Deus ſe eſſe Deum, & ſe eſſe Patrem; ſed non eſt idem quo cognoſcit ex parte cogniti: cognoſcit enim ſe eſſe Deum deitate, & ſe eſſe Patrem Paternitate, quæ ſecundùm modum intelligendi non idem eſt quod Deitas, quamvis realiter unum ſit. 16. Loc. cit. in arg. ad 7.

Reſp. illud, quod eſt principium eſſendi, eſſe etiam principium cognoſcendi ex parte rei cognitæ, quia per ſua principia res cognoſcibilis eſt: ſed illud, quo cognoſcitur ex parte cognoſcentis, eſt ſimilitudo rei, vel principiorum ejus, quæ non eſt principium eſſendi ipſi rei, niſi fortè in cognitione practica. 17. Ibid. ad 8.

Arg.4. objectum adæquatum, tam motivum quam terminativum divini intellectus eſt ſola divina eſſentia ſeu veritas increata, & non aliquid commune Deo & creaturis: ergo nequit cognoſcere aliquid aliud à ſua eſſentia diſtinctum. Conſeq. patet, quia nulla potentia ultra ſuum objectum adæquatum extendere poteſt; aliàs jam non eſſet adæquatum. Antecedens autem infra demonſtrabitur. Pro ſolutione ſit. 18.

CAPUT III.

Quodnam sit objectum formale motivum, & terminativum intellectus divini, Divinaque cognitionis.

§. I.

Variæ opiniones referuntur, & quædam ad dicendorum notitiam prænotantur.

19. Diximus, Deum non modò se, sed etiam alia à se comprehensivè intelligere: impræsentiarum quærimus utrum hæc omnia primò & per se sint divinæ cognitionis formalia ac per se objectum. Variæ de hac re sunt doctorum sententiæ. Prima docet objectum primarium specificativum divini intellectus esse ens commune Deo & creaturis. Eam insinuat Durandus in 1. dist.35.q.1. num.9. Referuntur etiam pro illa, ex Antiquis Ocham in d. dist. q.3. & Gabriel ibid.art.2. quibus nonnulli Recentiores adhærent.

20. Secunda sententia tenet, objectum primarium & specificativum intellectus divini esse ens increatum & divinum, creaturas verò objectum duntaxat secundarium. Ita communiter Theologi, quorum ingentem cathalogum conficit Illustris. Godoy hic tract.3. disp. 25. §. 3. num.32. Quia tamen, ut ipse notat, in Deo plures rationes considerari possunt, videlicet ratio entis divini & increati, quasi transcendens omnia Dei prædicata, & ea in suo conceptu

ceptu implicito actu involvens: ratio naturæ seu essentiæ metaphysicè consideratæ, & non explicantis attributa; & ipsa attributa, relationesque divinæ, ipsi non eodem modo suam de hac re sententiam exponunt. Quidam etenim affirmant Dei naturam, prout ab attributis & relationibus distinctam virtualiter, seu per intellectum cùm fundamento in re, esse objectum primarium & specificativum intellectus divini. Hanc communiter tuentur Scoti discipuli, & nonnulli Thomistæ, Doctoresque Societatis. Alij divinam essentiam, ut complectitur attributa & relationes, pro objecto primario specificativo divini intellectus assignant. Alij verò essentiam secundùm omnia absoluta, aiunt esse divini intellectus objectum formale primarium: proprietates autem relativas ad illud non pertinere. Tandem alij asserunt objectum formale motivum divini intellectus esse solam Dei essentiam ut ab attributis, & relationibus virtualiter distinctam: objectum autem formale primarium terminativum esse ens divinum ut complectitur in se essentiam, attributa, & relationes.

Pro majori dicendorum notitia in memoriam revocanda sunt ea quæ alibi de objecto, variisque illius divisionibus adnotavimus. Præterea notandum ex S. D. quòd inter potentias, quæ sunt operationum principia, quædam sunt simpliciter activæ: quæ videlicet sunt simpliciter ad unum determinatæ, & nunquam in re ponuntur, nisi ut conjunctæ cum actu suo, nisi impediantur; v. g. potentia calefactiva in igne nunquam ponitur nisi ut conjuncta cum actu caloris, seu calefactione, prout est actus & for- 21.

1. p q. 16. art. 1. cap.

ma ejus. Aliæ ſunt, quæ non ſunt ſemper conjunctæ cum actu ſuo, ſeu non ſemper agunt, dum in re ponuntur. Hujuſmodi ſunt potentiæ cognoſcitivæ & appetitivæ, atque illæ, quæ ab appetitu imperantur; v. g. voluntas in re poſita non ſemper exercet actum volendi, intellectus non ſemper intelligit, greſſiva non ſemper ambulat, &c. Vnde ad tollendam hujuſmodi potentialitatem requiritur in eis aliquid per modum principii determinantis, ut actum determinatum producant. Et ulteriùs cum ille actus ſit aliquid per modum operationis & fluxus in aliud, oportet aliquid eſſe, quod fluxum illum terminet.

22. Verum quia nihil movet, determinat, aut reducit de potentia in actum, niſi ſecundùm quod eſt in actu, præſens, & conjunctum ipſi mobili ac determinabili, ideo movens ac determinans potentiam illam in exercitio, debet eſſe illi præſens, & unitum, ſive per ſe, ſive per ſpeciem ſuam, ſicut lapis in oculo eſt per ſpeciem lapidis, & non ſecundùm propriam entitatem. Ex quibus conſtat, quod in hujuſmodi potentiis objectum dicitur motivum quatenus habet rationem principii formalis determinantis potentiam ad eliciendum actum cognitionis, ſeu operationis propriæ. Dicitur verò terminativum quatenus eſt finis & terminus illius actus ſeu operationis egredientis à potentia cognoſcitiva facta in actu; v.g. color lapidis lucidus, quatenus per ſpeciem ſuam formaliter, & intentionaliter in oculo receptam movet, & determinat potentiam viſivam ad actum viſionis, dicitur motivum: quatenus verò in ſe eſt terminativus actus viſionis ab ipſa

ipsa eliciti, & materia circa quam exercetur, finitque fluxum seu egressum & processum potentiæ visivæ, ut est facta in actu, dicitur terminativum.

Vnde esse terminativum est ratio formalis 23.
objecti ipsius potentiæ absolutè sumptæ, & ut
nominat principium agendi: esse verò motivum non est ratio formalis objecti potentiæ absolutè sumptæ, sed potentiæ cognoscitivæ, quæ fit in actu, & agit per apprehensionem objecti. Primum sumitur ex D.Thom. dicente *quod objectum operationis terminat, & perficit*
eum. Potentia autem in eo quod potentia no- 1. dist. 1.
minat operationis principium, & ad actum or- q. 2. art.
dinem dicit: ergo objectum se habet ut ter- 1. ad 1. cap. p. q.
minans, & perficiens potentiam. Deinde ob- 77. art. 3.
jectum, in eo quod objectum, dicitur materia cap.
circa quam, & habet rationem formæ inquan-
tum dat speciem: forma autem in executione 1.2. q. 18.
est operationis terminus, quia per operationem art. 2. &
potentiæ, inquantum activa est, & facta in q. 73. art. 3.
actu, acquiritur: ergo ratio formalis objecti, inquantum potentiæ activæ objectum est, est esse terminativum. Secundum etiam desumitur ex eodem S. D. quia omnis potentia cognoscitiva est quodammodo passiva; patitur enim ac perficitur à cognito: ergo requirit aliquod motivum proprium & formale determinativum, quod est objectum ipsum ut unitum illi, per modum principij formalis activi, ac determinativi.

Hinc sequitur, quòd objectum dividitur in 24.
motivum & terminativum: non quòd omne objectum absolutè non sit terminativum: sed quia esse motivum explicat specialem quandam

rationem objecti, ut in cognoſcentibus potentiis & appetitivis reperitur, in quibus non modo ſe habet ut terminus operationis, ſed etiam ut principium. Vnde dicitur motivum & terminativum ſimul; terminativum quidem ratione ſui generis: motivum autem ratione ſpecialis differentiæ ſumpta ex modo agendi potentiæ cognoſcitivæ, ſeu agentis per apprehenſionem objecti. Aliud dicitur terminativum tantùm, retento communi generis nomine. Hoc enim contingit in ſpeciebus, quæ novam perfectionem ſupra ipſum genus, nobis notam minimè addunt. Quapropter, cum omnis operatio intrinſecè ſpecificetur à forma, quæ eſt operationis principium, ſicut calefactio per calorem, actio potentiæ cognoſcitivæ in quantum cognoſcitiva eſt, immo ipſa potentia in quantum hujusmodi habet ſpecificari formaliter ab objecto, non ut præciſè terminativum eſt, ſed etiam ut motivum, & habens rationem principij formalis determinativi, loquendo de ſpecificatione formali & completa.

25. Sequitur ſecundo quod cum divinus intellectus nullam habeat potentialitatem, neque rationem potentiæ aliquo modo paſſivæ, in eo propriè non reperitur ratio objecti motivi, ſed ſecundùm modum ſignificandi tantùm, quemadmodum & ratio potentiæ reſpectu propriæ operationis, ut dicetur infra; quatenus ex diverſis perfectionibus in creatura repertis Deus nominatur à nobis, ac concipitur. Similiter neque ſecundùm rem habet objectum terminativum per ſe, quia non poteſt dicere idem habitudinem ad ſeipſum, niſi ſecundùm rationem intelligendi. Quapropter ex modo aſſignandi

quæſt. 25. art. 1.

gnandi

gnandi objectum ipsi intellectui creato, seclusis imperfectionibus, debemus assurgere ad constituendum divino intellectui, divinæque cognitioni objectum formale specificativum tam motivum quam terminativum.

Notandum est secundo quod intellectum dupliciter dicitur, sicut etiam visum: scil. primum, & secundum. Primum visum est ipsa species rei visibilis in pupilla existens, quæ est etiam perfectio videntis, & principium visionis. Visum secundum est ipsa res extra oculum. Similiter intellectum primum est ipsa rei similitudo quæ est in intellectu; intellectum autem secundum est illa res, quæ per speciem intelligitur. Intellectum autem primum rursus duplex est, scil. primum intellectum quo, quod est; ipsa species impressa, quæ ponitur intellectualis operationis principium: & primum intellectum quod, nimirum verbum, quod est actualis operationis terminus intrinsecus. Sed neutrum horum habet in nobis propriè rationem objecti, quia non habet rationem finis, seu termini ultimi: sed principij vel termini intrinseci, & non ultimati. Ad hoc enim formantur hujusmodi species, non ut intelligantur, sed ut per eas res ad extra cognoscatur. 26. 1. dist. 35. quæst. 1. art. 2. c.

§. II.

Deciditur quæstio.

PRima conclusio: objectum formale primarium specificativum divini intellectus divinæque cognitionis, per modum primi intellecti quo, est ipsa divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis sui ipsius & omnium 27.

omniũ quæ formaliter sunt in Deo, tanquam rei quæ primo intelligitur, seu terminat divinam cognitionem: & ut continet eminenter species omnium aliarum rerum, quæ secundariò & per habitudinem ad ipsum Deum, ceu causam, à divino intellectu habent cognosci, & intelligi. Hæc conclusio est expressa mens D. Thom. in hoc art. 5. ubi ita sibi objicit: *Ipsum intelligere habet speciem ab ipso intelligibili, sicut & omnis alius actus à suo objecto. Vnde & ipsum intelligere tantò est nobilius, quantò etiam nobilius est ipsum quod intelligitur; sed Deus est ipsum suum intelligere, ut ex dictis patet: si igitur Deus intelligit aliquid aliud à se, ipse Deus specificatur per aliquid aliud à se, quod est impossibile. Non igitur intelligit alia à se.* Cui objectioni satisfacit dicens: *Ad 3. dicendum quod ipsum intelligere, non specificatur per id quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipsum intelligere specificatur per objectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis: sicut calefactio per calorem. Vnde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hæc est species principalis intellecti: quæ in Deo nihil aliud est quam essentia sua, in qua omnes species rerum comprehenduntur. Vnde non oportet quod ipsum intelligere divinum, vel potiùs ipse Deus specificetur per aliud, quam per essentiam divinam.*

28. Ex quibus deducitur ratio pro conclusione: Ipsum intelligere, quemadmodum & intellectus specificatur ab ipso objecto intelligibili, in

in quantum illud est forma, seu actus & perfectio ipsius intellectus, atque ipsius intellectualis operationis principium: sed essentia divina habet in Deo quod sit intellectualis operationis divinæ principium, & veluti actus atque perfectio divini intellectus in quantum est species intelligibilis sui ipsius ut principalis intellecti, & comprehendit omnes aliarum species rerum, quæ in eo intelliguntur, sicut in principali intellecto, & non per proprias earum species: ergo objectum specificativum formale primarium divini intellectus, divinæque cognitionis, per modum primi intellecti quo, est ipsa divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis sui ipsius, tanquam principalis intellecti, & aliarum rerum, quæ in principali intellecto habent intelligi & cognosci à Deo. Maj. quoad primam partem constat: nam omnis specificatio sumitur à forma, per quam res in actu, sive in esse quidditativo & specifico constituitur. Quoad secundam etiam partem est manifesta, quia omnis actio specificatur à suo principio formali effectivo; cum per illud habeat esse in actu & specie, sicut calefactio à calore. Minor etiam quoad 1. part. est manifesta: nam Deus per essentiam suam dicitur actu intelligens, quod non esset, nisi ipsa essentia divina se haberet ut forma intelligibilis respectu proprij intellectus, & esset ut formale principium intellectualis operationis, sicut intellectus noster dicitur per speciem intelligibilem objecti actu intelligens, quia ista est formale principium, quo intellectus intelligit, & fit in actu proprij objecti. Quoad secundam autem prob. quia intellectio Dei est intellectio comprehensiva

prehensiva sui, & omnium aliarum rerum : sed hoc intelligit Deus, quod repræsentatur in essentia sua, tanquam in specie intelligibili : ergo divina essentia comprehendit omnes species aliarum rerum, quæ in eo intelliguntur sicut in principali intellecto.

29. Secunda conclusio : objectum formale specificativum divini intellectus per modum primi intellecti quo est sola divina essentia formaliter, ut habet rationem speciei intelligibilis, secundùm modum significandi distincta ab omni eo quod realiter formaliter est in ipso Deo, ut sunt attributa, & relationes : identicè verò, aut per modum secundi intellecti, seu rei quæ intelligitur, est ipsamet essentia Dei, ut natura quædam est, & in esse entitativo realiter ipsemet Deus, seu esse ejus, includens in sua ratione quidquid realiter formaliter est in Deo. Itaque divina essentia dupliciter concipi & significari potest : Primo in esse naturali seu ut quædam natura est, quâ significatur metaphysicè constitui Deus : Secundò in esse intelligibili, seu ut forma & species intelligibilis divini intellectus, & hoc pacto non intelligitur per eam absolutè constitui Deus in esse naturali, sed intelligitur constitui actu intelligens se & alia, quemadmodum & Angelus dicitur constitui per suam essentiam actu intelligens seipsum, in quantum illa habet rationem speciei intelligibilis, & principij formalis intelligendi. Dicimus itaque, quod ut species intelligibilis est, qua intelligitur constitui Deus actu intelligens, secundùm modum significandi distinguitur à seipsa ut natura est & ab omni eo, quod realiter est in Deo, & ut sic habet rationem

objecti

objecti motivi & specificativi divini intellectus, per modum primi intellecti quo; sed per modum secundi intellecti,, seu rei quæ intelligitur,est ipsa natura Dei seu potius ipsemet Deus.

Hæc conclusio sumitur ex D. Thom. lib. 1. 30.
cont. gent. cap. 47. ubi ait: *Omne, quod est in aliquo per modum intelligibilem, intelligitur ab eo: essentia autem divina est in Deo per modum intelligibilem: nam esse naturale Dei, & esse intelligibile, unum & idem sunt; cum esse suum sit suum intelligere: Deus igitur intelligit essentiam suam: ergo seipsum, cum ipse sit sua essentia.* Vbi, ut patet, duplicem modum assignat, quo essentia divina significatur in Deo esse; primus est secundùm modum intelligibilem, quo pacto habet rationem speciei intelligibilis, & principij intellectionis: secundùs est secundùm esse naturale, quo pacto est res intellecta: *Deus igitur*, inquit, *intelligit essentiam suam*, nimirum intuitivè & ut est in se: Et ex summa identitate inter essentiam Dei in se,& ea quæ sunt in Deo, quia illa est ipsemet Deus, & quidquid in Deo est, infert: *Ergo seipsum* (intelligit) *cum ipse sit sua essentia.* Res igitur intellecta per modum secundi intellecti seu rei, quæ intelligitur est essentia divina ut includit attributa divina & relationes, seu ipsemet Deus. Species verò intelligibilis est ipsamet essentia, ut est præcisa secundùm modum significandi ab ipsis attributis & relationibus, quæ est ipsamet natura Dei in se formaliter, & identicè quidquid est in Deo, quatenus omne id quod est in Deo, est realiter idem cum ipsamet essentia divina. Et *ibidem cap.* 40. ita arguit: *Illa res est primò & per se ab intellectu cognita, cujus specie intelligit*,

operatio

operatio enim formæ, qua est operationis principium proportionatur : sed id quo Deus intelligit, nihil aliud est quam sua essentia, ut supra probatum est: igitur intellectum ab ipso nihil est aliud quam ipsemet. Vbi essentiam sub ratione essentiæ dicit esse id quo Deus intelligit : & id quod intelligitur primò & per se dicit esse ipsummet Deum. Deus autem formaliter includit quidquid est in seipso, itaut si diffiniretur, omnia definitionem ejus ingrederentur : ergo objectum formale specificativum divini intellectus est sola essentia ut habet rationem speciei intelligibilis repræsentantis quidquid est in Deo, tanquam secundum intellectum, seu rem quæ primò & per se, seu principaliter intelligitur.

31. Prima pars conclus. probari potest omnibus rationibus, quibus fulcitur sententia asserens Dei naturam, prout ab attributis & relationibus distinctam, esse objectum formale motivum seu specificativum primarium intellectus divini : quas quidem rationes latè prosequuntur Illustris. Godoy hic tract.3. disp.25. §. 5. & R. ad. P. Gonet tomo 1. disput. 2. §. 3. Prob. deinde breviter, objectum formale motivum specificativum potentiæ intellectivæ est id quo intelligit, seu principium formale intelligendi: sed id quo Deus intelligit, est ipsa divina essentia prout habet rationem speciei intelligibilis, secundumque modum significandi distinguitur ab attributis & relationibus secundum suum esse naturale sumptis : ergo divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis secundùm modum significandi distinctæ ab attributis & relationibus, est objectum formale primarium specificativum divini intellectus per modum

1. cont. gent. c. 46. & 48.

modum primi intellecti quo. Maj. patet, nam actiones specificantur à suo principio formali activo, potentiæ autem per ordinem ad actus. Minor autem quoad 1. partem patet, res enim quælibet intelligitur per hoc quod est actu in intelligente secundùm modum intelligibilem: sed quælibet res est in intelligente actu secundùm modum intelligibilem per speciem intelligibilem, quæ est ipsamet rei essentia, vel similitudo intentionalis illius à re accepta: ergo, cùm Deus non intelligat per species à rebus acceptas, id quo Deus intelligit, est ipsa divina essentia, prout habet rationem speciei intelligibilis.

Secunda pars autem, nimirum quod sit ipsa Dei essentia ut distincta ab attributis & relationibus, prob. quia formaliter Deus non dicitur intelligere suâ misericordiâ, vel potentiâ, paternitate, aut filiatione, ceu formali principio intelligendi, sed dicitur intelligere per essentiam suam & quidditatem, quæ licet secundùm esse naturale realiter sit omnia attributa & relationes, tamen secundum rationem distinguitur ab ipsis: ergo hæc non habent formaliter rationem principij formalis, quo Deus intelligat, & subinde neque rationem speciei, sed sola essentia, quæ est ut ratio rei, & medium cognoscendi. 32.

Itaque ne hallucineris novitie, diligenter adverte, quòd equidem essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, continet intelligibiliter omnia quæ sunt in Deo, ut omnium similitudo, aliàs Deus non cognosceret omnia, quæ sunt in seipso: & sic intelligibiliter est quidquid est Deus; sed tamen omne 33.

quod

quod est in Deo formaliter, non habet rationem speciei intelligibilis, sed sola essentia divina, quæ est ut ratio Dei, nisi materialiter & identicè, inquantum esse intelligibile & esse naturale in Deo realiter idem sunt. Vnde quidquid est in Deo, dicitur intelligi primò & per se, ac repræsentari in divina essentia per identitatem intelligibilem, & naturalem cum illa, sed tamen omne quod est in Deo non dicitur esse principium formale intellectionis divinæ, sed sola essentia, prout est species & similitudo omnium quæ sunt in Deo.

34. Ex quibus prob. tertia pars conclus. objectum primarium intellectus divini per modum secundi intellecti debet esse omne id, quod primò & per se per divinam essentiam, tanquam speciem intelligibilem repræsentatur, & subinde intelligitur primò & per se ab intellectu divino : sed primò & per se repræsentantur, tam natura divina in esse rei, quam attributa & relationes, ac subinde primò & per se intelliguntur : ergo essentia divina secundum suum esse naturale considerata, prout comprehendit attributa & relationes, est objectum primarium specificativum divini intellectus, per modum secundi intellecti. Min. prob. essentia divina, prout habet rationem speciei intelligibilis est principium talis intellectionis divinæ, quæ est quidditativa perfectissima, seu comprehensiva, & intuitiva Dei sicuti est in se : sed Dei essentia comprehensivè & intuitivè sicuti est in se sumpta, est essentia includens formaliter attributa & relationes : ergo essentia, quæ secundùm suum esse naturale, & per modum secundi intellecti intelligitur, & repræsentatur

in

in essentia divina habente rationem speciei intelligibilis, est essentia divina ut comprehendit, & includit formaliter attributa & relationes. Min. patet, quia realiter & in se Deus essentialiter est quidquid est in seipso, & si definiretur, omnia hæc definitionem ejus essentialem ingrederentur.

Respondent quidam Recentiores, quod esto essentia divina, ut est in se, sit attributa & relationes identitate reali formali, non tamen virtuali: quod sufficit, ut essentia divina moveat divinum intellectum ad intellectionem, & non attributa & relationes, quamvis moveat prout est in se: sicut virtualis distinctio Paternitatis ab essentia divina sufficit, ut hæc communicetur Filio, & non communicetur Paternitas: & distinctio virtualis naturæ à Personalitate Filij sufficit, ut hæc immediatè uniatur humanitati, natura verò mediatè: distinctio etiam virtualis inter veritatem & bonitatem divinam sufficit, ut veritas, & non bonitas specificet intellectum; & bonitas, non autem veritas specificet voluntatem. Vnde sicut ista consequentia non valet: Intellectus specificatur à veritate ut est in se: Sed veritas ut est in se est bonitas: ergo specificatur à bonitate, quia veritas à bonitate virtualiter distinguitur, ita ob similem distinctionem, quæ inter essentiam, attributa, & relationes versatur, non valet supra adducta. 35.

Reipsâ quidem Thomistæ, qui sic respondent, nescio an satis consequenter loquantur ad ea quæ asseruerunt supra, nimirum implicare visionem Dei per essentiam esse, etiam de absoluta Dei potentia, abstractivam, seu præ- 36.

cisivam, itaut possit videri essentia sine attributis & personis: Eo enim modo intellectus fit actu cognoscens, quo movetur & actuatur ab ipso cognito: ergo si distinctio virtualis in Deo sufficit ut essentia divina secundum se considerata moveat & actuet intellectum, & non relationes & attributa, nihil obstabit quominus visio Dei per essentiam possit esse præcisiva, non modò respectu intellectus creati, sed etiam respectu intellectus divini. Vnde hæc solutio rejicitur eisdem rationibus quibus supra *q.12.art.8.cap.ultimo*, impugnata & rejecta est Scoti opinio, cujus est etiam solutio, & doctrina adducta.

37. Deinde impugnatur: distinctio illa virtualis nullatenus tollit quin attributa & relationes secundùm suum esse, quod habent in Deo, realiter & essentialiter sint ipsemet Deus, qui primo & per se intelligitur: ergo non tollit quin pertineant ad primarium & specificativum objectum intellectus divini, per modum secundi intellecti. Conseq. prob. quia in omni intellectione quidditativâ comprehensivâ, & intuitivâ semper debet attingi omne id, quod essentialiter ad esse rei pertinet.

38. Conf. quia esto animal & rationale in homine virtualiter distinguantur, tamen, quia sunt de ratione intrinseca constitutiva hominis, impossibile est dari speciem intelligibilem quidditativam perfectam, & comprehensivam hominis, quæ non dicat formaliter utriusque naturam; sed quodlibet attributum non minùs est intrinsecum Deo, quam sit animal homini, nec minus intrinsecè clausum in divino esse actualissimo, & simplicissimo, in se considerato:

derato : ergo nec poterit intelligi Deus, seu divina essentia in se, seu divinum esse, quin per se primò intelligantur omnia, quæ formaliter & essentialiter intrinsecè in divino esse, seu divinâ essentiâ includuntur. Quod autem nos sic intelligamus, ex imperfecto modo concipiendi Deum ex rebus creatis accidit, quod in divina cognitione non contingit. Quod autem bonum moveat voluntatem, & verum intellectum, licet sint idem in re, evenit quia in nobis est diversa species, & intellectum quo, sed in Deo est unica species, quæ est divina essentia, quæ est ipsamet natura Dei non modò intelligibiliter, sed etiam naturaliter; & subinde continens quidquid est in Deo intrinsecè & formaliter. Ex his sequitur quod discordia ista inter utramque sententiam provenit ex eo quod cum D.Thom. non distinguant inter intellectum primum, & secundum : nec advertant in Deo idem esse intelligibile & esse naturale.

Tertia conclusio : objectum formale primarium terminativum divini intellectus per modum termini intelligibilis & intrinseci, seu per modum primi intellecti quod, est ipsamet divina essentia, prout habet rationem verbi communiter dicti in actu secundo repræsentantis omnia quæ sunt in Deo, sive formaliter, sive eminenter; per modum autem termini ultimati seu rei quæ intelligitur ut in seipsa est, est ipsemet Deus in se, seu divina essentia, ut intrinsecè includit attributa & relationes. Prima pars sumitur ex D.Thom. 1. dist.27. q.2. art.2. cap. ubi ait : *Cum verbum sit similitudo ipsius rei intellecta, prout est concepta ab intellectu, &* 39.

ordinata ad manifestationem, vel ad se, vel ad alterum, ista species in divinis potest accipi dupliciter, vel secundùm quod dicit id, quo aliquid formaliter in divinis intelligitur, & sic cum ipsa essentia per se intelligatur, & manifestetur, ipsa essentia erit verbum, & sic verbum & intellectus, & res cujus est verbum non differunt nisi secundum rationem, sicut in divinis differunt, quo intelligitur, & quod intelligitur, & quod intelligit. Vel secundùm quod species intellecta nominat aliquid distinctum realiter ab eo cujus similitudinem gerit, & sic Verbum dicitur personaliter, & convenit Filio, in quo manifestatur Pater, sicut principium manifestatur in eo, quod est à principio per modum intellectus procedens. Ex quibus sic, verbum in omni intellectione habet rationem primi intellecti quod: sed essentia divina ut concepta ita se habet: ergo est objectum divini intellectus per modum primi intellecti quod, seu termini intrinseci.

40. Secunda autem pars prob. primò ex dictis supra in 2. conclus. Secundò prob. quidquid habet eandem intelligibilitatis rationem ad idem objectum formale quod primarium spectare debet: sed natura Dei, attributa, & relationes, in seipsis considerata, seu ut habent esse in se, eandem habent per se primò ac simpliciter intelligibilitatis rationem: ergo ad objectum formale primarium specificativum divini intellectus spectant. Min. prob. in tantum est aliquid intelligibile in quantum est ens & actu: sed attributa & relationes secundùm se sunt ens infinitum & actus purus, includunturque formaliter in divino esse: ergo habent eandē immaterialitatem, atque intelligibilitatem.

Conf.

Conf. Eo modo comparantur attributa in ratione veri & intelligibilis ad intellectum divinum, quo comparantur ad divinam voluntatem in ratione boni & appetibilis : sed ratione sui ad divinam comparantur voluntatem ut objectum formale primarium terminativum : ergo etiam ad intellectum comparari debent in ratione objecti primarij terminativi. Min. prob. ex D.Thom. lib. 1. cont. gent. cap. 74. dicente : *Principale objectum divinæ voluntatis est divina essentia. Cum autem divina essentia sit Dei intelligere & omnia alia, quæ in ipso esse dicuntur, manifestum est quod eodem modo principaliter vult se intelligere, se velle, se esse unum, & quidquid aliud est hujusmodi :* sed si essentia divina ut distincta ab attributis esset objectum formale primarium divinæ voluntatis, attributa verò solùm ratione essentiæ amarentur à Deo, ipse non vellet omnia illa eodem modo ac principaliter, sicut amat essentiam, non enim eodem modo comparantur ad potentiam quæ principaliter & ratione sui attinguntur, & quæ non principaliter nec ratione sui attinguntur : ergo attributa divina ratione sui terminant principaliter divinam voluntatem. Prob. 2. eadem min. quia attributa sunt bonum simpliciter infinitum ac summum, non minùs quam essentia, cum sint ipsemet Deus formaliter & essentialiter : ergo per se primò ac principaliter amantur, nec non eodem amore necessario, quo ipsa divina amatur essentia ab ipso Deo. 41. Vide supra q. 14. art. 1 & infra q. 19. art. 2

Conf. 2. attributa & relationes non sunt objectum materiale & secundarium divini intellectus sicut sunt ipsæ creaturæ : ergo pertinent 42.

ad ejus objectum formale & primarium quod. Conseq. patet, quia objectum adæquatè dividi solet in formale seu primarium, & materiale sive secundarium. Dices, attributa & relationes, neque esse objectum primarium, neque propriè materiale & secundarium: sed veluti modos objecti primarij, & specificativi, aut objecta materialia transcendentaliter & intimè in se includentia ipsum objectum formale & primarium.

43. Contra: quia attributa divina essentialiter sunt ipsemet Deus, aliàs essent accidentia ejus: sed quidquid pertinet ad essentiam Dei in se, primò & per se attingitur eâ cognitione, quâ comprehensivè, quidditativè, atque intuitivè se cognoscit Deus, & subinde ad objectum primarium terminativum divinæ cognitionis spectat: ergo attributa & relationes ad objectum primarium terminativum divini intellectus divinæque cognitionis pertinent, & non ut modi objecti primarij, aut objecta materialia transcendentaliter, & intimè in se includentia ipsum objectum formale, & primarium.

44. Quarta conclusio: Creaturæ non pertinent ad objectum primarium divini intellectus, seu non sunt primò & principaliter intellectæ ab ipso. Prob. ex D.Thom. primò: Illud solùm est primò & per se ab intellectu cognitum, seu ad principale objectum ejus spectat, cujus specie intelligit: sed species, seu id quo Deus intelligit nil aliud est quam sua essentia, quæ principaliter & primò ac per se ipsum duntaxat Deum, & omnia quæ formaliter sunt in ipso repræsentat, non autem creaturas: ergo intellectum ab ipso primò & per se nil aliud est quam

Lib. 1. cont. gent. c. 48.

quam ipsamet. Maj. declaratur : omne agens agit sibi simile secundùm formam seu principium formale per quod est actu agens ; v.g. ignis producit sibi simile secundum calorem qui est ei principium formale activum per quod est agens : sed forma seu principium formale quo intellectus actu intelligit est species rei intellectæ per quam constituitur actu intelligens : ergo oportet quod intellectio cujus illa species est principium primò & per se terminetur ad id quod est proportionatum & simile principio formali intelligendi.

Min. etiam quoad 1. part. prob. primò, quia si per speciem aliam à suâ essentia Deus intelligeret, esset aliquid aliud divinæ ipsius essentiæ principium : sed hoc est absurdum : ergo species quâ Deus intelligit, nil aliud est quam sua essentia. Sequela prob. species est formale intellectionis principium, quemadmodum forma cujuslibet agentis est propriæ operationis principium : sed operatio actualis Dei est ejus essentia : ergo si per speciem aliam à suâ essentia Deus intelligeret, esset aliquid aliud divinæ ipsius essentiæ principium. Secundò prob. per speciem intelligibilem fit intellectus intelligens actu, sicut per speciem sensibilem sensus est actu sentiens : ergo comparatur species intelligibilis ad intellectum, sicut actus ad potentiam : ergo si divinus intellectus aliquâ aliâ specie intelligibili intelligeret, quam propriâ essentiâ, esset in potentiâ respectu alicujus, quod est absurdum. Tandem, quia species intelligibilis in intellectu præter essentiam ejus existens, habet esse accidentale : sed in Deo aliquod accidens esse nequit : igitur non est in

45. 1. cont. gent. cap. 46.

intellectu aliqua alia species præter propriam essentiam. Maj. patet, nam scientia nostra idcirco inter accidentia computatur, quia est species intelligibilis, seu collectio specierum in intellectu præter essentiam ipsius existens.

46. Quoad 2. etiam part. nimirum quod essentia divina principaliter & primò & per se ipsum duntaxat Deum, & omnia quæ formaliter sunt in ipso, creaturas autem solùm secundariò repræsentet. Prob. si Deus intelligeret se primò, & creaturas tanquam principale objectum, plures necessariò intellectuales operationes haberet: sed hoc est impossibile: ergo & quod intelligat creaturas primò & per se, & subinde quod primò & per se repræsententur in essentiâ divinâ, tanquam in specie intelligibili: illud enim primò & per se intelligitur, quod primò & per se in specie intelligibili repræsentatur. Maj. patet, nam operationes intellectus distinguuntur saltim materialiter penes objecta ad quæ per se terminantur, sicut est alia visio albi, & alia visio nigri. Min. verò prob. nam vel illæ operationes plures essent ipsamet divina essentia, vel aliqua ex illis non esset ejus substantia vel essentia? si primum: ergo essentia divina erit in plura divisa, nimirum in plures operationes realiter distinctas; si secundum: ergo erit aliquid in Deo, quod non erit essentia, sed accidens ejus, seu accidentaliter adveniens, quorum utrumque absurdum est.

Lib. 1. cont. gent. c. 48.

47. Conf. 1. intellectus differens à suo primo & per se intellecto est in potentia ad illud: sed intellectus divinus est realiter differens ab ipsis creaturis: ergo si ipsæ creaturæ sunt primò & per

ibid. rat. 4. & 5.

per ſe intellectæ à Deo, intellectus divinus erit in potentia ad illas, quod eſt impoſſibile, & abſurdum. Maj. prob. quia primum & per ſe intellectum, quando eſt differens ab intellectu, eſt ut actus & perfectio illius, ſecundum hoc enim intellectus perfectus eſt quod actu intelligit: quod quidem eſt per hoc quod eſt unum cum eo quod intelligit, tanquam ſcil. ipſo informatus ut propriâ formâ.

Conf. 2. operatio intellectualis ſpeciem & nobilitatem habet ſecundùm id quod eſt primò & per ſe intellectum, cum hoc ſit objectum illius primarium & ſpecificativum: ſed intellectualis operatio Dei nequit ſuam ſpeciem & nobilitatem habere ab ipſis creaturis: ergo creaturæ non ſunt primò & per ſe intellectæ, ſeu in divina eſſentia repræſentatæ. Min. prob. operatio Dei eſt ipſamet ejus eſſentia: ſed eſſentia Dei nequit ſuam nobilitatem ab alio habere, aliàs eſſet quid nobilius illâ: ergo cum creaturæ ſint realiter diſtinctæ, & differentes in eſſe à Deo & ejus intellectione, iſta nequit ſpeciem & nobilitatem ab ipſis creaturis habere. 48. ibid. rat. 7.

Nota quod, cùm una intellectio ad multa ſimul terminari valeat ſecundùm quod unum in altero continetur, illud tamen quod primò & immediatè per ſpeciem illam repræſentatur, ſpeciem ac nobilitatem tribuit, non verò quod mediatè & quaſi ſecundariò repræſentatur. Vnde eſto creaturæ repræſententur in divina eſſentia, & mediante eâ cognoſcantur, non tribuunt intellectioni divinæ ſpeciem & nobilitatem: ſed ſi detur quod per ſe & primò repræſententur, ſintque primò cognitæ & per ſe, non poteſt intelligi quin quodammodo nobilita- 49.

tem

tem & speciem divinæ illi intellectioni non dent.

§. III.

Solvuntur contraria argumenta.

49. ARg. 1. ratio objecti intellectus divini debet esse communissima : sed ens, seu verum in communi abstrahens à creato, & increato est communissimum : ergo debet assignari pro objecto adæquato formali & specificativo divini intellectus. Maj. prob. potentiæ cognoscitivæ perfectissimæ correspondet communissima ratio objecti : Sed inter omnes virtutes cognitivas perfectior est intellectus, & inter intellectivas perfectissimus est intellectus divinus : ergo ratio sui objecti debet esse communissima. Maj. patet, quantò enim potentia est perfectior, tantò est minus limitata, & ad plura se extendit. Minor etiam est evidens, quia secundùm Philos. in 3. de anim. Intellectus est quo omnia fieri, præsertim autem divinus, qui est maximè in actu.

50. Conf. quò potentia est perfectior, eò perfectius debet ipsi correspondere objectum : sed objectum, quò est universalius, eò est perfectius : ergo potentiæ perfectissimæ, qualis est intellectus divinus, assignari debet objectum universalissimum, quale est ens abstrahens à creato & increato. Min. prob. quia objectum quò est abstractius, eò est perfectius : sed quò universalius est, eò abstractius est : ergo quo est universalius, eò est perfectius.

51. Resp. dist. Maj. ratio objecti intellectus divini, ut divinus est, debet esse communissima, communitate formæ, & actus perfecti, seu per continentiam formalem & actualem, concedo:

cedo : communitate totius potentialis, & confusi, nego maj. Nam ista communitas est annexa imperfectioni, unde & conceptus entis dicitur esse maximè imperfectus, & omnium confusissimus; alia autem communitas perfectionem dicit, quia in tantum aliquid est perfectum, in quantum est actu : unde si sit maximè in actu, continens ut actus perfectus quidquid est, est maximè perfectum, & subinde potissimè est perfectio primi entis. Et dist.min. Sed ens, seu verum in communi, ut abstrahens à creato, & increato, est communissimum, communitate formæ, & actus perfecti, seu per continentiam formalem & actualem plurium perfectionum, nego min. est communissimum communitate totius potentialis, & confusi, seu indeterminati, concedo min. & nego conseq. Ad prob. maj. dist. potentiæ cognoscitivæ perfectissimæ correspondet communissima ratio objecti, communitate formæ, & actus perfecti, seu per continentiam formalem, & actualem plurium perfectionum, concedo : communitate totius potentialis & confusi, seu per continentiam indeterminatam & confusam plurium, nego maj. & concessâ minori dist. conseq. ut supra.

Resp. Similiter ad conf. concessâ majori dist. 52.
min. quò objectum est universalius, eò est perfectius, si sit universalius per modum formæ per se subsistentis, & actus perfecti, seu per continentiam actualem & formalem plurium in actu, concedo min. si sit universalius per modum totius materialis, vel potentialis, & confusi, nego min. & dist. conseq. eodem modo. Ad prob. dist. maj. objectum quò est abstractius,

ctius, abstractione reali, & per abstractionem actus per se subsistentis ab omni materia & potentialitate, concedo maj. abstractione rationis tantùm, & universalis à particulari, nego: nam species non est abstractior genere, & tamen est perfectior. Essentia autem divina primo modo abstrahit, quia est forma habens esse omnino illimitatum, unde est perfectissima, & omnia continet, estque in esse intelligibili omnium species. Et ad minorem dico, quod quò universalius est, eò abstractius est, secundum modum universalitatis, quam habet 1 quia si sit universalius in causando, & ut actus perfectus, seu per continentiam actualem plurium, eo abstractius est, abstractione reali ab omni materia, & potentialitate in re : si sit universalius per modum totius potentialis, est abstractius, quia de pluribus prædicatur. Itaque loquendo de objecto specificativo divini intellectus, quod est primum intellectum quo, est communissimum ut forma & species intelligibilis omnium, quæ quoquo modò sunt, nec tamen æqualiter ex parte rei cognitæ, sed est sui primò, & aliorum à se secundariò tantum, & ratione propriæ essentiæ, ad quam dicunt habitudinem. Ex parte etiam rei intellectæ est communissima, quia omnia eminentissimo modo continet, & quidquid est ens, & intelligibile, id habet per ordinem ad Deum, seu divinum esse.

53. Arg. 2. objectum adæquatum specificativum debet continere omnia, quæ ab aliqua potentia attingi possunt: sed verum increatum non continet sub se omnia, quæ possunt ab intellectu divino cognosci : ergo non est objectum adæquatum

quatum specificativum divini intellectus, sed ens abstrahens à creato, & increato. Maj. patet, nam objectum adæquatum est terminus adæquatus virtutis ipsius potentiæ, itaut ipsum excedere nequeat, aliàs adæquatū non erit. Minor etiam est evidens, quia creaturæ, quæ à Deo cognoscuntur, sub ente increato non continentur.

Conf. Ens commune Deo & creaturis, est ab eo cognoscibile primariò, & ratione sui: ergo est objectum illius primarium. Anteced. prob. Deus cognoscit omne verum omni modo quo est cognoscibile: sed ens commune Deo & creaturis est cognoscibile primariò & ratione sui, & sic de facto cognoscitur ab intellectu creato: ergo ens commune Deo & creaturis ab intellectu divino cognoscitur primariò & ratione sui. 54.

Resp. dist. maj. objectum adæquatum specificativum debet continere omnia, quæ ab aliqua potentia attingi possunt, primariò tantùm, & ut partes subjectivas ipsius objecti, nego: sive primariò, sive secundariò, & ut dicunt attributionem ad ipsum, concedo maj. Et dist. min. non continet primariò, & ut partes subjectivas, vel species objecti, concedo min. ut dicentia habitudinem effectus ad causam, sive efficientem, sive exemplarem, sive finalem, aut omnibus his modis simul, nego min. Et hoc pacto omnia, quæ à Deo cognoscuntur, continentur sub Deo, quia dicunt habitudinem aliquo modo ad ipsum, ut infra dicetur ampliùs. Vide supra quæst. 1. art. 7. Resp. ad conf. dist. antec. Ens commune Deo & creaturis est ab eo cognoscibile primariò & ratione sui secundùm 55.

dùm totum ambitum potestatis ejus, nego antec. secundùm principale ipsius attributionis analogatum, quod est ipsemet Deus concedo. Nam cum Dei cognitio sit perfectissima & distinctissima, nequit cognoscere ens, nisi penetrando omnia quæ sub ente continentur, sub eo autem primariò & per se est ipsemet Deus per ordinem ad quem cætera habent rationem, & esse, ac subinde à divino intellectu, primariò & per se divina essentia attingitur, cætera per attributionem ad ipsam. Ad prob. concessâ majori, intellecta de cognitione per essentiam suam, & non per speciem ipsarum rerum, dist. min. ens commune Deo & creaturis est cognoscibile primariò & per se cognitione confusâ, transeat minor: cognitione distinctâ, & perfectâ, nego min. loquendo de ente secundum totum ambitum potestatis ejus; sub eo enim continentur Deus & creaturæ: & ipsamet Dei essentia, cum sit propria forma intelligibilis sui intellectus, primariò & per se intelligitur; creaturæ autem secundariò & per habitudinem ad Deum. Similiter continentur substantia & accidens, & istud non est definibile neque intelligibile nisi per ordinem ad substantiam. Ad illud quod additur, nimirum quòd de facto intelligitur primariò & per se ab intellectu creato, cognitione confusâ, concedo: perfectâ & distinctâ, nego: nam conceptus entis est omnium confusissimus & maximè imperfectus, primarióque attingitur ab intellectu nostro progrediente de potentia ad actum. Cognitione enim distinctâ & perfectâ primò cognoscitur species, quæ dicit totam rei essentiam. Vide quæ diximus tom.2. Clyp. Philos.

quæst.

quæst. 2. & tom. 3. lib. 1. quæst. 1. art. 2.

Arg.3. Essentia divina habet rationem objecti specificativi, seu motivi, prout est in se: 56.
sed essentia divina prout est in se, est attributa & relationes, cùm ab illis solùm ratione distinguatur: ergo essentia divina, prout habet rationem objecti specificativi, & motivi, attributa & relationes includit.

Resp. aliorum solutione omissa, dist. maj. 57.
Essentia divina habet rationem objecti specificativi, seu motivi, prout est in se, per modum primi intellecti quo, & in esse intelligibilis formaliter, nego maj. per modum intellecti secundi, & quasi radicaliter, seu in esse rei, concedo maj. Et dist. min. sed essentia divina prout est in se est attributa & relationes per identitatem realem, seu rei in se, concedo: per identitatem intelligibilem, nego: hoc enim formaliter habet in quantum est forma & species intelligibilis divini intellectus constituens ipsum in actu intelligentem se & alia. Et dist. cõsequens eodẽ modo. Hinc est quod visio beatifica, ex eo quod intuitiva, & Dei in se, petit attingere omnia quæ formaliter sunt in Deo, essentiam, attributa & personalitates seu relationes, quia hæc omnia in esse divino, quod est ipsamet Dei essentia, continentur.

Arg. 4. objectum primarium specificativum 58.
intellectus divini debet esse perfectissimum omnium, quæ excogitari possunt: sed ens divinum ambiens naturam divinam, relationes, & attributa est omnium perfectissimum, quæ in Deo considerari possunt: ergo est objectum primarium divini intellectus. Maj. patet, quia intellectus divinus est potentia perfectissima,

ac

ac ſubinde perfectiſſimum ſibi vendicare debet objectum. Minor verò prob. nam ens divinum ſic ſumptum eſt omnibus modis infinitum & actus purus, in ſua ratione includens quidquid eſt in Deo, quod non habet eſſentia.

59. Conf. attributa & relationes non ſunt objectum materiale & ſecundarium duntaxat divinæ intellectionis, ſicut creaturæ : ergo pertinent ad objectum illius formale & primarium: cum inter utrumque nullum aliud mediet, ad quod pertinere & reduci queant.

60. Reſp. ad arg. diſt. min. Ens divinum ambiens naturam, & relationes, atque attributa eſt perfectiſſimum in linea entis, & per modum ſecundi intellecti, ſeu rei, quæ intelligitur, concedo: per modum ſpeciei intelligibilis, & primi intellecti quo, ſeu principij formalis intelligendi, nego min. hoc enim modo ipſa eſſentia divina, ut eſt ratio ipſius Dei, repræſentans & continens omnium intelligibilium ſpecies eſt perfectiſſima. Vnde diſt. conſeq. ergo ens divinum includens naturam divinam, attributa, & relationes eſt objectum primarium, per modum primi intellecti quo, nego conſeq. per modum ſecundi intellecti, ſeu rei quæ intelligitur, concedo conſeq.

61. Reſp. ad conf. eodem modo, conceſſo antecedenti diſt. conſeq. pertinent ad objectum formale quod, & per modum ſecundi intellecti, concedo conſeq. Nam ſunt de ratione intrinſeca deitatis ſecundùm rem. Pertinent ad objectum formale quo, ſeu per modum primi intellecti quo, & principij formalis intelligendi, nego conſeq. Quapropter non eodem pacto, quo creaturæ ad objectum divini intellectus

ctus spectant, quæ duntaxat pertinent ad materiale objectum quod, cum nonnisi ratione divini intelligibilis cognosci & intelligi queant.

Arg. 5. de ratione objecti formalis specificativi ac motivi intellectus est distingui realiter, vel saltim virtualiter ab intellectione: sed divina essentia, in probabili sententia, quæ assignat intellectionem divinam pro formali constitutivo naturæ divinæ, ne virtualiter quidem ab intellectione distinguitur: ergo divina essentia nequit esse objectum specificativum divinæ intellectionis, seu divini intellectus. Maj. prob. objectum motivum se debet habere ut principium, saltim realiter virtualiter influens in intellectionem: sed nihil potest intelligi in seipsum influere: ergo de ratione objecti formalis specificativi est distingui realiter, saltim virtualiter, ab intellectione. Idem argumentum de objecto terminativo fieri potest, quia actio non terminat seipsam, cum significetur per modum fluxus in alterum. 62.

Resp. imprimis nos non assignare pro constitutivo metaphysico divinæ naturæ intellectionem actualem (ut videre est supra quæst. 2. art. 3. cap. 7.) sed intellectualitatem, seu esse intellectivum in esse rei, & naturæ consideratum. Quo pacto non incongruit inter essentiam, & actualem intellectionem significatam per modum operationis actualis, vel inter eam & ipsum intellectum, qui ponitur attributum ejus, distinctionem realem virtualem, seu distinctionem rationis cum fundamento in re constituere, Resp. 2. ex dictis, quòd cum ratio objecti motivi non sit propriè in Deo, nisi 63.

quoad modum significandi duntaxat, sufficit etiam distingui quoad modum significandi à divina intellectione: respectu cujus, quoad modum significandi essentia divina sumpta in ratione speciei intelligibilis, seu primi intellecti quo significatur habere rationem principij formalis activi.

64. Arg. 6. cont. 3. illud est objectum formale terminativum alicujus potentiæ, quod ratione sui ab illa attingitur, & ratione cujus cætera attinguntur ab illa: sed essentia divina ratione sui à divino intellectu attingitur, attributa verò & relationes ratione essentiæ: ergo hæc, ut ab illis virtualiter distincta, est objectum formale terminativum divini intellectus. Prob. min. quod ratione sui non repræsentatur intellectui divino, sed ratione essentiæ, non cognoscitur ratione sui, sed ratione essentiæ: atqui attributa, & relationes non ratione sui, sed ratione essentiæ repræsentantur intellectui divino: ergo non ratione sui, sed ratione essentiæ cognoscuntur. Maj. est certa, nam inter objecta idem ordo servatur in terminando cognitionem, ac in terminando repræsentationem: unde quia ens rationis non repræsentatur per propriam speciem, sed per speciem entis realis, ad cujus similitudinem confingitur, non primariò, sed secundariò ab intellectu nostro cognoscitur: nec aliâ ratione creaturæ secundariò cognoscuntur à Deo, nisi quia secundariò repræsentantur per speciem, quâ divinus intellectus intelligit. Minor verò prob. species, quâ Deus intelligit, est sola divina essentia: sed divina essentia, ut species intelligibilis, seipsam solùm primò repræsentat; alia verò ratione sui:

vel

vel quia illa eminenter continet, ut creaturas; vel quia in illis intimè includitur, ut attributa & relationes: ergo attributa & relationes, non ratione sui, sed ratione essentiæ intellectui divino repræsentantur.

Conf. quia divina essentia est infinita simpliciter in ratione speciei intelligibilis, non tantùm est ratio cognoscendi seipsam, sed etiam creaturas, & omnia alia, quæ à divino intellectu cognoscuntur; sed etiam in ratione objecti est infinita simpliciter: ergo non tantùm est ratio objectiva cognoscendi seipsam, sed etiam relationes & attributa; omnéque objectum à divino intellectu cognoscibile. 65.

Resp. ad arg. dist. maj. illud est objectum formale terminativum alicujus potentiæ, quod ratione sui ab illa attingitur, per modum termini ultimati, & secundi intellecti, seu rei quæ intelligitur, concedo maj. per modum principij intellecti, vel termini non ultimati, nego maj. Nam, ut notavimus, objectum propriè dicitur sola res quæ intelligitur, & non species vel verbum. Et dist. min. Essentia divina sumpta in ratione speciei intelligibilis aut verbi, seu per modum primi intellecti quo, vel quod, concedo min; sumpta per modum secundi intellecti, seu rei quæ intelligitur, nego min. sic enim in sua intrinseca ratione claudit essentialiter quidquid est in Deo, & quidquid est in Deo est Deus, & subinde primò & per se cognoscibile eâ cognitione, quâ cognoscitur Deus à seipso sicuti est in se. Ad prob. autem dist. maj. quod repræsentatur intellectui divino, non ratione sui, sed ratione essentiæ, non cognoscitur ratione sui, sed ratione essentiæ, si re- 66.

præſentetur ratione eſſentiæ tanquam ſpeciei intelligibilis, & primi intellecti, non verò intellecti ſecundi, ſeu rei quæ intelligitur, nego: ſi repræſentetur ratione eſſentiæ, tam habentis rationem ſpeciei, ſeu primi intellecti, quam ſecundi intellecti, ſeu rei quæ intelligitur, concedo maj. Et diſt. min. repræſentantur rationę eſſentiæ ſumptæ in ratione ſpeciei intelligibilis ſeu primi intellecti, concedo; ſumptæ in ratione ſecundi intellecti, ſeu rei quæ intelligitur, nego: ſic enim eſſentialiter ſunt ipſamet divina eſſentia, ſeu Deus, & impoſſibile eſt quidditativè intelligere Deum intellectione quidditativâ, præſertim comprehenſivâ, cujuſmodi eſt intellectio divina, niſi per ſe omnia intelligantur, quæ formaliter ſunt de ratione intrinſeca divini eſſe. Ad prob. diſt. min. eâdem diſtinctione.

67. Ad conf. reſp. diſt. conſeq. ergo eſt ratio objectiva cognoſcendi non tantùm ſeipſam, ſed etiam attributa & relationes, ut aliquid extra conceptum eſſentiæ divinæ ſecundum ſe ſumptæ, nego conſeq. ut aliquid de conceptu eſſentiali ejus ſumptæ ut eſt in ſe, concedo conſeq. Et ſic hæc omnia primò cognoſcuntur; non verò creaturæ, quia non attinguntur ut quid pertinens ad eſſentiam Dei, ſed ut effectus participantes aliquo modo ſimilitudinem divini eſſe. Per hæc patet ad omnia alia argumenta, quæ objici poſſunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Deus cognoſcat alià à ſe propria cognitione.

CAPVT I.

Quorundam relato errore ſtatuitur concluſio D. Thomæ & probatur.



VERROES 12. *Metaphyſ. text.* 51. in eo verſatus eſt errore, ut exiſtimaret Deum de aliis rebus à ſe nonniſi in communi, & inquantum ſunt entia notitiam habere. Quia enim eſſe divinum eſt cauſa eſſendi omnibus rebus, inquantum Deus novit eſſe ſuum, naturam eſſentiæ in omnibus inventam rebus cognoſcere aiebat. Sicut enim qui calorem ignis noſſet, naturam caloris in omnibus calidis exiſtentis non ignoraret; non tamen naturam hujus, & illius calidi, inquantùm eſt hoc & illud, ſciret: haud ſecus Deum, per hoc quod eſſentiam ſuam cognoſcit, quamvis rerum omnium eſſe cognoſcat, inquantum ſunt entia: non tamen rem cognoſcere nos, inquantum eſt hæc, vel illa autumabat. Nec ex hoc ſequitur, inquiebat, quod Deus ſit ignorans: quia ipſius ſcientia non eſt de genere ſcientiæ noſtræ; unde nec ignorantia oppoſita ſibi poteſt convenire, ſicut neque de lapide dicitur, quod ſit videns vel cœcus. Eundem errorem Algazeli tribuit Dite-

1. 1. ſent. diſt. 35. qu. 1. art. 3.

ctorium Inquisitorum 2. p. q.4. In eundem errorem impegisse videtur Aristoteles, saltim quoad res minutissimas & abjectas. Nam lib. 12. Metaphys. text. 51. disputans quid & quomodo divina mens intelligat. *An*, inquit, *de quibusdam ipsum cogitare absurdum est?* Et subjungit: *Manifestum itaque est, quod illud intelligit, quod divinissimum, honorabilissimumque est.* Et infra: *Quædam*, ait, *melius est non videre, quam videre; alioqui non fuerit quod optimum intellectio. Seipsam ergo intelligit, si est quidem quod optimum est.* Vbi docere videtur à mente divina nullam rem creatam intelligi propriè ut est ipsa, vel certè non res viliores, ne alioqui divinus intellectus vilescat. Atque hanc eandem sententiam tribuit Aristoteli Commentator ejus Averroës, nec solùm ipse, sed aliqui etiam Scriptores Ecclesiastici, ut Clemens Alex. lib. 5. Stromat. Theodoretus lib. 6. de curandis affect. Græc. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 13. & alij. Philosophum ab hoc errore liberant viri eruditi non pauci, existimantes ipsum, cùm Deo solam suiipsius cognitionem tribuere videtur, solùm voluisse quod se primariò & per se intelligat, cætera quælibet secundariò duntaxat. Et ita interpretatur eum D.Thom. lect. 11. *Considerandum est*, inquit, *quod Philosophus intendit ostendere, quod Deus non intelligit aliud sed seipsum, inquantum intellectum est perfectio intelligentis, & ejus quod est intelligere. Manifestum est autem quod nihil aliud sic potest intelligi à Deo, quod sit perfectio intellectus ejus. Nec tamen sequitur quòd omnia alia à se sint ei ignota; nam intelligendo se, intelligit omnia alia.* Vnde ipsemet Arist. lib. 3. Metaphys. text. 15. redarguens

Empedoclem dicentem, Deum, quia in se non habet discordiam & contentionem, discordiam & contentionem non intelligere, pro absurdo illi objicit, quod tunc Deus, alioqui fœlicissimus, minùs sapiens esset cæteris, qui contentionem & discordiam intelligunt. Et rursus lib.1. de anima text.80. *Accidit*, inquit, *Empedocli insipientissimum esse Deum, solus enim elementorum unum non cognoscet, ipsam discordiam.* Quidquid sit de Aristotelis mente & sensu, hunc errorem tribuit Iob cap. 22. quibusdam dicentibus: *Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat*, ubi D.Thom. Quid enim novit Deus de istis inferioribus rebus: non tamen, quod hujusmodi homines rerum cognitionem Deo totaliter substrahant, sed dicunt, quòd eas cognoscit in universali, cognoscendo naturam entis, vel universales causas. Vnde subdit, & quasi per caliginem judicat. Ita etiam explicant D. Caietanus & Lyra.

Impugnatur hæc positio: Ille, cujus cognitio est perfectissima, cognoscit res non solùm in communi & confusè, sed distinctè & in particulari: sed Dei cognitio est perfectissima sicut & esse illius, cum quo eadem est realiter: ergo Deus non cognoscit alia à se in communi duntaxat & ut sunt entia, sed in particulari & distinctè. Maj. prob. quia cognitio quæ habetur de aliqua re in communi est imperfecta; unde intellectus noster, qui de imperfecto ad perfectum in sua cognitione procedit, priùs cognoscit res in communi & in confuso, deinde in particulari & distinctè. 2.

Conclus. Deus non solùm cognoscit res in 3.
communi, sed etiam propriâ cognitione se- Hic & in

1. dist. 35. q. 1. art. 3. q. 2. de verit. art. 4. cundùm quod abinvicem distinguuntur, seu cognoscit omnium rerum proprias naturas sive rationes, atque operationes. Hæc conclusio est de fide, ut sumitur ex D. Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 31. dicente: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem, rerum omnium atque operum, tam suorum quam humanorum certissimum cognitorem.* Non autem rerum omnium & operum esset certissimus cognitor, nisi eas secundùm proprias rationes cognosceret: quia certitudo perfecta de rebus nonnisi per proprias ipsarum causas accipitur. Continetur hæc fidei doctrina sub articulo de Omnipotentia. Nam ut notat D. Thom. 2. 2 q. 1. art. 8. ad 2. *Omnipotentia Dei includit omnium scientiam & providentiam. Non enim posset omnia quæ vellet in istis inferioribus agere, nisi ea cognosceret, & eorum providentiam haberet.*

4. Probat S. D. in Sed contra ex Apostolo ad Hebr. cap. 4. dicente de ipsa divina scientia, & cognitione: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* In quæ verba Theodoretus ait: *Nihil potest latere illum incorruptum judicem, rectè ac perfectè scit omnia, vel ipsarum cogitationum motus. Novit quæ sunt in tenebris, novit quæ clanculum committuntur. Non latent eum improba animi consilia. Ei etiam, quæ sunt occulta, nuda sunt.* Et non solùm quid quisque cogitet in corde suo, verumetiam quâ intentione cogitet & velit, exactissimè novit, discernit, ac dijudicat. Nam *Discretor* in græco

est κριτικὸς Dicebantur autem Critici homines acris judicij, qui de libris, aut versibus censere poterant, atque discernere quid probum, quid reprobum, quid verò spurium ac suppositilium: quales in censendis Homeri versibus Aristarchus, & Aristophanes memorantur. Vocatur itaque Deus Discretor sive Criticus cogitationum & intentionum quia perfectissimè novit, & discernit, non modò ea quæ patent omnibus, sed & quæ profundiùs latent. Vnde S. Basilius in Psal.32. explicans illud, *De cœlo prospexit Dominus, vidit omnes filios hominum*, inquit: *Considera è sublimi despectantem: considera è cœlo res mortalium introspicientem. Quocumque tandem perges, quodcumque demum efficies opus, sive in tenebris, sive in diei luce, Dei oculum superintendentem habes ex preparato habitaculo suo. Non aperiuntur portæ, non contrahuntur cortinæ. Paratum est continuò ad quidvis spectandum Dei habitaculum: omnes aspicit filios hominum, ne unus quidem ipsius fugere conspectum possit: non tenebræ, non parietes quemquam possint oculere, oculis Dei nihil obstaculi, nullum oppanditur velamen, tantumque abest, ut unumquodque non videat, ut etiam corda contempletur, & introspiciat, quæ ipse finxit citra ullam admissionem ad malitiam inclinantem. Cor enim finxit opifex hominum Deus ad sui ipsius imaginem: propterea omnia opera nostra intelligit, opera etiam dicimus & verba, & cogitationes, utque simul universam motionem hominis, quali item affectu, quove proposito movemur: an hominibus magis quam Dei mandatis placere studeamus, & obsequi solus videt, qui intelligit omnia opera nostra. Quapropter & de quovis verbo otioso rationem dabimus.*

bimus. Et ne poculi quidem aqua frigida mercedem perdemus, quando opera nostra Dominus intelligit.

5. q. 2. de verit. art. 4. in sed contra 1. & 1. sent. dist. 35. q. 1. art. 3.

Ex quibus prob. concl. Nullus inter ea discernere potest, de quibus propriam cognitionem non habet: sed Deus hoc modo creaturas cognoscit, quod inter eas discernit: ergo Deus propriam de rebus cognitionem habet. Min. patet, nam cognoscit hanc creaturam non esse illam, aliàs non posset dare singulis juxta capacitatem, nec redderet unicuique secundùm opus suum, justè de actibus & operibus hominum judicando. Conf. 1. Quia Deus non est causa rerum quantùm ad esse earum in communi dumtaxat, sed etiam quantùm ad omne illud quod in re est: sed effectus perfectè cognoscitur per causam secundum quod causa est similitudo illius: ergo Deus per essentiam suam, ut causam omnis esse, perfectè & distinctè cognoscit quamlibet rem aliam à se. Maj. prob. cum enim per causas secundas determinetur unaquæque res ad proprium esse, omnes autem causæ secundæ sint à prima, oportet ut quidquid est in re, vel proprium, vel commune reducatur in Deum sicut in causam; cum res à seipsa non habeat nisi non esse. Conf. 2. quia impossibile est, quod aliquod agens ordinet effectum suum in finem, nisi cognoscat proprium opus rei, per quod in finem ordinatur; sed à Deo est ordinatio omnium rerum in finem: igitur oportet ut cognoscat proprium rei cujuslibet opus, & propriam naturam, quæ tali operationi convenit, & subinde quod de omnibus rebus distinctam & determinatam cognitionem habeat.

6. Quomodo autem id fieri possit, quidam inepte

tè satis explicare conati sunt, ut refert S. D. duobus hisce exemplis. Primum de centro, quod quidem, si seipsum cognosceret, cognosceret etiam omnes lineas à se progredientes. Alterum est de luce, quæ si seipsam cognosceret, pariter omnes colores nosset. Sic, ajebant ipsi, Deus cognoscendo se, qui est tanquam Centrum, & Lux, à quo omnes creaturæ proveniunt, omnes creaturas noscit. Sed quod hæc exempla non sint convenientia, apparet: Quia ex his nil aliud ostenditur, quam quod Deus res in confuso duntaxat cognoscat, non autem secundùm quod sunt abinvicem distinctæ. Nam si centrum cognosceret seipsum, cognosceret quidem omnes lineas ut in se sunt; & ut ad se ipsum terminantur, non tamen nosset eas prout abinvicem distinguuntur, cum distinctio linearum non sit à centro, sed à diverso situ. Similiter si lux cognosceret seipsam, cognosceret quidem se esse colorum principium, non autem colorum diversitatem, cùm hæc non ab ipsa luce, sed à diversa diaphani dispositione promanet. In Deo autem creaturæ continentur, non solùm secundùm id, in quo conveniunt, sed etiam secundùm ea per quæ abinvicem distinguuntur: Omnes enim perfectiones in creaturis repertæ, excellentiori modo in Deo existunt: sed non modò id in quo creaturæ conveniunt, sed etiam id in quo abinvicem distinguuntur, sunt perfectiones quædam, ut vivere, per quod differt vivens à non vivente, & intelligere, per quod intelligens à non intelligente distinguitur: ergo creaturæ sunt in Deo, non modò secundùm illud in quo conveniunt, sed etiam secundùm

ea, in quibus differunt. Ex quo ſequitur, quod Deus cognoſcendo ſe, non tantùm cognoſcat creaturas eo modo quo centrum, ſi eſſet cognoſcitivum, cognoſceret lineas; vel lux colores, ſed etiam quoad propria.

7. Vnde per aliud exemplum magis accómodatum oſtenditur præfata concluſio à S. D. & eſt: Quod eſſentia Divina ad res creatas cóparatur, non quidem ſicut centrum ad lineas, aut lux ad colores; & univerſaliter ut commune ad proprium, ſed comparatur eis ſicut actus perfectus ad actus imperfectos, ut homo ad animal, & ſenarius ad binarium. Ex quo exemplo ſic manifeſtatur concl. Per actum perfectum omnes actus imperfecti in eo contenti cognoſcuntur, non ſolùm in communi ſed ſecundùm proprias earum rationes; ſicut ſi hominem perfectè noverim, cognoſco etiam perfectè animal & ſubſtantiam: ſed eſſentia Dei eſt actus perfectiſſimus omnes creaturarum perfectiones modo perfectiſſimo continens: ergo dum ſe perfectè cognoſcit, creaturas ipſas etiam cognoſcit, non modò in communi, ſed etiam diſtinctè & ſecundùm proprias earum rationes.

8. Conf. cognoſcens omnes modos, quibus divina perfectio eſt participabilis, cognoſcit res ſecundùm propriam cognitionem; ſed Deus perfectiſſimè novit omnes modos, quibus ſua perfectio eſt participabilis, cùm ſuam eſſentiam perfectiſſimè noſcat: ergo Deus diſtinctiſſimè novit omnes & ſingulas creaturas, & ſecundùm propria ipſarum. Maj. patet, quia diverſarum creaturarum perfectiones nil aliud ſunt quam diverſi modi participãdi divinam perfectionem.

Objicies

Objicies primo contra doctrinam allatam: ſcientia Metaphyſicæ eſt cognitio perfectiſſima, & tamen non attingit ens niſi ſecundum communiſſima illius prædicata: ergo &c. Reſp. quod cognitio Metaphyſicæ eſt perfectiſſima in ſuo genere, quia attingendo ens inquantum ens, attingit illud ſecundùm propria entis hujuſmodi ut diſtinguitur ab aliis, novitque omnes illius proprias paſſiones & attributa, ſeu conditiones &c. Quod autem non deſcendat ad propria cujuſque in particulari, hoc non derogat perfectioni ejus, quia ſibi non debetur, ſed aliis ſcientiis particularibus, quæ tamen principiis Metaphyſicæ quodammodo innituntur, ſicut univerſaliſſimis cauſis cognitionis; ſed Dei ſcientia, cum ſit unica eſt perfectiſſima ſimpliciter & in omni genere, & linea, ac ſubinde proprias omnium rerum rationes attingere debet. Et hoc intendit ratio D. Thomæ.

Objicies ſecundo contra exemplum adductū de Senario; nam non eſt par ratio de cognitione creaturarum in Deo, & binarii in ſenario: nam ſenarius continet binarium & alios numeros imperfectos, quorum quilibet habet ſuam actualitatem & diſtinctionem, continentur enim iſti in illo per modum plurium unitatum: perfectiones autem, quæ in divina eſſentia continentur, non ſunt in illa ſecundùm ſuas proprias actualitates, & diſtinctè, ſed unitiſſimè: ergo nequeunt cognoſci diſtinctè per cognitionem divinæ eſſentiæ. 9.

Reſp. notando ex D. Auguſtino lib. 4. de Trinit. c. 4. & 8. & lib. 11. de civit. Dei c. 3. numerum 10.

numerum senarium esse perfectum, quia partes æquales in quas dividitur, non excedunt totum. Vnde creaturarum conditio numero dierum senario perfecta legitur. Quod & observavit Hieronymus c. 41. in Ezech. In eo autem non continentur numeri imperfecti, nimirum binarius, & ternarius, secundùm suas formas, & ultimas actualitates, quia ut sic specie differunt, & nullatenus sunt partes ejus: sed continentur unitè in exercitio tanquam in forma totali superiori. Vnde cum forma totalis, v. g. humanitas cognosci nequeat, nisi cognitis omnibus, quæ sunt in ratione ipsius, nimirum rationali, & animali, & radicaliter materia & forma, ita neque senarius cognosci potest adæquatè nisi cognitis numeris imperfectis ex quibus coalescit, ut stant sub una senarij forma totali. Et hoc modo ait D. Thom. quod sicut cognoscuntur numeri imperfecti cognito senario perfectè, esto non contineantur nisi virtualiter in illo, ita & cognitâ essentiâ divinâ ut formâ perfectissimâ superiori cognoscuntur omnia quæ unite & virtualiter in ea continentur, nimirum creaturæ, secundùm proprias rationes.

CAPVT II.

In quo medio Deus creaturas possibiles cognoscat.

11. CVm nihil possit cognosci nisi ens & verum, difficultas impræsentiarum occurrit, quomodo Deus creaturas possibiles, quæ nec sunt, nec fuerunt, aut erunt, possit distinctè cognoscere,

cognoscere, & in quo medio de illis determinatam cognitionem habeat. Sciendum est ex D. Thom. quod medium, tam in visione corporali, quam spirituali, triplex invenitur. Primum est medium sub quo videtur, & hoc est quod perficit visum ad videndum in generali, quod in visione corporali est lumē corporeum, in intellectuali verò est lumen intellectus agentis. Secundum est medium quo videtur, & hoc est similitudo rei visæ, seu species intelligibilis, aut visibilis. Tertium est medium in quo videtur: & hoc est id, per cujus inspectionem ducitur visus in aliam rem; sicut inspiciendo speculum ducitur in ea, quæ in speculo repræsentantur; & videndo imaginem ducitur in imaginatum: & sic etiam intellectus per cognitionem causæ in cognitionem ducitur effectus, vel è converso. 4.dist. 49 q.2. art. 1. ad 16.

12. Certum esse debet apud omnes, essentiam divinam in cognitione, quâ Deus creaturas quaslibet cognoscit, habere rationem medii sub quo, & medii quo, seu speciei intelligibilis, quod probatum est supra art. 5. & hoc expresse docet S. D. dicens: *In visu corporali est duplex medium, scil. sub quo cognoscit, quod est lumen, & hoc medio non determinatur visus ad aliquod speciale objectum: essentia autem divina in cognitione divina, quà cognoscit res, tenet locum utriusque, & ideo propriam cognitionem de singulis rebus facere potest.* Tota igitur difficultas, utrum essentia divina habeat rationem medii in quo seu priùs cogniti, & ducentis in cognitionem creaturarum, sicut causa ducit in cognitionem effectus, dum visa ipsa videtur effectus. Negant P. Vasquez hic disp. 60. cap. 2. & quidam Quæst. 2. de verit. art. 5. ad 10.

alij

alii Recentiores, asserunt commmniter Theologi, præsertim discipuli D. Thomæ.

13. Conclusio: Deus creaturas possibiles in seipso seu in essentia sua, tanquam in medio in quo seu prius cognito, & tanquam in principio activo seu finali earum, cognoscit. Hanc conclusionem docet expresse S. D. q. 2. de verit. art. 8. ubi sibi ita objicit: *Sicut dicit Dionys. cap. 5. de divin. nom. cognitiones non sunt nisi existentium: sed illud quod nec est, nec erit, nec fuit, non est aliquo modo existens: ergo de illo cognitio Dei esse non potest.* Et respondet: *Ad primum ergo dicendum, quod illa, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, sunt aliquo modo existentia in potentia Dei, sicut in principio activo: vel in bonitate ejus sicut in causa finali.* Et clarius solut. ad 5. *Dicendum*, ait, *quod illa, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, secundum hoc habent veritatem, secundùm quod habent esse, prout scil. in suo principio activo, vel finali, sunt: & sic etiam cognoscuntur à Deo.*

14. Ex quibus prob. conclusio primò: Deus non potest cognoscere aliquod objectum, nisi secundùm quod habet esse & veritatem: sed creaturæ possibiles non habent esse & veritatem, nisi ut continentur in Deo tanquam in principio activo & finali: ergo tantummodo à Deo cognosci valent, prout continentur in eo tanquam in principio activo & finali. Maj. patet, tum authoritate D. Dionysii supra allatâ; tum etiam quia objectum intellectus divini est verum & ens. Minor verò prob. quia esse creaturarum possibilium non est esse in se, & extra suas causas actu: ergo est esse, prout in causa activa & finali, quia tantum datur duplex sta-

tus

tus essendi in re, nimirum in propria natura, seu in seipso, & in causa: ergo cùm cognoscantur prout habent esse, necessum est ut cognoscantur secundùm quod habent esse in Deo sicut in causa, seu principio activo & finali.

Conf. ex eodem S. D. ibidem, ubi sibi ita objicit: *Omnis cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum: sed intellectus divinus non potest assimilari ad non ens: ergo non potest cognoscere non ens.* Respondet S. D. *Ad secundum dicendum, quod cognitio quæ accipitur à rebus cognitis consistit in assimilatione passiva, per quam cognoscens assimilatur rebus cognitis prius existentibus: sed cognitio, quæ est causa rerum cognitarum consistit in assimilatione activa, per quam cognoscens assimilat sibi cognitum: & quia Deus potest sibi assimilare illud quod nondum est sibi assimilatum; ideo potest etiam non entis* (hoc est, possibilis, quod vocat non ens, quia actu non existit) *cognitionem habere.* 15.

Ex quibus sic: omnis cognitio est per assimilationem quandam cognoscentis ad cognitum: ergo eatenus creaturæ possibiles habent esse in scientia & cognitione Dei, quatenus sunt quodammodo similes Deo: sed non sunt similes Deo cognoscenti activè, seu per hoc quod causent sui similitudinem in Deo, sicut res naturales causant sui similitudinem in intellectu nostro: ergo sunt similes Deo, quatenus ipse potest eas sibi assimilare: sed non potest eas sibi activè assimilare, nisi per hoc quod potest eis aliquod esse tribuere; nec potest hoc esse tribuere nisi per suam bonitatem & potentiam quæ sunt causæ omnis esse: ergo sunt similes seu possunt esse similes quatenus 16. Vide ibidem art. 14. in corp.

in ejus bonitate, & potentia continentur sicut in causa: ergo medium in quo eas videt Deus est ejus potentia & bonitas quæ se habent in ratione principij activi & finalis illarum. Prima minor patet: quia cognitio Dei non est accepta à rebus, nec mensurata ab eis, sed per essentiam suam, quæ est mensura activa omnis esse, omnia cognoscit. Conseq. etiam est evidens, quia non est nisi duplex assimilatio cognoscentis ad cognitum, videlicet activa & passiva. Secunda minor etiam constat: quia omnis similitudo est per convenientiam alicujus formæ, Deus autem est suum esse; unde eatenus creaturæ possibiles Deo similantur, quatenus aliquod esse participare possunt: ratio autem propter quam communicat Deus esse est divina bonitas, & potentia est qua potest in exercitio illud communicare.

17. Nec valet dicere, quod divina essentia in ratione speciei intelligibilis quoddam esse objectivum illis creaturis possibilibus tribuat, ratione cujus cognoscantur in verbo absque ordine ad bonitatem Dei, & potentiam ejus tanquam medium priùs cognitum. Non, inquam, valet: primò, illud esse objectivum, quod creaturæ possibiles habent in Dei verbo & specie, non est esse cognitum præcisè, sed cum habitudine virtuali ad existentiam; hoc enim dicitur possibile, quod potest esse, seu esse non repugnat: sed impossibile est quod cognoscatur habitudo ad existentiam possibilem, nisi cognoscatur Dei omnipotentia & bonitas: ergo habent illud esse objectivum dependenter à Dei potentia & bonitate, tanquam medio in quo Deus cognoscit illas creaturas possibiles. Minor prob.

prob. illa existentia possibilis creaturæ se habet in ratione effectus possibilis Dei primi agentis: sed non est actu vel virtute agens nisi per suam potentiam & virtutem, nec hæc aliquid agit actu vel virtute nisi propter suam bonitatem, ut causam finalem : ergo impossibile est quod à Deo cognoscatur possibilitas creaturarum, seu habitudo virtualis earum ad existentiam, nisi cognoscatur Dei omnipotentia,& bonitas, tanquam causa & medium ducens in cognitionem earum.

Secundò, quia in tantum divina essentia 18.
sumpta in ratione speciei intelligibilis & verbi Qu. 2. de
omnium possibilium divino intellectui creatu- verit.
ras possibiles ut possibiles repræsentat, inquan- art. 8.
tum repræsentat diversos modos possibiles c fin.
communicationis divinæ bonitatis ultra eos, quibus communicatur creaturis præsentibus, præteritis, & futuris; quos quidem modos posse ad esse reduci per potentiam suam etiam repræsentat: sed hoc cognoscitur à Deo, quod in essentia ejus tanquam in specie intelligibili repræsentatur : ergo cognitio, qua cognoscit creaturas possibiles, terminatur ad eas ut continentur in divina bonitate & potentia, per quam sunt possibiles habere esse & bonitatem: ergo videt eas Deus in divina bonitate & potentia, tanquam principio activo & finali;quo pacto videtur effectus per causam, quæ se habet in ratione medij in quo, & prius cogniti, ducentis in alterius cognitionem.

Tertiò, quia illud esse objectivum, quod ha- 19.
bent creaturæ possibiles in Deo, seu in ejus cognitione, & scientia, non est aliquid fictum & rationis, sed quiddam reale, quod ad esse reale

actu deduceretur, si Deus vellet; sed non est quid reale ad extra actu existens: ergo est quid reale ut contentum in suo principio activo & finali: sed species intelligibilis & verbum præcisè ut sunt forma & perfectio intellectus, non sunt principium activum alicujus rei, seu esse realis: ergo alia assignanda est causa & principium activum illius esse, nimirum potentia Dei, quæ in agendo supponit bonitatem ut rationem propter quam agit actu, vel virtute: sed intantum aliquid cognoscitur, inquantum est: ergo possibilitas creaturarum cognoscitur in potentia & bonitate Dei, tanquam in causa, & medio prius cognito. Minor prima constat tum quia in specie intelligibili & verbo creato multa repræsentantur, quorum cognoscens non est causa: tum quia in specie intelligibili, & scientia Dei, seu cognitione esse habent mala, quæ tamen à Deo non causantur.

20. Secundò prob. concl. ratione: si Deus non cognosceret creaturas in seipso tanquam in medio in quo, & causa priùs cognita, ipsius scientia & cognitio non esset perfecta, & comprehensiva; sed hoc est falsum: ergo Deus cognoscit creaturas possibiles in seipso tanquam in causa & medio priùs cognito. Sequela prob. Non potest Deus perfectè suam bonitatem cognoscere, seu comprehendere, nisi perfectè cognoscat omnes modos, quibus ab aliis participabilis est: nec potest cognoscere comprehensivè suam potentiam, nisi cognoscat omnes modos essendi, qui in virtute ejus continentur, tanquam in potestate activa, seu principio activo omnium earum; sed hoc est cognoscere creaturas possibiles in seipso, tanquam in causa

Hic art. 6. c.

&

& medio priùs cognito : ergo nisi Deus cognosceret creaturas in seipso, tanquam in medio in quo, & causa priùs cognita, ipsius scientia & cognitio non esset perfecta & comprehensiva. Maj. patet, nam de ratione intrinseca divinæ bonitatis est, quòd sit infinitè communicabilis & participabilis secundum similitudinem sui esse, est etiam de ratione potentiæ divinæ, quæ infinita est, quòd possit omnia, & virtus ejus sit in actu perfecto : sed qui non cognoscit perfectè omne id quod est de intrinseca ratione alicujus, nequit illud perfectè, & comprehensivè cognoscere : ergo non potest Deus perfectè suam bonitatem cognoscere, nisi perfectè & comprehensivè cognoscat omnes modos, quibus ab aliis participabilis est : & similiter nequit suam omnipotentiam comprehendere, nisi cognoscat omnes modos essendi, qui in virtute ejus continentur. Minor etiam est evidens, quia intantum illæ creaturæ dicuntur possibiles esse, quia nihil est quod potentia Dei non possit, & in ejus bonitate sunt infiniti modi possibiles communicationis, quibus in infinitum diffundere suam similitudinem rebus, & communicare illis esse potest. Videnda quæ diximus supra q. 12. art. 8.

Conf. quia non potest perfectè, & comprehensivè cognosci causa, nisi in ea cognoscantur effectus in illa contenti : sed omnes creaturæ possibiles continentur in Dei potentia sicut in principio activo, & in ejus bonitate, ceu causa finali : ergo nisi Deus cognosceret omnes effectus possibiles contentos in seipso tanquam in causa, se perfectè non cognosceret. 21. Supra q. 12. art. 8.

22. Conatur P. Vasquez vim hujus rationis infringere, aiens, non posse equidem cognosci causam nisi in ea cognoscantur effectus, si sit causa realiter relata ad effectus, & intrinsecè cum illis connexa, non verò si deficiat hujusmodi habitudo & connexio. Dei autem essentia est omnino absoluta, non dicens realem habitudinem ad suos effectus, nec est intrinsecè connexa cum illis; unde non oportet ut in ea, tanquam in causa priùs cognitâ cognoscantur.

23. Sed hæc evasio multipliciter depelli potest: & primò quidem, quia non minor connexio & habitudo ad cognitum debet esse in medio quo, quod habet rationem speciei intelligibilis, & primi cogniti, quàm in medio in quo: sed medium quo seu species intelligibilis divina, quæ est Dei essentia, absque tali habitudine reali & connexione est medium quo cognoscuntur creaturæ: ergo etiam absque tali habitudine reali & connexione potuit repræsentare creaturas per modum medij in quo.

24. Secundò, quia quælibet causa in tantùm potest ducere in cognitionem effectus, in quantum similitudinem ipsius continet: sed ad continendum similitudinem effectus per modum exemplaris, & activè non requiritur quod causa sit realiter relata ad effectum, sed quod sibi effectum activè assimilet: ergo cum Divina essentia tanquam medium in quo & causa contineat similitudinem omnis creaturæ, sibi omnem creaturam activè assimilans, poterit optimè esse medium priùs cognitum, per quod creaturæ cognoscantur, esto realem habitudinem ad eas non dicat. Maj. patet, quia simile simili cognoscitur. Minor verò prob. tum

Qu. 2. de verit. art. 8.

quia

quia Deus est causa exemplaris omnium creaturarum assimilans sibi omnes illas, & tamen realiter non refertur ad illas. Tum quia relatio non est causa similitudinis, sed potiùs è converso. Tandem quia mensura activa non fundat realem habitudinem cùm mensurato, sed è contra: & tamen est ratio cognoscendi ipsum mensuratum.

CAPUT III.

Solvuntur argumenta.

Arg. 1. sic Deus alia cognoscit, secundùm quod in eo sunt: sed alia ab ipso in eo sunt sicut in prima causa communi & universali: ergo ea cognoscit ut in causa prima & universali: sed hoc est alia à Deo cognoscere in universali, & non secundùm propriam ac determinatam rationem: ergo Deus alia à se secundùm propriam ac determinatam cognitionem non cognoscit. 25. Hic arg. 1.

Conf. 1. sicut Deus est causa rerum, eò quod eis influit esse, ita ignis est causa calidorum ex hoc quod eis calorem influit: sed si ignis seipsum cognosceret, cognoscendo calorem suum non cognosceret alia nisi inquantum sunt calida: ergo Deus cognoscendo essentiam suam non cognoscit alia nisi inquantum sunt entia: sed hoc non est propriam de rebus cognitionem habere, sed maximè universalem: ergo Deus non habet propriam de rebus cognitionem. 26. Qu. 2. de verit. art. 4. arg. 3.

Conf. 2. per medium universale non potest haberi cognitio propria de aliquo particulari, 27. Ibid. arg. 7.

ſicut per definitionem animalis nequit de homine propria cognitio haberi : ſed eſſentia divina eſt medium maximè univerſale, quia communiter ad omnia cognoſcenda ſe habet : ergo Deus per eſſentiam ſuam nequit propriam de creaturis habere cognitionem.

28. Loc. cit. in arg. Reſp. S. D. quod ſic cognoſcere aliquid ſicut in cognoſcente eſt, dupliciter intelligi poteſt. Vno modo ſecundùm quod hoc adverbium, *ſic*, modum cognitionis ex parte rei cognitæ importat, ut ſit ſenſus, Deus alia à ſe cognoſcit prout ſunt in ſeipſo, id eſt, ſolùm ſecundùm modum & eſſe quod habent in Deo, & hoc modo eſt falſum quod Deus alia cognoſcat ſecundùm quod in eo ſunt : non enim ſemper cognoſcens cognoſcit cognitum ſecundùm illud eſſe quod habet in cognoſcente : v.g. oculus non cognoſcit lapidem ſecundùm eſſe quod habet in oculo ; ſed per ſpeciem lapidis, quam in ſe habet, cognoſcit lapidem ſecundùm eſſe quod habet extra oculum : & ſi aliquis cognoſcens cognoſcat ipſum cognitum ſecundùm eſſe quod habet in cognoſcente, nihilominus cognoſcit illud ſecundùm eſſe, quod habet extra cognoſcentem ; ſicut intellectus cognoſcit lapidem ſecundum eſſe intelligibile quod habet in intellectu, inquantùm cognoſcit ſe intelligere, ſed nihilominus cognoſcit eſſe lapidem in propria natura. Alio modo prout hoc adverbium, *ſic*, importat modum ex parte cognoſcentis ; & hoc pacto verum eſt, quod ſic duntaxat cognoſcens cognoſcit cognitum ſecundùm quod eſt in cognoſcentè. Quia quantò perfectiùs cognitum eſt in cognoſcente, tantò cognitionis modus eſt perfectior.

ctior. Sic igitur dicendum est, Deum cognoscere non solum esse res in seipso : sed per id quod in seipso res continet (nimirum ut causa universalis activa, & ut actus perfectus) cognoscere etiam illas in propria natura : & tantò perfectius, quantò perfectius unumquodque est in illo.

Resp. ad 1. conf. quod ignis non est causa calidorum, quantùm ad omne id quod in calidis reperitur, seu non est causa ut actus perfectus : divina autem essentia est causa omnis perfectionis & modi creaturarum, & ut actus perfectus continet imperfectum. Vnde longè dispar est ratio. 29. Qu. 2. de verit. art. 4. ad 3.

Resp. ad 2. confirm. divinam essentiam non esse universale medium, quasi universalem formam seu rationem, sed quasi universalem causam. Alio autem modo se habet ad faciendam rerum cognitionem universalis causa, & universalis forma. In forma enim seu ratione universali est effectus in potentia quasi materiali, sicut differentiæ sunt in genere, secundùm proportionem quâ formæ sunt in materia. Sed effectus sunt in causâ universali sicut in potentia activa, sicut domus est in mente artificis, sicut in potentia activa. Et quia unumquodque cognoscitur secundum quod est in actu, & non secundùm quod est in potentia : ideo, quòd differentiæ specificantes genus in eo in potentia contineantur, non sufficit ad hoc, ut per cognitionem generis habeatur propria cognitio de specie. Sed ex hoc quod propria alicujus rei sunt in aliqua causa activa, sufficit ut per causam illam de re ipsa propria habeatur cognitio. Vnde per ligna & lapides non cognoscitur domus, 30. Ibidem ad 7.

mus, ſicut cognoſcitur per formam ſuam, quæ eſt in mente artificis. Et quia in Deo propriæ uniuſcujuſque rei rationes ſicut in causâ activâ exiſtunt; ideo quamvis ſit univerſale medium, poteſt de unaquaque re propriam efficere cognitionem.

31. Hic arg. 3. & q. 2. de verit. arg. 48. Arg. 2. propria cognitio non habetur de re, niſi per propriam ejus rationem : ſed eſſentia divina eſſe non poteſt ratio propria, ſive proprium medium cognoſcendi unamquamque rem : ergo non videtur quòd Deus per eſſentiam ſuam de rebus omnibus determinatam atque propriam cognitionem habeat. Prob. min. idem nequit eſſe propria ratio, ſeu proprium medium diverſorum : nam eò ipſo quòd ſit proprium medium cognoſcendi unum, jam non erit proprium medium cognoſcendi aliud; quod enim ineſt huic & alteri, eſt commune utrique & non proprium alteri duntaxat ipſorum : ergo eſſentia divina non poteſt eſſe medium ſeu propria ratio cognoſcendi unamquamque rem.

32. Hic ad 3. & infra q. 55. art. 3. ad 3. Reſp. ex S. D. neg. min. ad cujus prob. diſt. maj. idem non poteſt eſſe propria ratio diverſorum per modum adæquationis, id eſt, ut propria ratio adæquata eorum, concedo : per modum exceſſus, ſive ſi medium ſit excellens & ut actus perfectus reſpectu imperfectorum, nego maj. tunc enim non implicat, quod ſit propria ratio & ſimilitudo diverſorum quæ ei non adæquantur ſeorſim ; ſicut in homine eſt univerſalis prudentia quantùm ad omnes virtutum actus : & poteſt accipi ut propria ratio ac ſimilitudo particularis prudentiæ, quæ eſt in leone ad actus magnanimitatis, & ejus, quæ eſt

est in vulpe, ad actus cautelæ, & sic de aliis. (Prudentiæ, inquam, secundùm quandam similitudinem in eis repertæ.) Similiter essentia divina propter sui excellentiam, & inquantum est ratio perfectissima continens omnes rerum omnium perfectiones, excedénsque omnes illas, potest accipi ut propria uniuscujusque rei ratio, secundùm quòd ipsa est diversimode participabilis, vel imitabilis à diversis creaturis.

Arg.3. illud quod habet rationem medij ducentis in cognitionem perfectam alterius debet ei perfectè assimilari : sed divina essentia, utpote quæ nonnisi analogicè cum ipsis creaturis convenit non potest eis perfectè assimilari : ergo Deus per seipsum seu per essentiam suam, tanquam causam & medium priùs cognitum nequit perfectam & distinctam de rebus cognitionem habere, præsertim possibilibus, quæ non sunt, unde eis nullo modo videtur assimilari posse. Conf. quia cognoscens dicit ordinem ad cognitum : sed essentia Dei nullum dicit ordinem ad creaturas : ergo nequit esse medium cognoscendi illas. 33. Qu.2.de verit. art.3. arg.9.

Resp.1. ex D.Thom. q.2. de verit. art.3.ad 9. quod similitudo aliquorum duorum adinvicem potest dupliciter attendi : Vno modo secundùm convenientiam in ipsa natura, & talis similitudo non requiritur inter cognoscens & cognitum : Alio modo quantùm ad repræsentationem : & hæc similitudo requiritur cognoscentis ad cognitum. Quamvis igitur sit minima similitudo creaturæ ad Deum secundùm convenientiam in natura, est tamen maxima similitudo secundùm quod expressissimè divina essentia repræsentat creaturam, & ideo intellectus 34.

tellectus divinus optimè rem cognoscit.

35. Loc. cit. & q. 2. de verit. art. 5. ad 16. art. 8. ad 2. Resp. 2. ex eodem S. D. illud equidem, quod habet rationem medij ducentis in cognitionem alterius debere illi perfectè assimilari, sive per modum exemplaris, sive per modum similitudinis ejusdem rationis, sive secundùm commensurationem & adæquationem, sive secundum excessum ejus suprà rem cognitam. Et dist. min. divina essentia non potest creaturis perfectè assimilari secundum adæquationem in eadem ratione, concedo: secundum excessum, seu per modum causæ activæ, & formæ exemplaris in actu continentis similitudines omnium creaturarum, nego min. & conseq.

36. Dices: non minus obstat propriam de aliqua re cognitionem habere per speciem, quæ aliquid majus repræsentat, seu excedens est, quam per eam, quæ minus quidpiam repræsentat: quia nulla adæquatur cognito, sed una deficit, altera superat: ergo sicut non potest perfectè & distinctè cognosci Deus per creaturam, quia deficit à perfecta repræsentatione Dei, non poterit etiam creatura cognosci per essentiam divinam tanquam per medium, quia est medium superans & excedens. Anteced. declaratur: sicut enim viridis color perfectè cognosci nequit per speciem nigri, quia est deficiens ab ipso; ita nequit perfectè cognosci per speciem albi, quod est excedens, & in quo perfectissimè natura coloris invenitur: Vnde & albedo est mensura omnium colorum, ut dicitur in 3. Metaphys. text. 3. & 5.

37. Q. 2. de verit. a. 4. ad 4. Resp. ex S. D. neg. antecedens si illa species, quæ excedit, sit causa continens omne id quod repræsentatur. Ad exemplum adductum

dicitur,

dicitur, quod licet color albus secundùm formale coloris, nimirum lucem, sit excedens & in eo perfectissimè reperiatur coloris natura, & perinde sit omnium mensura colorum: attamen secundum materiale coloris, quod in viridi, aliisque coloribus invenitur, scil. terminatio diaphani, non continet quidquid in eis reperitur, & præterea non est rerum causa activa perfecta: & ideo per speciem albedinis nequit propria de cœteris coloribus haberi cognitio: secus autem est de essentia divina, quæ continet perfectè quidquid in rebus creatis est, & est earum causa activa.

Resp. ad conf. dist. maj. cognoscens dicit ordinem ad cognitum quando accipit cognitionem à rebus, & mensuratur ab eis, concedo: quando causat cognitionem earum, seu mensurat eas, nego: Deus autem non accipit cognitionem à rebus, nec ejus cognitio mensuratur ab eis, sed efficit earum cognitionem, & mensurat ipsas. 38. Qu. 2. de verit. art. 3. ad 1.

Arg. 3. cognitio rei in alio tanquam in causa est discursiva, cum discurrere nil aliud sit quam effectus in causa cognoscere: sed cognitio Dei discursiva non est: ergo non cognoscit creaturas in seipso tanquam in causa. 39.

Resp. ex S. D. dist. maj. si diversa apprehensione ac similitudine apprehendantur causa, & effectus, concedo maj. si eâdem, nego maj. sicut visus cognoscens lapidem per speciem lapidis in ipso existentem, non dicitur discurrere, quia idem est ferri in similitudinem rei, & in rem, quæ per talem similitudinem cognoscitur: Deus autem hoc modo per essentiam suam effectus suos cognoscit, unde non discurrit. Vide infra art. 7. 40. Hic art. 7. & q. 2. de verit. art. 3. ad 3.

41. Arg. 4. Angelus comprehendit ſuam virtutem intellectivam, quæ eſt cauſa omnium intellectionum quas habet, & habere poteſt: Sed tamen non cognoſcit omnes ejuſmodi intellectiones poſſibiles, ſaltim in particulari: ergo quamvis Deus comprehendat ſeu perfectiſſimè cognoſcat ſuam eſſentiam tanquam cauſam; non ſequitur quod in ſeipſo tanquam in cauſa omnes creaturas poſſibiles cognoſcat. Min. patet, nam alioquin Angelus ſuâ virtute naturali intellectivâ omnes creaturas poſſibiles cognoſcere valeret in particulari, quæ ſunt objecta talium intellectionum.

42. Reſp. diſt maj. eſt cauſa facta in actu completo, ſeu continens omnes intellectiones in actu perfecto, nego: in potentia activa indeterminatâ, concedo: in tantum autem aliquid cognoſcitur, in quantum eſt actu, & non ſecundum quod in potentia; unde omnes intellectiones poſſibiles ſuas Angelus actu non cognoſcit: at verò Deus eſt cauſa in actu perfecto continens expreſſiſſimè omnium rerum ſimilitudines, unde eas cognoſcit, non verò Angelus. Nam nulla potentia intellectiva creata eſt ſuum eſſe, ſed fit actu alia per ſimilitudines advenientes, ſive acceptas, ſive inditas, quæ deficiunt reſpectu omnium poſſibilium in intellectu Angelico, & multo magis in humano.

43. Arg. 5. Angelus multa cognoſcit quorum non eſt cauſa, nec in ſua virtute continet: ergo multò magis Deus, qui eſt perfectiſſimè cognoſcens & intelligens. Reſp. neg. conſeq. ratio diſcriminis eſt, quia Angelus plura cognoſcit per proprias illorum ſpecies ſibi inditas, quæ ea repræſentant angelico intellectui: Deus autem

autem non cognoſcit res per ſpecies aliunde acceptas, ſed per eſſentiam ſuam, quæ alia poteſt eâtenus repræſentare, quatenus eſt cauſa illorum & non alio modo. Sumitur ex D. Thom. quæſt. 2. de verit. art. 3. ad 3. ubi ait: *Dicendum quod Deus hoc modo cognoſcit creaturas ſecundùm quod ſunt in ipso; effectus autem in quacunque cauſa efficiente exiſtens non eſt aliud ab ipſa, ſi accipiatur illud quod eſt per ſe cauſa; ſicut domus in arte non eſt aliud quam ars: quia ſecundum hoc effectus eſt in principio activo, quod principium activum aſſimilat ſibi effectum: hoc autem eſt ex hoc ipſo quod agit. Vnde ſi aliquod principium activum agat per ſuam formam tantùm, ſecundùm hoc eſt effectus ejus in eo, quod habet formam illam: nec effectus ejus in eo erit diſtinctus à forma ſua. Similiter nec in Deo, cum agat per eſſentiam, effectus ejus in eo non eſt diſtinctus ab eſſentia ſua, ſed omnino unum. Et ideò hoc, quo cognoſcit creaturam, non eſt aliud quam eſſentia ſua.*

Arg. 6. inter medium cognoſcendi & rem cognitam debet neceſſaria connexio intercedere: ſed inter eſſentiam divinam ſeu omnipotentiam & creaturas poſſibiles non reperitur neceſſaria connexio: ergo illa non poteſt deſervire ut medium ad cognoſcendas creaturas. Maj. patet, nam aliàs medium non poſſet ducere in certam & infallibilem ipſius cognitionem; ſicut medium probabile non ducit in certam atque ſcientificam concluſionis notitiam, quia neceſſariò cum illa non connectitur. Minor verò prob. primò, quia quando duo inter ſe neceſſariam connexionem dicunt, deſtructo uno deſtruitur aliud: ſed deſtructis omnibus poſſibilibus eſſentia divina aut ejus omnipotentia 44.

tentia & bonitas non destrueretur : igitur necessariam connexionem cum illis non dicit. Secundò quia si essentia, vel omnipotentia Dei, aut ejus bonitas esset intrinsece connexa cum creaturis, dependeret ab illis : sed hoc est absurdum : ergo non est intrinsecè connexa cum illis. Sequela prob. quia illa mutuò abinvicem dependent, quorum unum sine alio subsistere nequit, seu quæ posita se ponunt, & ablata se auferunt : sed si essentia divina cum creaturis possibilibus connecteretur, absque illis subsistere non posset, & positâ illâ ponerentur creaturæ, & ablatis his auferretur illa : ergo penderet ab illis.

45. Conf. quando duo sunt adinvicem intrinsece connexa, æquè necessarium est utrumque esse : sed non est æque necessarium creaturam possibilem esse, atque Deum esse, cùm Deus sit ens per essentiam seu per se necesse esse, non verò creaturæ quæ sunt ens ab alio & per participationem : ergo non sunt intrinsece connexæ cum divina essentia.

46. Respondent communiter Thomistæ concessâ maj. neg. minorem : nam divina omnipotentia habet connexionem simpliciter necessariam cum totâ collectione rerum possibilium tanquam cum objecto & termino adæquato, & cum quolibet possibili, veluti cum objecto & termino adæquato. Ad primam prob. ajunt quod destructis creaturis possibilibus destrueretur divina omnipotentia, non quidem à priori & per locum intrinsecum, sed à posteriori & per locum extrinsecum. Quia possibilitas creaturarum est ipsamet vis producendi illas, quæ quidem virtus est ipsamet divina essentia, unde

nequit

nequit destrui creaturarum possibilitas, nisi destruatur ipsa omnipotentia.

Ad 2. prob. respondent neg. sequelam: ad cujus prob. distinguunt maj. sic: illa mutuò dependent, quæ posita se ponunt, & ablata se auferunt, si se ponant & auferant à priori, & per locum intrinsecum, conc. maj. si unum à priori & per locum intrinsecum, & aliud à posteriori, & per locum extrinsecum, neg. maj. licet autem ex destructione omnipotentiæ tollatur à priori & per locum intrinsecum creaturarum possibilitas, ex repugnantia tamen seu impossibilitate creaturarum, solum à posteriori & per locum extrinsecum tollitur divina omnipotentia, eo fere modo, quo destructis conclusionibus necessariò deductis veritas principiorum tollitur. 47.

Ad Conf. dicunt bene fieri posse, aliqua ita esse inter se connexa, quòd deficiente uno impossibile sit aliud non deficere, & tamen quod unum sit magis necessarium quam aliud: nam universaliter principia sunt magis necessaria quam conclusiones: & tamen ita connexa sunt, ut deficiente veritate conclusionum, veritas principiorum deficeret. 48.

Resp. 2. ex S. D. dist. maj. inter medium cognoscendi & rem cognitam debet intercedere necessaria connexio, in esse entis, aut secundùm conformitatem in natura, nego maj. in esse repræsentativo, sive secundùm repræsentationem concedo: nam statua aurea est medium ducens in cognitionem hominis, cum tamen non sit conformis illi in natura. Et dist. min. inter essentiam divinam, seu omnipotentiam & creaturas non datur necessaria conne- 49. q. 2. de verit. art. 5. ad 5.

xio in esse entis, aut secundùm conformitatem, & adæquationem in natura, concedo min. secundum continentiam virtualem, & repræsentationem, nego min. divina enim essentia perfectissimè continet, sicut actus perfectus imperfectos, similitudines omnium rerum, & per hoc potest esse medium ducens in cognitionem earum distinctam. Continet, inquam, per modum cujusdam principij activi per formam suam activè assimilantis sibi omnem rem. Vnde negatur consequentia.

50. Ad 1. prob. min. resp. quod quando duo sunt inter se necessario & intrinsecè connexa, quando unum destruitur, aliud etiam destruitur, non absolutè sed secundùm eam rationem in qua sunt connexa; sicut destructo uno relativorum destruitur & aliud in esse relativi, sed non absolutè, v. g. destructo filio destruitur pater in esse Patris, non tamen in esse hominis. Et dist. min. destructis omnibus possibilibus ejus essentia, omnipotentia, & bonitas non destruerentur, secundùm suum esse absolutum, concedo: secundùm quod important rationem causæ exemplaris, efficientis, & finalis earum, nego min. Nam per hoc est causa exemplaris quod habet sibi assimilare formaliter creaturas, & per hoc est causa efficiens, quòd secundum suam virtutem continet similitudinem esse illarum, & per hoc est causa finalis, quia continet modos quibus secundum similitudinem potest divina bonitas communicari & manifestari: quæ omnia destruerentur destructis ipsis possibilibus, vel redditis impossibilibus; sicut modo in ordine ad impossibilia absolutè neque habet rationem causæ exemplaris, neque causæ finalis

finalis, neque efficientis: cum tamen absolutè sit sine illis.

Ad 2. prob. dist. maj. Si essentia Dei, aut ejus omnipotentia & bonitas esset intrinsecè connexa cum creaturis, dependeret ab illis, absolutè, & secundùm suum esse, nego maj. secundum rationem & per cointellectionem creaturarum ad intellectionem divinæ essentiæ sub ratione causæ activæ & finalis earum, concedo maj. id est non posset concipi & intelligi essentia divina in ratione causæ exemplaris, nisi cointellectis diversis proportionibus creaturarum imitantium illam: nec posset concipi in ratione causæ finalis, nisi conciperentur diversi modi, quibus secundum similitudinem est divina essentia & bonitas à creaturis participabilis: nec posset concipi omnipotentia, nisi conciperetur potestas producendi creaturas. Sumitur ex D. Thom. q. 2. de verit. art. 3. ad 11. ubi ait: *Quod quamvis à linea si diminuatur punctus in actu nihil depereat de lineæ quantitate: si tamen diminuatur à linea quod non sit ad punctum terminabilis, peribit lineæ substantia: similiter est de Deo; non enim aliquid Deo deperit, si ejusmodi creatura ponatur non esse, deperit tamen perfectioni ipsius, si auferatur ab eo potestas producendi creaturam: non autem cognoscit res solùm secundùm quod sunt in actu; sed etiam secundùm quod sunt in potentia ejus.* Neque hæc dependentia ponit imperfectionem, sed solum cointellectionem creaturarum ad intellectionem divinæ essentiæ, per modum causæ sibi assimilantis eas. 51.

Resp. ad Conf. datâ gratis maj. dist. min. non est æquè necessarium creaturam possibilem 52.

esse, atque Deum esse, si sumantur creaturæ possibiles continentur & sunt in Deo sicut in virtute agentis, vel sicut in cognoscente, nego maj. sunt enim hoc pacto ipsamet creatrix essentia, ut ex D. Anselmo docet D. Thom. q. 3. de pot. art. 16. ad 24. Non sunt æquè necessariæ prout concipiuntur habere virtualem habitudinem ad esse creatum & ad extra, concedo. Sic enim considerantur ut possibiles per participationem ipsius esse, & similitudinem divinæ bonitatis.

53. Arg. 7. Deus peccata cognoscit, non solum secundum entitatem, sed etiam pro formali malitiæ, non solùm ut existentia, sed etiam ut possibilia; sed ut talia ab ipso causari nequeunt: similiter cognoscit etiam entia rationis, ut chimæras, hircocervos, & similia mentis humanæ figmenta, quæ ab ipso efformari nequeunt: ergo omnia quæ cognoscit, non cognoscit in seipso tanquam in causa. Resp. ex dicendis infra *art.* 9. quod hæc omnia Deus cognoscit in effectibus creatis, qui sunt causa eorum, vel eis oppositi, & sic omnia cognoscit in seipso tanquam in medio prius cognito.

54. In calce hujus capitis subjicienda venit elegantissima S. Thomæ de hac re doctrina, ex q. 2. de verit. art. 8. ubi ait: *Apud artificem potest esse cognitio alicujus artificiati, quandoque quidem quod facere disponit, quandoque verò quod facere nunquam disponit, ut cum confingit aliquam formam artificiati, vel artificij, quod facere non intendit: hoc autem artificiatum, quod facere numquam disponit, non semper intuetur ut in sua potentia existens, quia quandoque excogitat tale artificium ad quod faciendum vires ei non suppetunt: sed considerat*

ſiderat ipſum in fine ſuò, prout ſcil. videt quod poſſet ad talem finem per tale artificium devenire; quia ſecundum Philoſophum in 6. Ethic. cap. 8. & lib. 7. cap. 12. fines in operabilibus ſunt ſicut principia in ſpeculativis. Unde ſicut concluſiones cognoſcuntur in principiis, ita artificiata in finibus. Patet ergo quòd Deus poteſt cognitionem habere aliquorum non entium, & horum quidem quorumdam habet quaſi practicam cognitionem, ſcil. quæ ſunt, vel fuerunt, vel erunt, quæ ex ejus ſcientia ſecundùm ejus diſpoſitionem prodeunt: quorundam verò, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec erunt; quæ ſcil. nunquam facere diſpoſuit, habet quidem ſpeculativam cognitionem: & quamvis poſſit dici quod intueatur ea in ſua potentia, quia nihil eſt, quod ipſe non poſſit tamen accommodatius dicitur; quod intuetur in ſuâ bonitate, quæ eſt finis omnium, quæ ab eo fiunt, ſecundùm ſcil. quod intuetur multos alios modos eſſe communicationis propriæ bonitatis, quàm ſit communicata rebus exiſtentibus, præteritis, præſentibus, vel futuris; quia omnes res creatæ eius bonitatem æquare non poſſunt, quantumcunque de ea participare videantur.

CAPUT IV.

Utrum Deus creaturas in ſeipſis immediatè, ſeu independenter ab eſſentia divinâ prius viſâ, & cognitâ cognoſcat.

§. I.

Deciditur quæſtio

HÆc quæſtio de creaturis poſſibilibus agitari ſolet: Sed reipſa quidem cùm illæ in 55.

ſeipſis nullum eſſe habeant, quippe quæ non ſunt actu extra cauſas, ſed in ſuis cauſis, non video quomodo poſſint in ſeipſis Dei cognitionem terminare: cum cognitio non ſit niſi exiſtentium. Quod autem ut ſunt in Deo & ejus cognitione, non ſint aliud ab ejus eſſentia, expreſsè docet S. D. quæſt. 3. de pot. art. 16. dicens: *Creatura dicitur eſſe in Deo dupliciter: uno modo ſicut in cauſa gubernante, & conſervante eſſe creatura. Et ſic præſupponitur eſſe creaturæ diſtinctum à creatore ad hoc quòd creatura à Deo eſſe dicatur. Non enim intelligitur creatura conſervari in eſſe, niſi ſecundùm quod jam habet eſſe in propria natura, ſecundùm quòd eſſe creaturæ à Deo diſtinguitur. Alio modo dicitur creatura eſſe in Deo ſicut in virtute cauſæ agentis: vel ſicut in cognoſcente. Et ſic creatura in Deo eſt ipſa eſſentia divina, ſicut dicitur Ioan. 1. Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Quæ quidem ſolutio adhibita eſt à S. D. ad explicandum illum Anſelmi locum in Monologio cap. 8. & 35. dicentis: *Omnis creata ſubſtantia, tantò veriùs eſt in verbo, & intelligentia creatoris quam in ſeipſa: quantò veriùs exiſtit creatrix, quam creata eſſentia.* Quapropter hæc quæſtio, aut de creaturis exiſtentibus, præteritis ac futuris controvertenda venit, aut de poſſibilibus, prout concipiuntur à nobis habere quoddam eſſe objectivum in Dei ſcientia & cognitione, diſtinctum à Deo.

56. Concl. cognitio creaturarum in ſeipſis immediatè, ſeu independenter ab eſſentia divina, priùs viſâ & cognitâ, in Deo non datur. Prob. ex D. Dionyſio cap. 7. de divin. nom. ubi ait: *Neque autem ea quæ ſunt, ex his quæ ſunt diſcens noſcit divina mens, ſed ex ſe & in ſe per cauſam*

rerum

rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet, non quòd per speciem singula consideret, sed quòd uno causæ complexu omnia sciat. Et paucis interpositis addit: *Seipsam ergo cognoscens divina sapientia, novit omnia.* Et insuper: *Deus,* inquit, *ea quæ sunt noscit, non rerum notitiâ sed sui.* Conatur P. Vasquez hujus apertissimi testimonij vim effugere, dicendo, S. Dionysium nil aliud intendisse, quam Deum à seipso, & non à rebus cognitionem accipere: sed profectò, licet verum sit, Deum res creatas per species à rebus ipsis acceptas non cognoscere, & hoc etiam eo in loco intendisse Dionysium, dum ait: *Non ex existentibus existentia discens novit divina mens:* tamen statim modum, & medium cognoscendi illa manifestans, subdit: *Sed ex seipsa secundùm omnem scientiam, & cognitionem, & substantiam præhabet, & præaccipit, non secundùm visionem singulis se immittens, sed secundùm causæ continentiam omnia sciens, & continens:* quia scil. cognoscendo essentiam suam, quæ est continens omnia, cognoscit omnia: per quod excluditur cognitio creaturarum immediata in seipsis. Et id exemplo luminis declarat, inquiens: *Sicut & lumen secundùm causam per semetipsum tenebrarum præaccipit visionem, non aliunde videns tenebras quam à lumine.* Vbi creaturas cum tenebris confert & divinam essentiam cum lumine, dicens: quod sicut, si lumen esset cognoscitivum, per seipsum cognosceret tenebras, quæ per propriam speciem & essentiam cognoscibiles non sunt, sed per speciem luminis: ita Deus cognoscit creaturas in sua essentia veluti causâ, quia creaturæ propter suam tenebrositatem, &

ibidem lect. 3. q. 3. de verit. art. 2. ad 6.

improportionem, non habent in seipsis immediatè à Deo cognosci, sed in divinâ essentiâ tanquam in causâ.

57. Ibid. Ex quibus statim infert: *Igitur seipsam divina sapientia cognoscens cognoscit omnia, immaterialiter materialia, & indivisibiliter divisibilia, & multa unitivè in ipso una omnia producens, & cognoscens.* q. d. manifestum est quod omnis cognitio est secundùm modum ejus, quo aliquid cognoscitur, sicut omnis operatio est secundùm modum formæ, quâ aliquis operatur: cum igitur divina sapientia omnia cognoscat, per hoc quod seipsam cognoscit; ipsa autem est immaterialis, & indivisibilis & una, sequitur quod cognoscat materialia immaterialiter, & divisibilia indivisibiliter, & multa unitivè, in quantum scil. omnia cognoscit & producit per unum, quod est sua essentia. Hinc ipsemet D. Thom.(cujus est hujusmodi interpretatio) lib. 1. cont. gent. c. 49. ita habet: *Colligentes igitur has duas conclusiones, apparet Deum cognoscere seipsum, quasi primò & per se notum: alia verò sicut in essentiâ suâ visâ. Quam quidem veritatem expressè Dionys. tradit 7. cap. de divin. nom. dicens: Non secundùm visionem singulis se immittit, sed secundùm causæ continentiam scit omnia. Et infra: Divina sapientia seipsam cognoscens, scit alia. Cui etiam sententiæ attestari videtur scripturæ sacræ authoritas. Nam in psal.* 101. *de Deo dicitur: Prospexit de excelso sancto suo, quasi de seipso excelso alia videns.*

58. q. 2. de verit. art. 3. ad 5. Ex quibus sic arguo: Tunc cognoscitur aliquid immediatè in seipso, cum ex ipsa re cognita acies formatur intuentis; tunc verò in alio & mediatè cognoscitur, quando altero cognito

illud

illud cognoscitur ; sicut dicitur videri lapis v.g. immediatè in seipso; quando lapidis specie immediatè formatur oculus, videtur autem in altero nimirum speculo, quia nonnisi speculo viso & cognito videtur : sed Deus videt alia à se, non per hoc quod rebus aliis formetur immediatè illius intellectus, sed quia cognitâ essentiâ, alia à se intuetur, & cognoscit : ergo non videt alia à se immediatè in seipsis independenter à divina essentia, priùs visâ & cognitâ. Maj. patet : & minor ex D. Dionysio allegato manifesta est.

Dices, videre equidem Deum alia à se, non per hoc quod formetur specie à rebus acceptis, sed per essentiam suam habentem vices speciei intelligibilis, immediatè repræsentantis omnia alia licet secundariò. *Contra* quotiescunque similitudo, seu species rei cognitæ est ipsamet cognoscentis essentia, in tantum per eam cognoscens alia à se cognoscit, in quantum essentiam suam cognoscit, & ex ea alia : sed illa similitudo, quâ alia dicuntur ab adversariis immediatè cognosci in seipsis, est ipsamet Dei cognoscentis essentia, sive substantia habens locum speciei intelligibilis : ergo per eam non possunt alia immediatè in seipsis à Deo cognosci, sed mediatè, & ex ea priùs cognita. Maj. prob. primò : quia species & similitudo, quâ Angelus per sua naturalia Deum cognoscit, in tantum hoc pacto Deum ipsum cognoscit, in quantũ suam essentiam cognoscit; ita ut essentia ejus cognita ducat in cognitionem naturalem ipsius Dei, & se habeat in ratione speculi non quidem extrinseci, sed intrinseci : Similiter intellectus per speciem quæ est ipsemet dicitur alios 59.

Qu. 2. de verit. art. 3. ad 1.

1. p. q. 56. art. 3. cap. & ad 3.

alios intellectus intelligere, in quantum se intelligit, & ex se alios in quantum sunt sibi similes. Secundo prob. eadem maj. quia in tantum cognoscens est per suam essentiam species aliorum, in quantum secundum suum esse naturale est quodammodo similis aliis, vel alia ipsi; aliàs non cognosceret per suam essentiam, tanquam speciem, sed per speciem rei cognitæ: ergo causa quod alia sint in cognoscente intelligibiliter est ipsa natura cognita, sicut causa cur species rei sit in cognoscente est ipsum objectum in se, quod activè se habet quodammodo ad speciem.

60. Conf. ex D. Augustino lib. 83. quæst. q. 46. ubi in mente divina constituendas esse ideas, ostendens ita concludit: *Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quicquam positum intuebatur, ut secundùm id constitueret, quod constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est.* Quæ verba explicans D.Thom.hic art.5.ait: *Ad 1. dicendum, quod verbum Augustini dicentis, quod Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil quod sit extra se intueatur, sed quia id quod est extra seipsum, non intuetur nisi in seipso.* Et q.2.de verit.art.3.ad 10. *Dicendum,* inquit, *quòd cum dicitur: Deus nihil extra se intuetur, intelligendum est sicut in quo intueatur: illud enim in quo omnia intuetur in ipso est.* Quæ explicatio profectò genuina est: nam patet ideam esse quandam rationem intellectam, in qua cognoscens rem ad extra, quam facere intendit, cognoscit; v. g. idea domus in mente artificis est ratio intellecta domus, in qua ipsam domum cognoscit:

cognoſcit: quod autem in alio, tanquam in medio cognoſcitur, non in ſeipſo immediatè cognoſcitur: ſicut artifex cognoſcens domum faciendam in idea non dicitur eam immediatè in ſeipſa cognoſcere, ſicut quando jam factam intuetur: Hoc ipſum aſſerit D. Ambroſius tract. in Symb. Apoſtol. cap. 1. dicens: *Licet omnia cœleſtia & terreſtria, & minima quaque proſpiciat, nihil tamen extra ſe intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur:* Ergo habet rationem medij in quo alia intelligit; hoc enim notant illa verba *in ſe intueri:* videre autem aliquid in altero non eſt immediatè illud cognoſcere.

Secundò prob. concl. ratione: per hoc Deus creaturas cognoſcit quòd ipſe earum ſimilitudinem continet, quia ſimile ſimili cognoſcitur: ſed iſta aſſimilatio non eſt aſſimilatio paſſiva, alioquin eſſet à rebus ipſis cauſata, ſicut ſimilitudo in nobis cauſatur ab eis, quia ex objecto & potentia paritur notitia: ergo debet eſſe aſſimilatio activa, & quæ fit per principium activum aſſimilans ſibi effectum: ſed effectus in ſuo principio activo exiſtens non eſt aliud ab ipſo, ſi ſit per ſe principium illius; ſicut domus in arte, ſeu idea artificis non eſt aliud quam ipſa: ergo hoc, quo Deus cognoſcit creaturam, eſt ipſa eſſentia divina in ratione principij activi & ideæ, & non tantum in ratione ſpeciei: ſed principium formale activum, ſeu ideale nonniſi ut res intellecta ducit in cognitionem rei ad extra in ſe: ergo eſſentia divina nonniſi cognita & intellecta poteſt ducere in cognitionem aliorum à ſe. Conf. omnis cognitio practica, ſeu quæ eſt per aſſimilationem

16. Qu. 2. de verit. art. 3.

activam

activam dicit ordinem ad esse, cum sit factiva sui objecti; sed species intelligibilis in ratione speciei abstrahit à rei existentia, cum cognoscantur multa quæ actu non sunt: ergo essentia divina in ratione principij assimilativi & principij cognitionis creaturarum non tantum habet rationem speciei intelligibilis, sed ideæ & rationis intellectæ aliorum, per cujus cognitionem cætera cognoscuntur.

62. Tertiò prob. quod immediatè in seipso cognoscitur ab aliqua potentia, pertinet ad objectum primarium illius per modum rei intellectæ: sed creaturæ nullo modo pertinent ad objectum primarium divini intellectus: ergo nequeunt in seipsis immediatè terminare divinam cognitionem independenter à divina essentia priùs cognita. Maj. patet, quia objectum habet rationem termini ipsius potentiæ, cum ipsa in illud tendat: ergo quod immediatè cognitionem terminat, per se ad objectum primarium illius spectare debet. Min. verò prob. primò omnibus rationibus supra adductis art. 5. cap. ult. §. 2. num. 44. & seq. Secundò prob. objectum formale primarium specificativum virtutum Theologicarum non potest esse aliquid creatum, sed Deus in se, quia sunt superioris ordinis & quædam participationes divini esse: ergo multo minus ad objectum primarium specificativum divinæ scientiæ possunt creaturæ pertinere, cum illa sit ordinis supremi, & proprium Dei attributum, potissimáque illius perfectio in se considerati.

63. Qu. 19. art. 2. ad 2. & 3. Conf. ita se habet veritas creata ad intellectum divinum, sicut bonitas creata ad voluntatem divinam: sed bonitas creata nequit ratione

tione sui immediatè actum voluntatis divinæ terminare : ergo nec veritas creata potest ratione sui immediatè actum divini intellectus terminare. Maj. est nota ; minor verò infra q. 19. art. 2. fusè demonstrabitur, & modò breviter probatur, voluntas per modum naturæ fertur in omne illud quod per se primò illam terminat, quia se habet ut forma dans speciem ; unde voluntas nostra per modum naturæ fertur in bonum in communi : & voluntas Dei naturaliter amat suam bonitatem quæ est ipsamet ejus essentia : sed Deus creaturas naturaliter non amat, sed liberè, nec ad eas habitudinem necessariam dicit : ergo bonitas creata per se immediatè nequit terminare actum divinæ voluntatis.

§. II.

Solvuntur argumenta.

ARg. 1. Deus cognoscit veritates creatas omni modo, quo cognoscibiles sunt : sed veritates creatæ sunt cognoscibiles mediatè in divina essentia, & immediatè in seipsis : ergo illas Deus utroque modo cognoscit. Maj. patet, quia Deus est infinitè cognoscitivus. 64.

Conf. intellectus creatus animæ Christi cognoscit veritates creatas in Verbo, seu divinâ essentiâ tanquam in medio in quo, & etiam eas cognoscit in seipsis immediatè extra Verbum : sed non ob aliam rationem nisi quia ejus cognitio debuit esse perfectissima in omni linea, & subinde debuit res cognoscere omni modo, quo cognoscibiles sunt : ergo potiori jure, cum divina cognitio sit perfectissima, debet 65.

bet cognoſcere omnes res omni modo quo cognoſcibiles ſunt, & ſubinde in ſeipſis.

66. Conf. 2. perfectiùs eſt cognoſcere objecta ſine medio, quam in aliquo medio; v. g. perfectius eſt videre & intueri hominem in ſeipſo immediatè, quam in ſpeculo in quo repræſentatur: ergo modus cognoſcendi creaturas immediatè in ſeipſis, multò perfectior eſt, quam modus eas cognoſcendi in eſſentia divina tanquam in cauſa, & medio prius cognito.

67. Reſp. ad arg. diſt. maj. Deus cognoſcit veritates creatas omni modo quo cognoſcibiles ſunt, ſi fiat ſermo de omni modo tenente ſe ex parte ſubjecti cognoſcentis, nego maj. ſi fiat ſermo de modo tenente ſe ex parte rei cognitæ, concedo maj. id eſt nihil eſt in re cognita, quod à Deo perfectiſſimè non cognoſcatur, ſed quia alius eſt modus cognoſcendi ex parte cognoſcentis, qui eſt per ſpecies à rebus acceptas, qui eſt proprius homini; alius per ſpecies inditas, qui competit Angelo: & alius per eſſentiam ut continentem ſpecies omnium rerum, ut cauſam; earum duo primi modi repugnant divino intellectui, utpote involventes dependentiam ab alio, & ſolus tertius ei proprius eſt, qui eſt per hoc quod aſſimilat ſibi omnes res. Et diſt. min. veritates ſunt cognoſcibiles mediatè in divina eſſentia, & immediatè in ſeipſis, in cognitione quæ fit per aſſimilationem paſſivam cognoſcentis ad cognitum, concedo min. in cognitione, quæ fit per aſſimilationem activam cognoſcentis ad cognitum, nego min. hujuſmodi autem eſt cognitio divina, Deus enim per hoc cognoſcit res, quod continet ſicut cauſa omnium ſimilitudines, & eas ſibi aſſimilat actu

Qu. 2. de verit. art. 3. ad 2. & art. 4. ad 6.

actu vel virtute : ut expresſè docet D.Thom. *q.2. de verit. art.8. ad 2.*

Et ratio eſt, quia in cognitione, quæ eſt per aſſimilationem paſſivam cognoſcentis ad cognitum, ſubjectum ſupponitur exiſtens, & ſic poteſt cognitio ad eam immediatè in ſeipſa terminari : ſed in cognitione quæ fit per aſſimilationem activam, per quam cognoſcens aſſimilat ſibi cognitum, cognoſcens dat eſſe cognito, tanquam in cauſa ideali, & mediante idea terminatur ad ipſam rem in ſe, ſicut cognitio domus fiendæ non terminatur ad domum immediatè, ſed ad formam domus quæ eſt in mente : & eâdem ratione cognitio divina terminatur ad ipſas res creatas, non quidem in ſeipſis immediatè ſed ad ſuam eſſentiam ut intellectam, quæ habet rationem cauſæ idealis omnium rerum, & ad ſuam bonitatem quæ habet rationem cauſæ finalis, & ad ſuam potentiam quæ habet rationem cauſæ efficientis. 68.

Reſp. ad 1. conf. ex D.Thom. conceſsâ maj. 69.
diſt. min. ſed non alia ratione, niſi quia debuit Qu. 20.
cognoſcere omnes res omni modo quo cognoſ- de verit.
cibiles ſunt, omni modo tenente ſe ex parte rei art. 2.
cognitæ tantùm, nego ; omni modo tenente ſe & 3.
tam ex parte rei cognitæ, quam ex parte cognoſcentis nimirum intellectus creati, & in ſpecie humana conſtituti, concedo min. Vnde cum intellectus creatus Chriſti ſit perfectibilis non ſolum ſupernaturaliter per habitum luminis gloriæ ut cognoſcat omnia intelligibilia, ad quæ eſt in potentia, ſed etiam naturaliter per ſpecies acquiſitas vel ſuperadditas, per quas reducitur in actum, & rerum notitiam accipit, debuit utramque perfectionem habere, & ſubinde

inde cognoscere omnes res creatas, non modo in Verbo, sed etiam in propria natura. At verò intellectus divinus non est perfectibilis speciebus aliunde acceptis, sed suamet essentia continens species omnium rerum eminenter, & assimilans sibi activè illas est quâ cognoscit omnia; unde ex parte cognoscentis non cognoscit res immediatè, sed mediante sua essentia prius cognitâ, quia immediatè eas cognoscere supponit existentiam earum, & quandam ab eis, vel speciebus earum propriis dependentiam, quæ est perfectibilis ad suum actum & perfectionem aliunde acceptam. Vnde dist. conseq. ut supra.

70. Resp. ad 2. conf. dist. maj. perfectius est cognoscere objecta sine medio, quam in aliquo medio, si res perfectiori modo sint in seipsis, quam in medio, concedo maj. si perfectiori modo reluceant in medio quam in seipsis, nego maj. creaturæ autem perfectiori modo relucent in divina essentia, ut causa eminentissimâ illarum, & in actu perfecto omnium existente, quam in seipsis, & ideo perfectiùs videntur in divina essentia: non autem ita evenit in speculo, quod non continet res perfectiori modo, quam sint in seipsis. Hinc est quod domus perfectiùs cognoscitur in arte & idea, quam in seipsa, quia in arte & idea continetur immaterialiter, in seipsa autem materialiter; & in idea est vita, in se autem caret vita.

Qu. 8. de verit. art. 8. arg. 2. q. 3. de verit. art. 1. ad 1.

71. Arg. 2. cognoscere aliquid per aliud est imperfectæ cognitionis, si sit cognoscibile per se, ut docet D. Th. sed res creatæ sunt cognoscibiles per se: ergo cognitio Dei erit imperfecta, si per aliud tantùm eas cognoscat, & non in seipsis.

Infra art. 10. ad 4.

Conf.

Conf. cognitio rei in alio, ut in causâ, est abstractiva: sed hæc minùs perfecta est, quam cognitio intuitiva rei in seipsa immediatè: ergo cognitio Dei cum sit perfectissima, etiam res creatas in seipsis immediatè attingere debet. 72.

Resp. quòd S. D. intelligit de cognoscibilitate activâ, seu effectivâ, id est, si sit potens efficere cognitionem sui mediante specie sua, & similitudine intelligibili, perfectiùs cognoscitur per se quam per aliud, sicut perfectius cognoscitur ignis per seipsum, quam per fumum: res autem non sunt cognoscibiles activè, seu effectivè ab intellectu divino, quia non possunt assimilare sibi intellectum divinum mediante specie sua; sed intellectus divinus activè assimilat sibi illas, & per id cognoscit eas in se immediatè, & non immediatè in seipsis. Vnde in forma dist. maj. si sit cognoscibile per se quasi activè, & ut potens efficere sui similitudinem in cognoscente, concedo maj. si sit cognoscibile quasi passivè & per assimilationem activam ipsius cognoscentis, assimilantis activè cognitum, nego maj. Et dist. min. sunt cognoscibiles per se respectu intellectus accipientis cognitionem per species à rebus acceptas, vel aliunde inditas, aut superadditas, concedo min. respectu intellectus cognoscentis res per assimilationem activam earum, nego min. hujusmodi autem est intellectus divinus. Patet exemplo in domo, quæ ut actu existens, & potens efficere sui cognitionem mediante sensu, dicitur cognoscibilis per se: sed domus fienda, quæ non est actu in re, sed in arte & idea artificis, non dicitur cognoscibilis per se immediatè sed per suam ideam; creaturæ autem 73.

non ſunt per ſe, ſed dependenter à Deo ceu causâ efficiente, finali, & ideali; unde à Deo ſic duntaxat cognoſci poſſunt. Aliàs ejus cognitio eſſet à ſpeciebus aliunde acceptis.

74. Reſp. ad conf. diſt. maj. cognitio rei in cauſa duntaxat eſt abſtractiva, ſi cauſa non contineat ipſum effectum in actu perfecto, & ſecundùm omnem diſpoſitionem, ſeu determinationem ad eſſe, concedo maj. ſi contineat effectum in actu perfecto, & ſecundùm omnem diſpoſitionem ſeu determinationem ad eſſe, nego maj. ſic autem eſſentia divina continet omnes res creatas exiſtentes, non modò præſentes, ſed etiam præteritas & futuras, ut infra ad art. 13. explicabitur: unde reſpectu earum habet ſcientiam viſionis, ſeu notitiam ſimpliciter intuitivam. Reſpectu autem poſſibilium habet ſimplicem intelligentiam, inquantum ejus cognitio non terminatur ad eas ut exiſtentes in propriâ naturâ. Et diſt. min. notitia intuitiva eſt minùs perfecta, quam cognitio intuitiva ipſius rei in ſeipſa, reſpectu ejuſdem objecti cognoſcibilis utrâque cognitione, & per diſtinctum medium, concedo: reſpectu diverſorum objectorum, abſolutè loquendo, nego. Nam cognitio quam habet homo in via de Deo, aut Angelo eſt abſtractiva, & tamen eſt nobilior, quam cognitio intuitiva, quam habet de verme, vel aliâ creaturâ minùs nobili. Unde nego conſeq. quia nobilitas cognitionis in Deo ſumitur ab eo, quod ſe habet ut principium & forma, per quam eſt actu intelligens: hæc autem eſt divina eſſentia, & non res in propria natura, & entitativè exiſtens, aut ſpecies ejus ab ea accepta, quia hæc repugnat divino

vino intellectui, aliàs realiter ab alio perfectibilis esset, quemadmodum intellectus noster à speciebus, quas à rebus accipit, aut superadditis, & intellectus angelicus à speciebus sibi à Deo inditis.

Arg.3. eo modo aliquid in alio, tanquam in medio, cognoscitur, quo in eo continetur: sed creaturæ continentur in Deo eminenter, & non secundùm esse formale eorum, quod habent ad extra: ergo solùm cognoscerentur secundùm illud esse eminentiale quod habent in Deo, & non secundùm esse quod habent ad extra, si cognoscerentur solùm in Deo ut in causa, & non in seipsis, seu in propriis creaturis. Resp. concessâ maj.dist.min. creaturæ continentur in Deo eminenter, & non secundùm esse formale eorum, entitativè & naturaliter atque secundùm esse limitatum quod habent ad extra, concedo: non continentur ut in cognoscente, & in esse repræsentativo ideali, nego min. & consequentiam; neque enim requiritur ut aliquid cognoscatur secundùm quod est ad extra, quòd contineatur secundùm esse entitativum, & naturale, sed quòd contineatur intelligibiliter, & sicut in cognoscente; Deus autem per essentiam continet omnes rerum species, quatenus est causa assimilans sibi omnes res, & ut actus perfectus continet imperfectos: unde de rebus omnibus, etiam prout habent esse ad extra, mediante suâ essentiâ propriam ac distinctam habet cognitionem. 75.

Arg. ultimò: sunt aliquæ veritates creatæ adeo patentes & manifestæ, ut per seipsas, absque ullo medio, intellectui creato innotescant, unde & per se notæ dicuntur: ergo saltim 76.

tales veritates immediatè in ſeipſis, & non in divina eſſentia, tanquam in cauſa cognoſcuntur.

77. Reſp. diſt. antec. hujuſmodi veritates ex parte cognoſcentis nõ indigent medio, nego: ex parte rei cognitæ, concedo antecedens: & nego conſeq. ratio diſparitatis eſt, quia intellectus divinus non cognoſcit per ſpecies à rebus acceptas ſicut humanus, ſed per eſſentiam ſuam; unde intellectui divino non ſunt magis notæ aliquæ veritates ex parte cognoſcentis quam aliæ, licet cognoſcat eas eſſe magis cognoſcibiles: & ſubinde omnes iſtas veritates, ſicut & alias in ſua eſſentia prius cognitâ intuetur. At verò intellectus humanus accipiens ſpecies à rebus mediante ſenſu habet ex parte cognoſcentis, quod aliqua ſint per ſe nota, & immediatè cognoſcantur, non verò alia.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſcientia Dei ſit diſcurſiva.

CAPVT I.

Oſtenditur in Deo nullatenus reperiri formaliter diſcurſum, etiam virtualem.

1. Lib. 1. cont. gent. cap. 57.



QVIDAM antiqui, ut refert D.Thom. diſcurſum in divinam ſcientiam induxerunt: tum ex hoc quod per eſſentiam ſuam alia cognoſcat: tum ex hoc quòd inconveniens fortè aliquibus videretur, ſi Deus ſyllogiſare non poſſet. Ipſam tamen

tamen discursu formali carere asserunt unanimi consensu Theologi. Apud quosdam tamen, præsertim Recentiores, in dubium vertitur, an Dei scientia, saltim virtualiter discursiva sit? Affirmativam partem tuentur illustris. Godoy *hîc disp.* 28. §. 1. Serra *ad hunc articulum*, & alii. Negativam defendunt Cornejo *ibid. tract.* 1. *dub.* 1. & alii. Esse autem divinam scientiam virtualiter discursivam in eo sistere dicunt, quod esto in Deo esse nequeat realis cognitionum causalitas, ita ut una ex alia realiter causetur, ut in discursu formali contingit, cognitio enim conculsionum ex cognitione principiorum in eo causatur: reperitur nihilominus virtualiter hujusmodi causalitas cognitionum, & virtualis influxus unius in aliam; v. g. inter cognitionem essentiæ & attributorum virtualis causalitas intercedit, & dato per impossibile quod abinvicem realiter distinguerentur, cognitio essentiæ divinæ esset causa cognitionis attributorum.

Notandum, hîc in dubium non revocari, an id, quod perfectionis in cognitione discursiva reperire est, ut cognitionis certitudinem Dei scientiæ competat, hoc enim certissimum est in ipso inveniri: sed difficultas est, utrum scientia Dei, quippequæ perfectissima, careat omni prorsus discursu, etiam virtuali, cum in formali discursu, ratione imperfectio quædam necessariò involvatur: quæ autem ita se habent, in Deo attribui nequeunt, nisi virtualiter, vel eminenter, & nullatenus formaliter. Itaque sensus dubii est, an sicut Deo formaliter competit ratio scientiæ, quippequæ perfectio simpliciter simplex, & nullam in suo conceptu 2.

imperfectionem involvens, ita illi attribui possit formaliter quidam discursus virtualis: nam si iste in suo conceptu nullam dicat formaliter imperfectionem, non est dubium quin ei tribui debeat, secùs verò si illam involvat.

3. Conclusio: in Deo nullus est discursus, etiam virtualis. Prima pars prob. ex D. Augustino lib. 15. de Trinit. c. 14. dicente, Quod *Deus non particulatim, vel sigillatim omnia videt, velut alternante conceptu, hinc illuc, inde huc; sed omnia videt simul:* Sed in omni discursu requiritur conceptuum alternatio, & diversa apprehensio, quarum una sit ab alio causata: ergo in Deo nullus est discursus.

4. hic in c. Deinde prob. ratione sic: in scientia nostra duplex reperitur discursus, nimirum secundùm successionem, & secundùm causalitatem: sed neuter horum in Deo reperitur: ergo in Deo nullus est discursus. Prob. min. imprimis non datur in eo discursus secundùm successionem: nam discursus iste fit, quando intelligimus unum, & postea vertimur ad aliud intelligendum, sive cognitio unius ab altero dependeat; sive non: ergo qui intelligit multa simul in uno, non discurrit discursu secundùm successionem: sed Deus cognoscit omnia simul in uno, scil. in seipso: ergo Deus non discurrit discursu successivo. Prima conseq. prob. Multa enim, quæ successivè intelligimus, si unumquodque eorum in seipso consideretur, omnia simul intelligimus, si in aliquo uno ea intelligamus: puta si partes in toto intelligamus, vel si diversas res videamus in speculo.

5. ibidem Deinde non datur discursus aliquis secundùm causalitatem, primò, quia in eo, in quo est discursus

cursus secundùm causalitatem, est etiam discursus secundùm successionem: sed in Deo non est discursus secundùm successionem: ergo neque secundùm causalitatem. Maj prob. quia discursus secundùm causalitatem discursum secundùm successionem præsupponit, procedentes enim à principio cognito ad conclusionem non cognoscimus utrumque simul, sed unum post aliud. Secundò, quia ille qui non procedit de noto ad ignotum, discursu secundum causalitatem non discurrit: sed Deus non procedit de noto ad ignotum: ergo Deus non habet discursum secundùm causalitatem. Min. prob. quia Deus omnia simul in seipso cognoscit.

Ex quibus prob. secunda pars conclusionis, nimirum discursum virtualem in Deo nullatenus esse admittendum: quia in eo, in quo est discursus secundùm causalitatem est etiam discursus secundùm successionem, ex D. Thom. ergo in eo, in quo est discursus virtualis secundùm causalitatem, est discursus virtualis secundùm successionem cognitionum: ergo si in Deo admittatur discursus virtualis secundùm causalitatem, admittendus erit discursus virtualis secundùm successionem cognitionum: sed hic omnino repugnat Deo: ergo & ille. Probat. minor. quia qui habet successionem in cognoscendo, seu intelligendo, quodammodo est in potentia, dùm enim unum intelligit actu, in potentiâ duntaxat intelligit aliud; sicut ille, qui actu intelligit principia, in potentia duntaxat conclusiones intelligit, si successivè intelligat: hæc enim est successivorum natura, 6. Loc. cit

quod non ſint in actu perfecto, ſed in actu immixto potentialitati: ſed omnino repugnat divinæ eſſentiæ aliqua potentialitatis ratio, etiam virtualiter, cum eſſentialiter ſit actus purus: ergo virtualis diſcurſus ſecundùm ſucceſſionem cognitionum omnino repugnat Deo.

7. Conf. ex eodem S. D. q. 2. de verit. art. 3. ad 3. ubi ait: *Nec tamen ſequitur, quòd cognoſcendo effectum per hoc quod eſſentiam ſuam cognoſcit ſit aliquis diſcurſus in intellectu ejus. Tunc enim dicitur ſolùm intellectus de uno in aliud diſcurrere, quando diverſa apprehenſione utrumque apprehendit, ſicut intellectus noſter alio actu apprehendit cauſam & effectum, & ideo effectum per cauſas cognoſcens dicitur diſcurrere, quando diverſâ apprehenſione utrumque apprehendit, ſicut intellectus noſter alio actu apprehendit cauſam & effectum: Et ideo effectum per cauſam cognoſcens dicitur diſcurrere in effectum. Quando verò non alio actu fertur potentia cognoſcitiva in medium quo cognoſcit, & in rem cognitam, tunc non eſt aliquis diſcurſus in cognitione ſicut viſus cognoſcens per ſpeciem lapidis in ipſo exiſtentem, vel rem, quæ reſultat in ſpeculo per ſpeculum, non dicitur diſcurrere, quia idem eſt ferri in ſimilitudinem rei, & in rem, quæ per talem ſimilitudinem cognoſcitur: hoc modo autem Deus per eſſentiam ſuam effectus ſuos cognoſcit, ſicut per ſimilitudinem rei cognoſcitur res ipſa: & ideo unâ cognitione ſe & alia cognoſcit, ut etiam dicit Dionys. 7. cap. de divin. nom. ſic dicens: Non igitur Deus propriam habet ſui ipſius cognitionem aliam quam communem exiſtentia omnia comprehendentem. Et ideo nullus diſcurſus eſt in ejus intellectu.*

Ex quibus ſic: Implicat dari diſcurſum, niſi res diſtincto actu ſive apprehenſione intellectivâ cognoſcantur: ſed implicat Deum res diſtincto, ac diverſo actu ex parte cognoſcentis apprehendere: ergo implicat diſcurſus quilibet, etiam virtualis, in Deo. Sequela patet, quia ſi ſufficit ad diſcurſum ut unico actu, ſive unicâ apprehenſione ipſe intellectus multa apprehendat ex parte rei cognitæ, dum videt rem in ſpeculo, vel dum judicat de veritate alicujus enunciationis diſcurreret, quod eſt abſurdum. Min. verò prob. tum ex dictis ſupra, quia nimirum ibi daretur actuum ſucceſſio, & ſubinde Deus eſſet in potentia intelligens. Tum quia impoſſibile eſt multiplicari actum, niſi multiplicetur principium illius actus: ſed eſſentia divina in ratione ſpeciei intelligibilis eſt principium actus intelligendi in Deo, ſaltem ſecundùm modum ſignificandi: ergo impoſſibile eſt multiplicari actum intelligendi in Deo, niſi multiplicetur ejus eſſentia, quod eſt abſurdum. Præterea quia actus intelligendi in Deo eſt ipſamet ejus eſſentia, cùm Deus ſit per eſſentiam ſuam intelligens, ſeu intelligere Dei eſt ejus eſſe: ergo ſicut impoſſibile eſt eſſe plures eſſentias ipſius Dei, aut plura eſſe, cùm ſit ens ſimpliciſſimum, ita implicat eſſe plures operationes, & diſtinctas. 8.

1. cont. gent. c. 55.

ſupra art. 2. & 1. cont. gentes cap. 45.

9. Dices, quòd eſto implicet Deum res cognoſcere diverſo ac diſtincto actu realiter, non tamen diſtincto virtualiter: diſcurſus autem ille virtualis eſt unus actus ſimplex realiter, eſto ſit multiplex virtualiter. Non, inquam, valet: Primò, quia repugnat virtualis ſucceſſio

&

& causalitas cognitionum in Deo ; nam successio quælibet ex sua natura potentialitatem involvit, dum enim unum est in actu, nondum est aliud ; habet namque ex sua natura & conceptu essentiali prius & posterius : causalitas verò cognitionum dependentiam unius ab alia intrinsecè involvit : ergo nequit esse in Deo ex parte actus multiplex cognitio etiam virtualiter : aliàs esset virtualis dependentia & successio, quod latè impugnavimus supra *art.* 1. *cap.* 7. §. 2.

10. Secundò, quia actus cognitionis est ipsamet divina essentia, quæ neque secundùm seipsam, neque virtualiter est multiplex & composita, cum simplicitas & unitas omnimoda sit de illius essentia : ergo ex parte cognitionum nequit esse distinctio & multiplicitas, sed tantummodo ex parte objectorum, quod non sufficit ad discursum virtualem, aliàs in uno multa intelligens discurreret.

CAPVT II.

Solvuntur argumenta.

11. ARg. 1. qui cognoscit multa, non simul sed unum post aliud, discurrit : sed Deus cognoscit plura, scil. se, & alia à se, non simul, sed unum post aliud : ergo ejus scientia est discursiva. Prob. min. qui scit non in habitu tantùm sed in actu, non scit multa simul, sed unum post aliud : sed Dei scientia non est in habitu sed in actu : ergo Deus non potest scire multa simul,

ſimul, ſed unum poſt aliud. Maj. prob. ex Ariſt.2. Topic. cap.4. dicente, quod ſcire in habitu contingit multa ſimul,ſed intelligere actu unum tantùm.

Reſp. S. D. quòd licet non poſſint multa ſimul in actu intelligi, ſi illa multa intelligantur in ſeipſis, & per proprias ſpecies, quo pacto loquitur Ariſt. tamen ſi plura in alio intelligantur, poſſunt ſimul in actu intelligi. Et quia Deus omnia in uno, id eſt, in ſua eſſentia intelligit,propterea omnia ſimul in actu cognoſcit abſque aliquo diſcurſu. 12.

Arg.2. cognoſcens effectum per cauſam diſcurrit : ſed Deus cognoſcit effectum per cauſam, nimirum creaturas per ſeipſum : ergo diſcurrit. 13.

Conf. cognoſcens effectus in cauſis creatis diſcûrrit : ſed Deus cognoſcit effectus omnes per ſuas proprias cauſas multò meliùs quam nos : ergo diſcurrit.

Reſp. S. D. quod cognoſcere effectum per cauſam dupliciter poteſt intelligi : Vno modo ut ſciatur priùs cauſa, & poſtea ex cognitione cauſæ deveniatur in cognitionem effectus : Alio modo ut cognoſcatur cauſa, & ſimul in causâ cognoſcatur effectus. Quando quis cognoſcit effectum per cauſam primo modo, neceſſariò diſcurrit : ſed qui cognoſcit effectum in causâ, non diſcurrit. Deus autem cognoſcit omnes effectus in ſeipſo, qui eſt omnium rerum cauſa : & ideo non diſcurrit. 14.

Reſp. S. D. ad conf. quòd Deus videt etiam effectus in ſuis propriis cauſis multò meliùs quam nos videamus : non tamen ita videt effectus in cauſis, ut ex cognitione cauſæ deveniat 15.

in cognitionem effectuum: sed cognoscit in seipso simul omnes causas & effectus, quod fit absque ullo prorsus discursu.

16. Arg.3. eatenus Deo repugnat discursus quatenus repugnat causalitas unius cognitionis ex alia: sed non repugnat virtualis causalitas, esto repugnet causalitas realis: ergo nec repugnat virtualis discursus. Min. prob. primò: quia non repugnat virtualis influxus essentiæ in attributa; & unius attributi in aliud: ergo pariter non repugnabit virtualis causalitas unius cognitionis in aliam. Prob. 2. eatenus repugnat inter cognitiones causalitas, quatenus repugnat distinctio; si namque inter cognitiones divinas esset realis distinctio, esset realis causalitas: sed de facto datur virtualis distinctio inter cognitiones: ergo etiam dabitur inter illas virtualis causalitas. Minor prob. ex D.Th.
In 1.dist. 35. q. 1. art. 1. ad 5. dicente, quod *in Deo est aliud intelligere, quam scire secundùm rationem.* Tertiò, quia virtualis causalitas sic explicatur, dum ita se habent duo, quod si unum ab alio realiter distingueretur, realiter causaretur ab illo: sed si cognitio scientifica Dei realiter distingueretur à cognitione luminis principiorum, realiter causaretur ab illa: ergo modò intervenit virtualis causalitas.

17. Conf. Deus attingit suam naturam secundùm conceptum naturæ per actum virtualiter distinctum ab actu scientifico attingente attributa: ergo ex illo ad istum virtualiter procedit. Constat antecedens: quia in objecto primi actus virtualiter objectum alterius continetur: ergo & actus in actu; non enim aliunde continentia unius actus in alio potest oriri, quam ex

ex continentia objecti in objecto. Conseq.verò prob. primò, quia ideo Angelus virtualiter discurrit ex principiis ad conclusiones, & homo formaliter, quia Angelus attingit principia per actum virtualiter distinctum à scientia, & homo per actum realiter distinctum : ergo si intellectus divinus attingit naturam sub conceptu naturæ per actum virtualiter distinctum ab actu scientifico, discurret virtualiter à principiis ad conclusiones. Secundò, quia in illo actu virtualiter continetur actus scientificus erga attributa : ergo ex illo ad istum datur virtualis processus, seu discursus.

Resp. ad arg. disting. maj. eatenus Deo re- 18.
pugnat discursus, quatenus repugnat causalitas unius cognitionis ex alia, absolutè, seu ex parte rei cognitæ, nego : quia repugnat causalitas ex parte cognoscentis unum post aliud, & cum quadam successione cognitionum, concedo maj. Et dist. min. non repugnat virtualis causalitas cognitionum in Deo, absolutè, vel ex parte rei cognitæ, transeat : ex parte cognoscentis cum quadam successione inter ipsas cognitiones, nego min. & conseq. Nam ut ex D.Thom. diximus, omnis discursus secundùm causalitatem præsupponit discursum secundùm successionem : successio autem cognitionum omnino Deo repugnat, tum quia est cum quadam mutatione, tum quia est cognitio imperfecta & procedentis de noto ad ignotum.

Ad 1. prob. min. negatur antecedens, quia, 19.
ut diximus, si daretur hujusmodi virtualis influxus, admittendum esset, posse dari aliquid in Deo, quod posset habere esse per participatum, quia nihil causatur, nisi per hoc quod actu accipit

Vide supra art. 2. cap.

cipit esse, & subinde aliquid quod esset finitum, & creatum, atque ita non Deus, quod omnino absurdum est, quia quidquid est in Deo, essentialiter est ipsemet Deus.

20. Resp. ad 2. prob. neg. maj. nimirum, quod repugnet inter cognitiones causalitas, quia repugnat distinctio, absolutè loquendo, sed quia repugnat successio utpote quæ arguit potentialitatem, & imperfectionē. Etenim multæ cognitiones in nobis realiter distinctæ sunt, & tamen una ab alia non causatur. Vel dist. maj. eatenus repugnat inter cognitiones causalitas, quia repugnat distinctio, orta ex dependentia unius ab alia, concedo: absolutè, nego. Nam datur inter Personas divinas realis distinctio, & tamen inter eas nullo modo admittenda est causalitas, quia hæc arguit intrinsecam dependentiam in essendo unius ab alio, quod repugnat omnino & essentialiter rationi primi entis per essentiam: quod nullatenus potest ab participare esse.

21. Resp. ad 3. prob. admissâ illa explicatione virtualis causalitatis, quam gratis & sine fundamento in Deo authores oppositæ sententiæ confingunt, quod si cognitio scientifica Dei realiter distingueretur à cognitione luminis principiorum, non esset cognitio divina, sed esset quid causatum actu, & participans esse, immo & ipsa cognitio habitus hominis principiorum esset in potentia ad cognitionem scientificam conclusionum.

22. Resp. ad conf. neg. anteced. est enim simplicissimus actus quo se intelligit, itaut nullam causalitatem virtualem aut successionem importare possit. Vnde non est virtualis processus.

Nec habet scientiam propriè dictam de suis attributis, ut probatum est supra art. 1. cap.7. §. 2. Neque etiam in Angelo admittendus venit discursus iste virtualis formaliter, quia discursus nascitur in umbra intelligentiæ, & reperitur in homine, quatenus deficit à puritate intelligentiæ. Et licet admitteretur in Angelo, non tamen in Deo, quia angelicus intellectus habet suum tempus discretum, & subinde quandam successionem in intelligendo, seu motum discretum: non verò Deus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum scientia Dei sit causa rerum.

CAPVT I.

Statuuntur duæ conclusiones D.Thomæ, & breviter elucidantur.


OTANDUM est, quod esto omnia attributa Dei positiva quendam modum causalitatis importent, sicut bonitas divina dicitur causa bonorum, & vita causa viventium, & sic de aliis: non tamen in eis omnibus idem causalitatis modus reperitur. Quædam enim ipsorum inveniuntur habere comparationem, non modò ad habentem, sed etiam ad aliquid sicut ad objectum, ut potentia, & voluntas: quædam autem ad habentem tantùm, ut vita, bonitas, & hujusmodi: & ista omnia habent unum causalitatis modum, 1. 1. dist. 38. q. 1. art. 1. c.

modum, ſcil. per modum communem efficientis exemplaris; dicimus enim quod à primo bono ſint omnia bona, & à primo vivente omnia viventia. Sed illa quæ dicuntur per comparationem ad objectum habent etiam alium cauſalitatis modum, reſpectu ſcil. objectorum, ut voluntas reſpectu volitorum, & ſic quæritur hîc de cauſalitate ſcientiæ. Conſtat enim Dei ſcientiam eſſe cauſam per modum efficientis & exemplaris omnium ſcientiarum; ſed dubium eſt utrum ſit cauſa ſcitorum.

2. Prima concluſio: ſcientia Dei eſt cauſa rerum ſcitarum. Hæc concluſio eſt de fide. Colligitur ex illo Pſal.103. *Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.* In quæ verba Auguſtinus conc. 4. *Quidquid*, ait, *à Deo factum eſt, in ſapientia factum eſt, & per ſapientiam factum eſt. Quidquid novit ſapientiam, & quidquid non novit ſapientiam, & tamen in creatura Dei eſt, in ſapientia factum eſt, & per ſapientiam factum eſt. Qui cognoſcunt ſapientiam, lucem habent ſapientiam: qui non cognoſcunt, habent tamen artificem ſapientiam.* In his ultimis verbis alludere videtur S. D. ad illud Sapientiæ 8. *Quis horum quæ ſunt magis quam illa*, ſcil. ſapientia, *eſt artifex?*

Loc. cit. & q 2. de verit. art 14 1. cont. gent. c. 61. & 62.

Probat S. D. in Sed contra, authoritate ejuſdem D. Auguſtini lib. 15. de Trinit. cap.13. dicentis: *Vniverſas creaturas ſuas, & ſpiritales & corporales, non quia ſunt, ideo novit* (ſcil. Deus) *ſed ideo ſunt quia novit. Non enim neſcivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſcivit, creavit; non quia creavit, ſcivit.* Quod & ſupra lib.6.cap.10. aſſeruerat, inquiens: *Non enim hæc quæ creata ſunt, ideo ſciuntur à Deo, quia facta ſunt: ac non*

potiùs ideo facta sunt, vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo sciuntur.

3. Deinde probat S. D. in corp. hac ratione: scientia Dei se habet ad res creatas, sicut scientia artificis ad artificiata: sed scientia artificis est causa rerum artefactarum: ergo scientia Dei est causa rerum creatarum. Prob. min. forma operantis est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis: sed artifex agit per intellectum, cujus forma est ipsa artificis scientia: ergo scientia artificis est principium rerum artefactarum. Hæc ratio sumpta est ex D. August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. cit. ubi ait: quod divina sapientia est *Ars quædam omnipotentis, atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium.... Ibi omnia novit Deus, quæ fecit per ipsam, & ideo cum decedant, & succedant tempora, non decedit, vel succedit aliquid scientiæ Dei.*

Hic, & locis cit.

Qu. 2. de verit. art. 14.

4. Conf. cum omnis similitudo attendatur secundùm convenientiam alicujus formæ, oportet ut quæcunque sunt similia, ita se habeant, quod vel unum sit causa alterius, vel ambo ex una causa causentur; sed in omni scientia est assimilatio scientis ad scitum: igitur oportet, quod vel scientia sit causa sciti, vel scitum sit causa scientiæ, vel utrumque ab una causa causetur: sed non potest dici quod res scitæ à Deo sint causa scientiæ in ipso, cum res sint temporales, & scientia Dei sit æterna; temporale autem æterni causa esse nequit: similiter non potest dici quod utrumque ab una causa causetur: quia in Deo nihil potest esse causatum, cum ipse essentialiter sit quidquid habet: ergo sequitur quòd scientia ejus sit causa re-

Locis cit. ex 1. sent. & q. 2. de verit.

rum. Vnde per hoc distinguitur à scientia, quam nos de rebus naturalibus habemus, quæ est ab ipsis rebus causata: inquantùm scil. eam à rebus accipimus. Distinguitur etiam à scientia ipsorum Angelorum, quæ nec est à rebus causata, neque ipsarum rerum causa est: sed utrumque est ab una causa (videlicet res ipsæ, & angelica scientia de illis) nimirum à Deo. Sicut enim Deus formas universales rebus influit ut subsistant; ita similitudines earum mentibus Angelorum influit, ad ipsas cognoscendas.

5. Secunda conclusio: scientia Dei non est causa rerum, nisi adjuncta voluntate. Hæc conclusio etiam est de fide. Sumiturque ex Apostolo ad Ephes. cap.1. dicente: *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* En scientiæ junctam voluntatem in Dei operibus faciendis. Quod non latuit D. Hieronymum ibid. scribentem: *Considerandum quod & hic prædestinatio & propositum simul posita sint, juxta quæ operatur omnia Deus secundùm consilium voluntatis suæ. Non quo omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate & consilio peragantur (alioquin & mala Deo poterunt imputari) sed quo universa, quæ facit, consilio faciat & voluntate, quod scil. & ratione plena sint, & potestate facientis. Nos homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullus resistere potest, quin omnia quæ voluerit faciat.*

6. Sumitur etiam ex Concilio Syrmiensi, quod differentiam constituens inter unigeniti filij Dei processionem, & creaturarum productionem in confess. fidei can.21. ita definit: *Si quis consilio*

consilio Dei, tanquam unam creaturarum, factum asserit Dei filium, Anathema sit. Vbi ad præfatam Apostoli doctrinam Concilium alludere videtur, qui sentit consilio & voluntate Dei omnia fuisse condita. Sumitur etiam ex Concilio Toletano 1. de regulis fidei cap. 21. dicente: *Animam hominis creaturam dicimus, Dei voluntate creatam.* Et tandem in Concilio Lateranensi celebrato sub Innocentio II. damnati sunt Arnaldus de Brixia, & Sectatores ejus, eò quod assererent Deum agere ex necessitate naturæ, quod idem est atqui Deum non producere ipsas res per scientiam adjunctâ liberâ ad utrumlibet sui voluntate.

Prob. ratione D. Thom. Deus per intellectum suum causat res: ergo principium agendi ipsas est forma quædam intelligibilis, sive scientia, quia per eam intellectus est in actu: sed forma intelligibilis non nominat principium actionis, secundùm quod est tantum in intelligente ut perfectio ejus, nisi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ est per voluntatem: ergo ipsius scientia est causa rerum secundùm quod habet adjunctam voluntatem. Antecedens prob. à D.Thom. sic, esse Dei est suum intelligere; ergo est agens per intellectum. Minorem autem probat dupliciter, primò à simili in forma naturali, quæ non nominat principium operationis, ut est forma in eo manens, cui dat esse, sed secundùm quod habet inclinationem ad effectum: ergo similiter forma intellectus, quæ est species intelligibilis, sive scientia non nominat principium actionis secundùm quod est tantùm in intelligente ut perficiens ipsum, seu quiescens in eo. Secundò 7.

probat ratione : forma ad opposita se habens aliquem effectum determinatum producere nequit, nisi priùs per aliquid aliud sit ad unum determinata : sed scientia est quædam forma indeterminata, cum eadem manens sit oppositorum : ergo nequit producere aliquem effectum determinatum, nisi ad unum sit determinata per voluntatem, ut etiam docet Arist. *lib.9.metaphys.text.*10. Vnde scientia Dei prout est causa rerum, scientia approbationis consuevit appellari.

CAPVT II.

Solvuntur argumenta.

8. ARg. 1. Origenes explicans illud Apostoli ad Romanos 8. *Quos vocavit, hos justificavit*, docet quod non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, ideo scitur à Deo : sed si res causarentur à Deo, futuræ essent, quia id Deus sciret : ergo scientia Dei non est causa rerum, sed è converso res sunt causa ipsius scientiæ divinæ.

9. Hanc eandem Origenis doctrinam videntur tradere alij Patres, inter quos D. Iustinus martyr lib. quæst. q.58. *Non est*, inquit, *prænotio causa ejus, quod futurum erat, sed quod futurum erat, causa est prænotionis.* Et D. Hieronymus dial.3. adversùs Pelagianos ait : *Non ideo peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat : sed præscivit Deus quòd ille erat propria voluntate facturus.* Et D. Cyrillus Alexand. lib.9. in Ioan. cap.10. *Non ergo*, inquit, *ut adimpleatur Scriptura,*

ptura, nec iſta de cauſa facta ſunt à quibuſdam quæ Scriptura prædixit, ſed contrà: quoniam ita nonnulli ſponte facturi erant, idcirco præſciens Spiritus ſanctus futura prædixit. Similia habet D. Chryſoſtomus homil.60. in Matth. *Non enim,* ait, *quia futura ſcandala prædixit, idcirco veniunt: ſed quoniam omnino ventura erant: Non enim fierent, ſi nollent ea excogitare nequam homines atque peſtiferi; quod ſi ventura non fuiſſent, neque futura prædixiſſet.* Adducuntur ad idem propoſitum confirmandum à Recentioribus D. Damaſcenus dial. adversùs Manichæos. D. Auguſt. lib 5. de Civit. Dei cap.10. Euſebius Cæſarienſ. de præpar. Evang. lib.6. cap.9. S. Athanaſius ſerm.de paſſ. & cruce Domini. Beda lib. variar. quæſt. q.13. Hugo lib.1. de Sacram.p.2. cap. ultimo. Concil. Valentinum can.2. & 3.

Duplicem huic argumento ſolutionem ex 10.
S. D. adhibent authores. Quarum prima eſt, cùm SS. Patres aiunt, res à Deo præſciri vel ſciri quia futuræ ſunt, ſumi ab ipſis particulam *quia* illativè, & ut dicit cauſam conſequentiæ, non verò prout denotat cauſam eſſendi. Ita habet hîc, & q.2. de verit. art.14. ad 1. ubi ait: *Quod autem dicit* (nimirum Origenes) *Quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo, non importatur cauſa eſſendi, ſed cauſa inferendi tantùm.* Nec enim inuſitatum eſt, quòd ejuſmodi particula *quia*, illativè duntaxat ſumatur. Ita uſurpatur à Ioanne cap.12. ubi referens Iſaiæ teſtimonium ait. *Non poterant credere, quia dixit Iſaias.... Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant.* Certum eſt enim, quòd ly *quia*, ibi non dicit cauſam eſſendi, quia prophetia illa non fuit cauſa, quòd illi non

obedirent Evangelio, seu non crederent: sed notat causam consequentiæ; bene etenim sequitur: Isaïas prophetavit illos non credituros: igitur non credent. Eapropter D. August. tract. 53. in Ioan. *Deus*, inquit, *futurorum præscius, per prophetam prædixit infidelitatem Iudæorum, sed non fecit.* In hoc eodem sensu usurpatum videtur ly *quia* ab eodem S. D. lib. 3. de libero arbit. cum dicit, voluntas erit sic operatura, quia Deus illius est præscius: quasi diceret bene sequi: Deus præscit humanam voluntatem sic operaturam: ergo ipsa sic operabitur.

11. Secunda interpretatio est, quòd loquantur SS. Patres de scientiâ visionis, quatenus remanet intra genus notitiæ, & purè speculativa est: non verò quatenus est actu practica, & habet adjunctum beneplacitum, & determinationem divinæ voluntatis: sic enim res ideo sunt futuræ, quia Deus novit, seu præscivit. In primo sensu divinam scientiam usurpavit D. Hieronymus in cap. 2. Ezechiëlis, dum explicans illa verba, *Si fortè ipsi audiant*, ait: *Loquitur hic Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium: ne præscientia futurorum mali, vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum noverit. Non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.* Vbi de præscientia speculativa, & ut manet intra genus notitiæ loquitur, quæ ideo prænoscit, quia nos facturi sumus. De quâ verum est, quod si, seclusâ divinâ voluntate, rem futuram præsciret, ita quod res esset futura, quia illam futuram præscivit, res necessaria

necessaria esset, seu omnino necessariò eveniret: quia secluso libero divinæ voluntatis decreto, illa præscientia esset absolutè necessaria ex propriis meritis; & subinde de objecto absolutè necessario, nisi in eo libertatem supponeret, vel in seipso, vel in sua causa liberâ, primâ vel secundâ.

In secundo sensu loquutus est D. Augustinus supra citatus lib.15. de Trinit. cap.13. dum ait: *Universas autem creaturas suas, & spiritales & corporales, non quia sunt, ideo novit: sed ideo sunt quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit, non quia creavit scivit: Nec aliter scivit ea creata, quam creanda.* Vbi dubio procul est sermo de scientia visionis liberâ, & practicâ, quâ res omnes produxit, & non de scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ circa merè possibilia versatur. Vnde idem S.D. statim subdit: *Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit ut erat. Ita & scriptum est in libro Ecclesiastico: Antequam crearentur, omnia nota sunt illi, sic & postquam consummata sunt, sic ei nota sunt.* Sed sapientia, quâ res ad esse deducit, est scientia practica atque visionis, & non scientia simplicis intelligentiæ: ergo hâc eâdem scientiâ novit res ab æterno ut essent, & ideo futuræ sunt, vel existunt, quia novit. 12.

Vnde Magister in 1. dist.38. has Patrum authoritates, quæ inter se pugnare videntur, concilians ait: *Hanc igitur, quæ videtur, repugnantiam de medio tollere cupientes, dicimus, res futuras nullatenus causam esse præscientiæ, vel scientiæ Dei: nec ideo præsciri vel sciri, quia futura,* 13.

vel facta sunt, ita exponentes, quod ait Origenes: Quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat, neque sciretur nisi futurum esset, ut non notetur ibi causa, nisi sine qua non fieret. Ita enim dicimus scientiam, vel præscientiam Dei non esse causam eorum quæ fiunt, si tamen scientiam ad notitiam tantum referamus. Si verò nomine scientiæ includitur etiam beneplacitum, atque dispositio, tunc rectè dici potest causa eorum, quæ Deus facit. His enim duobus modis accipitur cognitio, vel scientia Dei; scil. pro notitiâ solâ, vel pro notitia simul & beneplacito. Hoc modo fortè accepit Augustinus dicens: Ideo sunt, quia novit, id est, quia scienti placuit, & quia sciens disposuit: Quia de bonis ibi tantùm agit Augustinus, scil. de creaturis, quæ omnia novit, non solùm scientia, sed etiam beneplacito, ac dispositione.

14. Cujus rei gratia notat D.Thom. quòd scien-
1. dist. tia secundùm rationem scientiæ aliquam non
38. q. 1. dicit causalitatem; aliàs omnis scientia causa
art. 1. esset: sed in quantum est scientia artificis operantis res, sic rationem causæ respectu rei per artem operatæ habet. Vnde sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est divinæ scientiæ causalitas. Est autem iste processus in productione artificiati. Primò scientia illa artificis ostendit finem. Secundò voluntas ejus intendit finem. Tertiò voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod scientia artificis formam conceptam ponit. Vnde causalitatis principalitas residet & pensatur penes voluntatem, quæ imperat actum, & completam causæ rationem sortitur, inquantum objectum ejus est finis secundùm rationem boni, qui quidem finis est causa causarum. Vnde vo-

luntas divina absolutè dicitur causa rerum: scientia autem non habet perfectam causalitatem, nisi secundùm quod adjungitur voluntati, & ideo in litera dicitur, quod voluntas beneplaciti est causa rerum. Quia igitur Deus est in actu operans per intellectum & voluntatem, oportet quod ideo res sint futuræ, quia eas Deus novit practicè, & per artem operativam earum, quatenus habet adjunctam determinationem voluntatis. Et ita intelligendus venit D. Augustinus.

15. Eandem Augustini doctrinam tradidit D. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 23. dicens: *Nam & quæque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt quia videntur.* Et Boëtius lib. 5. de consol. *Non placet*, inquit, *ratio, qua se quidam credunt quæstionis de præscientia Dei nodum posse dissolvere: aiunt enim, non ideo quid esse eventurum, quoniam id providentia futurum esse prospexerit; sed è contrario potiùs, quoniam quid futurum est, id divinam providentiam latere non posse.* Et statim addit: *Quam præposterum est, ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa dicatur. Quid est aliud arbitrari, ideo Deum futura, quoniam sunt futura, prævidere, quam putare, quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse providentiæ.* Quam doctrinam amplexi sunt Mag. *dicta dist.* 38. D. Bonaventura *dist.* 39. *q.* 2. & alij Scholastici, præsertim antiqui. Probaturque rationibus supra adductis num. 3. & 4. & ex infra adducendis, dum ostendetur rerum futuritionem à decreto divinæ voluntatis prædefiniente hujusmodi futuritionem pendere.

16. Sed contra hujusmodi explicationem instant

Recen

Recentiores : Si enim Patres, dum aiunt, idcirco Deum futura præscire, quia futura sunt, intelligerent de hujusmodi præscientia purè speculativâ, quæ futurum ex priori prædefinitione divinæ voluntatis existens intueatur, facilè eludi potuisset ab Ethnicis eorum ratio, potuissent enim objicere, quod esto futura non essent futura, quia præscita, & subinde ex hoc capite non eveniant necessariò, tamen essent futura, ut efficaciter sunt à divina voluntate præordinata : & sic necessariò evenire oportere, cùm divina voluntas à nobis impediri non possit. Vnde hanc Patrum sententiam ita eludit Calvinus lib.3. instit. cap.23. *Si hominum*, inquit, *eventa Deus praevideret duntaxat, non etiam suo arbitrio disponeret ac ordinaret, non abs re ageretur quaestio, an quid ad eorum necessitatem valeat providentia. Sed cùm non alia ratione provideat quæ futura sunt, nisi quia id fieri decrevit, frustra de præscientia lis movetur, ubi constat ordinatione nunc omnia evenire.*

17. Conf. nam si omnia sunt decreta in particulari ante præscientiam eorum, non ideo scit Deus illa futura, quia sunt futura, sed quia sunt decreta. Immò si omnia sunt decreta, falsum est non ideo illa esse futura, quia præscita: nam præscientia illa erit practica respectu ipsorum : & subinde futura erunt, quia præsciuntur.

18. Resp. quod Ethnici ex duplici capite contendebant omnia necessariò evenire : primò ex infallibilitate divinæ illius scientiæ, sive præscientiæ : secundò ex immutabilitate divinæ voluntatis & decreti illius. Primum constat ex D.Thom.q.2.de verit.art.12. cap. ubi Antiquorum

rum errores referens ait: *Alij dixerunt, quòd Deus omnium futurorum scientiam habet, sed cuncta ex necessitate eveniunt, aliàs scientia Dei falleretur de eis.* Videndus D. August. lib. 5. de civit. Dei cap. 9. Secundum constat ex eodem D. Thom passim, videndus q 16. de malo art.7. ad 15. Vnde SS. Doctores duplici via processerunt ad ostendendum non omnia necessariò evenire: primò ex parte præscientiæ, esto infallibilis sit; quia præscientia illa, ut præscientia est, respiciebat futura ut jam præsentia in seipsis, & non faciebat, unde non tollebat contingentiam, aut imponebat necessitatem. Secundò ex parte voluntatis divinæ, quia hæc non modò erat causa rei, sed omnis modi illius sive necessarii, sive contingentis, aut liberi. Sic respondit Petrus Apostolus Simoni Mago, ut refert Clemens Papa lib. 3. Recognit. ut alibi dicemus.

Verba D.Thom.sunt: *Hoc non tollit contingentiam futurorum eventuum, neque propter certitudinem divinæ cognitionis, neque propter efficaciam divinæ voluntatis. Et hoc quidem quantùm ad scientiam patet ex his, quæ supra dicta sunt; sicut enim se habet divina scientia ad futura contingentia: sic se habet oculus noster ad contingentia, quæ sunt in præsenti, ut dictum est. Vnde sicut certissimè videmus sortem sedere, cùm sedet, nec tamen propter hoc sequitur, quod sit simpliciter necessarium: ita etiam ex hoc quod Deus videt omnia, quæ eveniunt, in seipsis, non tollitur contingentia rerum.* En primum, quod asseruerunt Patres, qui semper in eâ opinione versati sunt (ut infra ostendemus art. 13.) quod cognitioni Dei ejusque scientiæ non tam futura erant quæ no- 19.
bis

bis futura sunt, quam præsentia, & sicuti præsentia non sunt præsentia, quia ea intuemur speculando, sed è contra: ideo ipsi asserebant, quòd non ideo res erant futuræ, quia Deus præsciebat, quinimmo, præsciebat, nimirum intuitivè & ut præsentes, quia futuræ erant, & subinde earum libertas, & contingentia per hujusmodi præscientiam non auferebatur, *Ex parte autem voluntatis*, inquit S. D. *considerandum est quod voluntas divina est universaliter causa entis, & universaliter omnium, quæ consequuntur modum necessitatis & contingentiæ.* Et subinde quæcunque vult liberè, seu contingenter evenire, ita eveniunt, ut infra docet quæst. 19. art. 8. Et ita respóderunt semper SS. Patres. Vnde in hoc erravit Calvinus, quod asseruit per stabilem Dei voluntatem contingentiam & libertatem auferri; immo deceptus est asserens ex solâ Dei præscientiâ nullam oriri difficultatem contra rerum contingentiam, & libertatem; oritur enim ex infallibilitate ejus non parva: quia si in Deo ipsa constituatur ante omnem actum liberum, seu liberam determinationem divinæ voluntatis, cùm ejus objectum debeat esse necessarium, & determinatum ad unum, non apparet satis, quomodo rerum libertas & contingentia componi cum ea valeat, ut dictum est.

20. Resp. ad Conf. & Deum scire futura, quia futura sunt, & quia sunt decreta; sed sub diversâ ratione & sciendi modo, scit enim futura quia futura sunt, scientiâ speculativâ & puræ visionis, quia æternitati præsentia sunt. Ideo autem sic futura sunt, & æternitati præsentia, quia illa futura fore decrevit. Vnde de primo

ad

ad ultimum, ideo illa præſcivit, quia futura eſſe decrevit, & quia ut futura eſſent ipſe voluit. Ablatâ ergo hac prima cauſa, & prima radice futurorum, quæ eſt divina voluntas illa creare volens, ſcientia approbationis aufertur, & quæ eſt actu practica rerumque effectiva, ſeu potius efficiens, & hac de medio ſublatâ aufertur ex conſequenti quòd futura certò futura ſint, & ſubinde negatur quod à Deo certò ut futura cognoſci poſſint.

Arg. 2. Quod eſt æternum, non poteſt eſſe cauſa rei temporalis: ſed ſcientia Dei eſt æterna; res verò creatæ ſunt temporales: ergo ſcientia Dei non eſt cauſa rerum. Maj. prob. quia poſitâ cauſâ ponitur effectus: ergo ſi cauſa eſt æterna, effectus quoque erit æternus: & ſubinde effectus temporalis nequit cauſam æternam, cujuſmodi eſt ſcientia Dei, habere. 21. Hîc, & q.2 de verit. art. 14. arg. 2.

Reſp. S. D. quod poſitâ cauſâ ponitur effectus eo modo quo eſt in cauſa ut ſit, & non aliter, & quia res creatæ ſunt in ſcientia Dei, non ut ſint ab æterno, ſed tantùm ut ſint in tempore: ideo non producuntur res ab æterno ſed in tempore. Vbi S. D. loquitur de ſcientiâ, prout habet completam rationem cauſæ per adjunctum imperium ſeu determinationem voluntatis. Vnde in 1. diſt. 38. q. 1. a. 1. ad 6. ait: *Dicendum quod ſicut creaturæ non exeunt à Deo per neceſſitatem naturæ, vel potentiæ naturalis, ita nec per neceſſitatem ſcientiæ, ſed per libertatem voluntatis, in qua completur ratio cauſalitatis; & ideo non quandoque ſcivit creavit, ſed quandocunque voluit.* 22. Loc. cit.

Arg. 3. Quod eſt poſterius & menſuratum non poteſt eſſe cauſa eorum, quæ ſunt priora & menſuræ: 23.

menſuræ : ſed ſcientia quælibet eſt poſterior ipſis rebus ſcitis , & ab ipſis menſurata : ergo ſcientia Dei non eſt cauſa rerum ſcitarum. Min. prob. ex Ariſt. lib. 10. Metaphyſ. text. 5. ubi ait, quod ſcibile eſt prius ſcientia, & menſura ejus.

24. Reſp. S. D. tunc ſcientiam eſſe poſteriorem rebus ſcitis, & ab ipſis menſurari , quando ab ipſis rebus accepta eſt , cujuſmodi eſt ſcientia noſtra de rebus ipſis naturalibus : non autem quando ſcientia eſt cauſa ipſarum rerum ſcitarum, & menſura earum , cujuſmodi eſt ſcientia artificis , cui aſſimilatur divina ſcientia reſpectu rerum à ſe conditarum. *Dicendum* inquit , *quod res naturales ſunt media inter ſcientiam Dei & ſcientiam noſtram. Nos enim ſcientiam accipimus à rebus naturalibus , quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt. Vnde ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora quam ſcientia noſtra, & menſura ejus ; ita ſcientia Dei eſt prior quam res naturales , & menſura ipſarum; ſicut aliqua domus eſt media inter ſcientiam artificis qui eam fecit , & ſcientiam illius, qui ejus cognitionem ex ipſa jam facta capit.*

ARTICV



ARTICVLVS IX.

Vtrum Deus habeat ſcientiam non entium.

CAPVT I.

Doctrina articuli breviter proponitur.

CVM ens ab actu eſſendi dicatur, illud 1.
duntaxat dicitur ſimpliciter ens, quod q.2. de
actu & ſimpliciter habet in rerum verit.
natura eſſe: alia verò, quæ habent art.8. &
ſolummodo in potentia eſſe, vocantur ſimpli- q.3. art.
citer non entia, inquantum ſunt potentia ad 6. & in 1.
eſſe, & ſecundùm quid entia. Nomine igitur cont.
non entium, intelligit D. Thomas omnia illa gent.
entia, quæ actu non ſunt, ſed ſunt in potentia, c. 69.
vel ipſius Dei, vel creaturæ; ſive in potentia activa, ſive in paſſiva; ſive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocunque modo ſignificandi. Vnde per non entia, intelligit S. D. omnia præterita, quæ non ſunt actu, ſed fuerunt; futura etiam, quæ non ſunt ſed erunt: immo merè poſſibilia & quæcunque ſunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt.

Prima concluſ. Deus cognoſcit non entia. 2.
Prob. S. D. ex Apoſt. ad Rom. 4. ubi de Deo loquens ait: *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt:* ſed non vocaret non entia niſi cognoſceret: ergo ipſe non entia cognoſcit, id eſt, ea quæ non habent eſſe actu. Pro majori intelligentia

q. 2. de verit. art. 8. c. ligentia notandum eſt ex S. D. quod Deus habet cognitionem de rebus creatis per modum, quo artifex cognoſcit artificiata, qui eſt artificiatorum cauſa. Vnde in contraria habitudine habent ſe Dei cognitio ad illas res cognitas, & noſtra cognitio: Noſtra enim cognitio, quia eſt à rebus accepta, naturaliter eſt poſterior ipſis; cognitio autem creatoris de creaturis, & artificis de artificiatis, naturaliter præcedit res cognitas. Remoto autem priori removetur poſterius, ſed non è converſo: & inde eſt quod ſcientia noſtra de rebus naturalibus eſſe non poteſt, niſi res ipſæ præexiſtant, ſed apud intellectum divinum, vel ipſius artificis indifferenter eſt cognitio rei, ſive exiſtat, ſive non ſit. Ex hac concluſione poſſunt ſequentes deduci concluſiones.

3. Secunda concl. Deus cognoſcit non entia quæ ſunt poſſibilia, & in aliqua differentia temporis exiſtentia, ut præterita & futura. Hæc concl. eſt de fide, dicitur enim de Deo, Sapientiæ cap. 8. *Si multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat.* Glos. Interlinearis, *quia initium & finis:* ideſt principium activum eorum, & cauſa finalis. Ex quibus ſic, qui perfectè cognoſcit aliquam cauſam, & comprehendit; attingit omnes effectus qui in ea continentur: ſed in eſſentia Dei ceu principio activo & cauſa finali continentur omnia, quæ aliquo modo fuerunt, erunt, vel eſſe poſſunt: ergo à Deo cognoſcuntur hujuſmodi non entia.

4. Tertia concluſ. Deus cognoſcit non entia, quæ ſunt imaginabilia à creatura, ſive ſint non entia impoſſibilia, ut chimera, ſive habeant funda

fundamentum in re, ut sunt entia rationis cum fundamento. Hæc conclusio etiam pertinet ad fidem: Dicitur enim in eodem cap.8. *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa & monstra scit antequam fiant.* Multæ autem propositiones, & argumenta de imaginabilibus à creatura, fiunt. Præterea in Psal. 93. habetur: *Deus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt:* sed multæ hominum cogitationes de hujusmodi figmentis, & impossibilibus sunt: ergo ea cognoscit Deus.

Prob. ex S. D. Deus comprehendit intellectum humanum, & omnem ejus virtutem, etiam fingendi & imaginandi: ergo cognoscit omnia illa ad quæ talis virtus extenditur: sed extenditur ad imaginabilia, etiam chimerica, & impossibilia: ergo hæc cognoscuntur à Deo. 5.

Dices: hâc ratione solùm convinci, Deum cognoscere entia rationis quoad an est præcisè, aut secundùm communem rationem entis imaginabilis ab intellectu creato. Sed contra est: quia Deus comprehendendo potentiam & virtutem imaginativam hominis, cognoscit ad minùs omnes & singulos actus in particulari, quos de facto elicitura est in aliqua temporis differentia: ergo cognoscit objectum uniuscujusque actus in particulari, non solùm quoad an est, sed etiam quoad quid est. Anteced.patet quia illi actus sunt vera entia realia. Conseq. verò prob. quia actus non possunt comprehensivè cognosci nisi sub omni habitudine, quam dicunt ad sua objecta, attingantur: ergo cùm illi actus respiciant etiam ipsum quod quid est entis rationis, quia per eos quodammodo definitur, oportet ut Deus cognoscendo compre- 6.

hensivè illos actus, attingat ens rationis quoad quid est.

7. Ex his sequitur quod Deus non cognoscit hujusmodi entia directè & immediatè, atque in essentia divina tanquam in medio & objecto priùs cognito, quemadmodum res alias creatas habentes esse reale, ut dictum est supra: sed cognoscit ea quasi indirectè & mediatè in suis causis, nimirum potentiâ imaginandi & actibus ejus, ut in medio & objecto cognito. Ratio est: quia ista entitas ficta non continetur immediatè in divina essentia tanquam in causa, neque habet esse immediatè participatum ab illa sed à potentia imaginativa humana fingente aliquid ad modum entis, quod revera non est ens: ergo nequit à Deo cognosci in suâ essentiâ directè, & ut in causâ proximâ, & immediatâ. Antec. patet, quia Deus hujusmodi entia rationis non format ut latè probavimus *tom.*1. *Clyp. Philos. p.*2.*q.*2. *art.ult.* & subinde non est causa illorum immediata, fingens ea, esto concurrat cum potentia humana fingente ipsa. Conseq. verò prob. quæ enim non continentur in divina essentia, ut in causâ, nequeunt in eâ immediatè cognosci, ut probatum est supra. Cognoscit ergo mediatè duntaxat, inquantùm comprehensivè attingit potentiam & actus, à quibus formantur, ut diximus.

8. Quarta conclus. Deus scit omnia quæ sunt pro aliqua differentia temporis, ut præsentia, præterita, & futura, per scientiam visionis: Ea verò quæ nunquam fuerunt, nec sunt, nec erunt, cognoscuntur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ. Ita S. D. hîc, & 1. sent. dist. 38. q. 1. art. 4. cap. dicens: *Quidquid cognoscitur*

gnoscitur à Deo, oportet aliquo modo esse, ad minus in ipso cognoscente. Unde & Avicenna dicit, quod de eo quod omnino est non ens, nihil potest enunciari. Unde secundùm quod aliqua se habent ad esse, ita se habent ad divinam cognitionem. Esse autem rei potest tripliciter considerari, vel prout est in propria sua natura ex suis principiis educta: vel prout est in potentia alicujus causæ: vel prout est in apprehensione alicujus cognoscentis. Omnia ergo illa, quæ habent esse in sua natura secundùm quodcunque tempus, Deus ab æterno scivit, & apprehendendo naturam ipsorum, & videndo ea esse non tantùm in cognitione sua, vel potentia alicujus causæ, sed etiam in esse naturæ: quod patet, quia constat, quod re existente cognoscit Deus ipsum esse quod habet in propria natura. Si autem ab æterno non cognovisset nisi esse ejus, quod est in cognitione, vel in potentia causæ, cognitio sua proficeret per temporum successiones: Et talia dicitur Deus scire scientia visionis. Res autem illas, quarum esse in nullo tempore est in propria natura, cognoscit esse in potentia causæ, vel creaturæ deficientis, sicut mala; vel in potentia operativa sua sicut bona. Scit etiam ea esse in cognitione sua, inquantum scit se cognoscere ea, & posse facere ea, quantùm ad bona: vel posse contingere ex defectu creaturæ quantùm ad mala. Et iste modus cognitionis nominatur scientia simplicis intelligentiæ, inquantùm scil. per modum istum cognoscitur ipsa simplex natura rei, quæ posset esse, tamen non cognoscitur ipsum esse simplex, cujus propriè est visio, sed secundum quid tantùm, ut dictum est.

Ex quibus prob. prima pars conclus. omnia 9.
quæ habent esse pro aliqua differentia tempo-

ris, objiciuntur divino intellectui præsentialiter: sed ea dicuntur videri apud nos, quæ habent esse distinctum extra videntem: ergo cum ex cognitione creaturarum nominemus in Deo scientiam, illa dicuntur à Deo per scientiam visionis videri, quæ pro aliquâ differentiâ temporis habent esse. Maj. prob. quia intelligere Dei æternitate mensuratur, utpote quod est idem cum suo esse, quæ æternitas comprehendit omne tempus absque successione.

10. Secunda pars etiam prob. nam quæcunque nunquam fuerunt, nec sunt, nec erunt, & tamen possunt esse, non objiciuntur divino intellectui præsentialiter, & secundùm aliquod esse distinctum extra Deum: ergo non videntur scientiâ visionis, quæ fertur in esse rei in sua natura propria, & non solùm prout est in cognoscente, vel in sua causa.

§. I.

Solvuntur argumenta.

11. ARg. 1. Verum & ens convertuntur: sed scientia Dei non est nisi verorum: ergo scientia Dei non est non entium. Conf. sicut Dionys. dicit in 5. cap. de divin. num. cognitio non est nisi existentium: sed illud, quod nec est, nec erit, nec fuit, non est aliquo modo existens: ergo de eo cognitio Dei esse non potest. Conf. 2. primum, quod cadit in apprehensione intellectus, est ens: sed nulla virtus potest aliquid cognoscere nisi præsuppositâ ratione sui objecti primi, sicut visus nihil videt sine lumine: ergo nec aliquis intellectus potest cognoscere nisi entia.

Hic arg. 1. q. 2. de verit. art. 8. arg. 1. 1. sent. dist. 38. q. 1. a 4. arg. 4.

Resp.

Resp. ad arg. cum S. D. quòd eatenus Deus scit non entia quatenus habent veritatem: quæ enim erunt post mille annos, non scit ea Deus esse nunc, quoniam non est verum ea esse nunc: sed scit ea futura esse tunc, quando verum erit ea esse. Illa autem quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, secundum hoc habent veritatem, secundùm quòd habent esse, prout scil. in suo principio activo, vel finali sunt, & sic etiam cognoscuntur à Deo: quia verum est ea in potentia, vel causa illa esse; & etiam esse in cognitione sua. Ex quibus ad 1. Conf. patet. Sunt enim ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, aliquo modo in potentia Dei sicut in principio activo, vel in bonitate ejus sicut in causa finali. Vide supra art.6. c.3. in fine, ubi habentur verba D.Thomæ. 12. Loc. cit. in arg.

Resp. ad conf.2. S. D. quod quidquid cognoscitur, cognoscitur ut ens, vel in propriâ naturâ, vel in causâ suâ, vel in cognitione aliquâ: & sic sunt omnia entia, quæ Deus cognoscit, ut explicatum est supra. Loc. cit. ex 1. sent. ad 4.

Arg. 2. Scientia requirit similitudinem inter scientem & scitum, omnis enim cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum: sed ea quæ non sunt, nequeunt habere aliquam similitudinem ad Deum, vel intellectum ejus, qui est ipsum esse: ergo ea quæ non sunt, non possunt sciri à Deo. 13.

Resp. S. D. quòd ea, quæ nullo modo sunt, nec actu nec potentiâ, nullam possunt ad Deum habere similitudinem: sed ea quæ sunt aliquo modo, aliquam ad ipsum Deum similitudinem sortiuntur. Nam cùm Deus sit ipsum esse, in tantum unumquodque est, inquantum Dei si- 14.

militudinem participat ; ſicut unumquodque intantum eſt calidum, inquantum calorem participat. Quapropter quæ ſunt in potentia, inquantum ſunt aliquo modo entia, dicuntur Dei ſimilitudinem participare, & ſubinde ab eo cognoſci. In idem recidit ſolutio, quam tradit q.2. de verit. art.8. ad 2. dicens : *Cognitio, quæ accipitur à rebus conſiſtit in aſſimilatione paſſiva, per quam cognoſcens aſſimilatur rebus cognitis priùs exiſtentibus : ſed cognitio quæ eſt cauſa rerum cognitarum conſiſtit in aſſimilatione activa, per quam cognoſcens aſſimilat ſibi cognitum : & quia Deus poteſt ſibi aſſimilare illud, quod nondum eſt ſibi aſſimilatum, ideo poteſt etiam non entis cognitionem habere.*

15. Arg.3. Scientia Dei eſt cauſa ſcitorum ab ipſo, quia ſe habet ſicut ſcientia artificis ad ipſa artificiata : ſed non eſt cauſa non entium : ergo Deus de non entibus ſcientiam nequaquam habet. Minor prob. quia non ens cauſam non habet.

16. Reſp.S.D.quòd cum Dei ſcientia ſit cauſa rerũ voluntate adjunctâ, non oportet quòd quæcunque ſcit Deus, ſit cauſa eorũ itaut ſint actu, fuerint, vel futura ſint : ſed ſolùm eorum quæ vult eſſe, vel permittit eſſe. Et iterum non eſt in ſcientia Dei ut illa ſint, ſed quòd eſſe poſſint. Argumenta quæ oſtendere nituntur, quòd ſi Deus cognoſcat entia rationis, illa efformet, ſoluta ſunt in Logica *loc. cit.* vide ibi, & infra *quaeſt.*15. *ad art.* 2.

CAPVT

CAPVT II.

De divisione scientiæ divinæ in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis.

§. I.

Sitne hæc divisio bona & adæquata.

PRæter unum Gregorium Ariminiensem *in* 1. *dist*. 36. *q*. 1. qui solam admisit scientiam visionis in Deo, per quam omnia etiam possibilia cognoscat, omnes Theologi divisionem scientiæ divinæ in scientiam visionis, & in scientiam simplicis intelligentiæ ut accuratam & bonam agnoscunt. Eam tradit S. D. variis in locis, præsertim hic art. 9. cap. & art. 12. cap. lib. 1. cont. gent. cap. 66. lib. 1. sent. dist. 38. art. 4. & q. 2. de verit. art. 9. ad 2. ubi ait : *Dicendum quod scientia simplicis notitiæ, & visionis nullam differentiam importat ex parte scientis; sed solùm ex parte rei scitæ. Dicitur enim scientia visionis in Deo ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur : Vnde per scientiam visionis Deus scire non dicitur nisi quæ sunt extra ipsum, quæ sunt vel præsentia, vel præterita, vel futura. Sed scientia simplicis notitiæ etiam est eorum quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt.* 17.

Quod ut percipiatur notandum est ex S. D. quòd inter potentias cognoscitivas quædam sunt merè passivæ, quæ per receptionem sui objecti, seu speciei illius constituuntur in actu cognitionis, sicut visus & alij sensus corpora- 18. 3. d. 44. q. 1. art. 1. quæst. 2. c. vide tom. 5.

Clyp. Phil. q. 6. art 1.

les externi : Vnde nonnisi in præsentia objecti cognoscunt, & subinde feruntur in ipsum objectum, ut habet esse ad extra. Aliæ sunt potentiæ cognoscitivæ, quæ non modò sunt passivæ, inquantum scil. moventur à suo objecto tanquam proprio activo, sed etiam quodammodo agunt, & formant sibi objectum, sicut imaginativa, & intellectus agens; nam etiam objectis ad extra absentibus imaginativa format quædam idola, ut in somnis experimur. Et hæc non solùm feruntur in objecta, prout habent esse simpliciter, & ad extra, sed etiam prout habent esse duntaxat in cognoscente secundùm rationes suas, quod est esse secundùm quid. Vnde scientia in Deo dicitur visionis, ad modum visus corporalis, quia sicut visus corporalis non fertur nisi ad objecta præsentia, & secundùm quod habet esse ad extra, ita & illa Dei scientia non respicit res creatas nisi secundùm quòd habent esse ad extra. Et sicut imaginativa, & intellectus respiciunt non modò ea quæ sunt ad extra in propriâ naturâ, sed etiam quæ habent esse in cognoscente duntaxat secundùm rationes suas, quo pacto abstrahunt ab existentiâ, ita & scientia simplicis intelligentiæ respicit ea etiam quæ sunt in Deo secundùm simplicem naturam seu rationem tantùm, ut merè possibilia.

19. Veruntamen, cum omne id quod certò cognoscimus, videre dicamur, visus enim inter cæteros sensus præstantior ac certior est, ideo omnis cognitio Dei quodammodo dici potest visio, ut notavit D.Thom. q.cit.de verit. ad 3. dicens : *Visus propriè est quidam corporalis sensus. Vnde si nomen visionis ad immaterialem cognitionem*

gnitionem transferatur, hoc non erit niſi metaphoricè : in talibus autem locutionibus ſecundùm diverſas ſimilitudines in rebus repertas diverſa eſt veritatis ratio. Vnde nihil prohibet aliquando omnem ſcientiam divinam viſionem dici : aliquando verò ſolam illam, quæ eſt præſentium, præteritorum, & futurorum. Dicitur quidem omnis ſcientia divina viſio, quatenus omnis perfecta cognitio intellectus dicitur viſio : dicitur autem ſola illa viſio quæ eſt præſentium, præteritorum, ac futurorum, quatenus viſio propriè dicitur cognitio eorum duntaxat quæ ſunt ad extra.

Ex quo ſequitur quòd ſcientia viſionis quo- 20.
dammodo ſe habet ex additione ex parte rei ſcitæ ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia addit ex parte ſciti aliquid, quod ad genus noticiæ non ſpectat, nimirum exiſtentiam rei : à qua noticia, ſeu ſcientia inquantum hujuſmodi, abſtrahit, ut obſervavit D.Thom.q.3.de verit. art.3. ad 8. infra citandus.

Vnde ſcientia viſionis non dividitur contra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſicut unum oppoſitum ex æquo contra aliud dividitur, v. g. album contra nigrum: ſed ſicut ſe habens ex additione ad illam ; habet enim ſcientia viſionis hoc, quod ad genus notitiæ pertinet, & ſuperaddit ordinem ad rem ad extra, ſeu ad exiſtentiam rei. De hac igitur diviſione quærimus an ſit bona, & adæquata. Eam eſſe adæquatam negavit ex noſtris M. Vincentius *relect.de gratia Chriſti quæſt.6.dub.*1. præter ſcientiam viſionis & ſimplicis intelligentiæ admittens in Deo ſcientiam approbationis, ab utraque diſtinctam;cui tamen refragatur communis Theologorum, præſertim Thomiſtarum, ſententia.

Mitto

Mitto Recentiorum Societatis opinionem de ſcientia media, nam de hac infra copioſus nobis erit ſermo.

21. Concl. ſi ſumatur ſcientia Dei abſolutè & ſecundùm ſe (ſecluſo ordine ad divinam voluntatem) atque prout dicit ordinem ad res ab eo ſcitas, optimè dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis. Si verò ſumatur prout dicit ordinem ad voluntatem, & reſpicit res ut effectus & non ut ſcitas præcisè, optimè & adæquatè dividitur in ſcientiam approbationis, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Prima pars ſumitur ex D.Thom. *locis cit.* Ibi enim loquitur de ſcientia divina, ut dicit reſpectum ad res ſcitas, ut ſcitæ ſunt, ut patet. Prob. ratione: diviſio ſcientiæ divinæ in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non eſt deſumenda ex parte ſcientis, ſed ex parte ſcitorum, quatenus alterum eorum exiſtit, extitit, aut extiturum eſt in ſeipſo, & extra cauſas; alterum verò non exiſtit in ſeipſo & extra cauſas, neque extitit aut extitutum eſt, ſed intra cancellos puræ poſſibilitatis manet: ſed inter exiſtere & non exiſtere in ſeipſo nullum poteſt aſſignari medium, quippe quæ contradictoriè opponantur: ergo præter ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ non datur alia ſcientia in Deo ab ipſis diſtincta, prout ſcientia dicit ordinem ad ſcitum.

22. Conf. omnis notitia prout reſpicit rem cognitam in nobis dividitur per intuitivam & abſtractivam; omnis enim notitia, aut eſt rei præſentis & in ſe exiſtentis, aut non præſentis, nec in ſeipſo exiſtentis ſed in cognoſcente duntaxat: ergo ſimiliter omnis notitia in Deo ſeu ſcientia,

scientia, prout respicit res scitas seu cognitas, aut erit intuitiva, sive visionis, aut simplicis intelligentiæ. Conseq. patet, quia cum ex rebus humanis pro hoc statu ad Deum cognoscendum assurgamus semotis imperfectionibus, proportionaliter de ejus notitia sive scientia loqui debemus, ac de notitia nostra, sive scientia.

Secunda pars etiam sumitur ex D.Thom.sup. Epist. ad Hebr. cap.4 .lect.2. ubi ait: *Dicendum quod in Deo est scientia simplicis intelligentia, & scientia approbationis: primo modo cognoscit omnia etiam mala, & ea quæ non sunt: secundò cognoscit bona, quantùm ad ea quæ sunt.* Et q. cit.3. de verit. art. 3. ad 8. *Simplex notitia*, inquit, *dicitur, non ad excludendum respectum scientia ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendum admixtionem ejus, quod est extra genus notitia, scil. existentia rerum, quam addit scientia visionis: vel ordo voluntatis ad res scitas, quem addit scientia approbationis: sicut etiam ignis dicitur corpus simplex, non ad excludendum partes essentiales ejus, sed commistionem extranei.* Vbi S. D. primò contraponit simplicem notitiam scientiæ visionis: secundò scientiæ approbationis; sed sub diversa ratione: nam per ordinem ad scitum absolutè sumptum & ut abstrahit à ratione effectus, vel non effectus à Deo causati (hoc enim accidit scito ex alio quam à scientia, nimirum ab ordine ad voluntatem) distinguit scientiam simplicis intelligentiæ à scientia visionis: sed per ordinem ad res scitas ut habent causari, vel non causari à Deo, distinguit scientiam simplicis intelligentiæ à scientia approbationis, sub scientia 23.

ſcientia ſimplicis intelligentiæ concludens ſcientiam viſionis, ut purè ſpeculativa eſt; & ſub ſcientia approbationis ſcientiam viſionis comprehendens ut operativa eſt ut manifeſtè patet. Prob. breviter: quia omnis ſcientia Dei reſpectu rerum, vel eſt practica ſimpliciter, & ſecundùm quid ſpeculativa, vel ſpeculativa ſimpliciter & ſecundùm quid practica: ſi eſt practica ſimpliciter, & ſecundùm quid ſpeculativa eſt ſcientia approbationis, per quam non modò res ipſas cognoſcit, ſed & illas cauſat. Si autem eſt ſpeculativa ſimpliciter, & ſecundùm quid practica, dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſeu notitiæ, per quam res cognoſcit, ſed actu non efficit, ſed ſolùm virtualiter & in actu primo eſt cauſativa ipſarum, vel ſpeculatur ut cauſata, vel permittit ut paccata: ergo ſcientia divina ut reſpicit res ſub ratione cauſabilium aut non cauſabilium adæquatè dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis.

Vide infra ait. 16.

24. Objicies: ſcientia qua Deus cognoſcit non entia, nec eſt viſionis nec ſimplicis intelligentiæ: ergo hæc diviſio eſt diminuta. Prob. antec. imprimis non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, hæc namque terminatur ad poſſibile ut tale. Deinde neque eſt ſcientia viſionis, nam iſta terminari debet ad rem præſentem ut præſens eſt, ſeu habet eſſe extra videntem; entia autē rationis, & figmenta non habēt aliquod eſſe extra, & coëxiſtens æternitati Dei, ratione cujus poſſint eſſe ab æterno præſentia divino intellectui.

25. Reſp. entia rationis & figmenta, quæ ab intellectu humano, pro aliqua temporis differentia ſunt efformanda, cognoſci à Deo per ſcientiam

Ex dictis in hoc art. 9.c.

tiam visionis, quasi mediatè, inquantum videlicet Deus per hujusmodi scientiam cognoscit ipsum intellectum creatum, & omnem actum ejus, etiam illum, vel illos quibus hujusmodi entia effecturus est, unde cognoscuntur à Deo ut habent esse in causa sua. Posse autem multò plura ab intellectu fingi, quæ nunquam effingentur, quæ dicuntur esse possibilia duntaxat, cognoscit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ. Quomodo autem & per quam scientiam cognoscat futura illa conditionata, quorum conditio non purificabitur, vel nunquam ponetur in re, dicemus infra. Ad cætera quæ objici solent, patet ex dictis.

§. II.

Vtrum Deus per scientiam simplicis intelligentiæ quidditates possibiles rerum, quæ aliquando erunt, cognoscat.

Conclusio est affirmativa & cōmunis, sumiturque ex D. Thom. q.2. cit. de verit. art.9. ad 2. ubi ait: *Per scientiam visionis scire non dicitur nisi quæ sunt extra ipsum, quæ sunt vel præsentia, vel præterita, vel futura. Sed scientia simplicis notitiæ etiam est eorum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt.* Vbi notanda illa particula, *etiam*. q. d. scientia visionis non attingit omnia objecta secundaria divini intellectus, sed versatur duntaxat circa ea ut habent esse extra videntem. At verò scientia simplicis intelligentiæ omnia illa attingit, inquantum cognoscibilia sunt, sive habeant esse extra videntem, sive non, quia hæc omnia cognoscibilia sunt, & habent esse in Deo sicut in cognoscente naturaliter 26.

turaliter quidquid aliquo modo cognoſcibile eſt ; ſicut ſi diceremus , homo per viſum ea ſolùm cognoſcit quæ ſunt conſpectui ejus præſentia , & habent actu eſſe ad extra , ſed per intellectum etiam cognoſcit ea, quæ non ſunt extra, ſed in cognoſcente duntaxat , inquantum cognoſcit ſe cognoſcere.

27. Prob. quia cognitio Dei manens intra limites puræ notitiæ habet cognoſcere quidquid aliquo modo cognoſcibile eſt , cùm ſit comprehenſiva : ſed quidditates rerum poſſibilium , quæ aliquando erunt , manendo intra limites puræ cognoſcibilitatis , & ſecluſo ordine ad exiſtentiam in re ponendam , quæ eſt aliquid extra genus ſimplicis notitiæ, ſunt cognoſcibiles : ergo à Deo cognoſcuntur , ſed non per ſcientiam viſionis , quæ reſpicit res ut addunt aliquid extra genus notitiæ , nimirum exiſtentiam : ergo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

28. Conf. quidditates rerum , de quibus Deus ab æterno decrevit quòd aliquando exiſterent , abſolutè, & ſecundùm ſe ſumptæ dicunt neceſſariam connexionem cum ipſis rebus, fundantque veritatem æternam , nam Petrus v. g. de quo Deus decrevit , quòd tali tempore eſſet , neceſſario eſt animal rationale , & ſub quocunque ſtatu hoc habet , licet non exiſtat neceſſariò, & ſit actu præſens divino intellectui , ſed dependenter à decreto libero divinæ voluntatis : ergo terminant ſcientiam Dei neceſſariam ſive ſimplicis intelligentiæ , & non ſcientiam liberam ſeu viſionis ; vel ſi terminant ſcientiam viſionis eſt inquantum iſta præſupponit ſcientiam ſimplicis notitiæ ſive intelligentiæ

gentiæ, & eam includit. Nam scientia visionis de se non terminatur circa ea quæ necessariò conveniunt.

29. Objicies, de ratione scientiæ simplicis intelligentiæ est, quod sit notitia abstractiva: sed de possibilibus, quæ quandoque sunt futura seu extitura, nequit Deus notitiam abstractivam habere: ergo non cognoscuntur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ. Min. prob. eo ipso quòd futura decernantur redduntur Deo physicè in æternitate præsentia: sed notitia abstractiva est notitia rei absentis: ergo eo ipso quod detur in Deo decretum de illorum futuritione, nequeunt à Deo per notitiam abstractivam attingi.

30. Conf. ex D. Thom. hic. art. 9. c. ubi ait: *Quadam licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, & omnia ista dicitur scire Deus scientia visionis: Quadam verò, qua sunt in potentia Dei, vel creatura, qua tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentia*: ergo illa, quæ aliquando futura sunt, sive extitura, per scientiam duntaxat visionis à Deo cognoscuntur, & nullatenus per scientiam simplicis intelligentiæ.

31. Conf. 2. res physicè existens non potest cognosci ut possibilis pro instanti in quo existit: ergo cum possibilia, quæ aliquando erunt, physicè in æternitate existant, non poterunt cognosci ut possibilia, & subinde neque simplicem notitiam terminabunt. Antec. prob. 1. res existens non potest cognosci ut futura: ergo neque ut possibilis. Prob. 2. ideo perfectiones increatæ Dei nequeunt cognosci ut possibiles, quia

quia ab æterno existunt: ergo res omnis existens pro instanti in quo existit, nequit cognosci ut possibilis.

32. Resp. ad arg. Illustriss. Godoy *hic tract.* 3. *disp.* 30. § 2. negando min. ad cujus prob. distinguit maj. sic: eo ipso quod hujusmodi possibilia futura decernuntur, redduntur præsentia, præsentialitate illis essentiali cognoscibili per quidditativam illorum cognitionem, neg. maj. præsentialitate accidentali,& non sic cognoscibili, concedo maj. Nam præsentia qualibet creaturæ, sive per propriam existentiam exercitam, sive per alienam in mensura æternitatis, nullatenus est de essentia illius, quemadmodum nec esse existentiæ. Et dist. min. de ratione notitiæ abstractiva est quod sit rei absentis absentia reali positiva & exercita in re, neg. min. absentia negativa objectiva, con. min. & conseq. Nam ad rationem, inquit, notitiæ abstractivæ non est necessaria in ipsius objecto absentia realis, id est, privatio, seu negatio realis existentiæ, sed sufficit absentia negativa objectiva, nempe quod cognitioni objectum ut præsens physicè non objiciatur, quamvis in re sit præsens. Nam licet intellectus noster cognoscat rem præsentem, si tamen ejus cognitio non feratur in eam ut præsens est, non intuitivè, sed abstractivè, dicitur illam cognoscere. Et licet non possit Deus rem existentem ut non existentem attingere, sed debeat illam attingere ut existentem, tamen ex parte rei cognitæ aliter versatur cognitio ejus circa prædicata quidditativa rei existentis, & sub ratione cognoscibilium, & alia ratione versatur circa eam ut existens est.


Ad,

Ad 1. Confirm. respondet quod D. Thom. equidem docuit ejusmodi per scientiam visionis attingi, nec tamen negavit etiam per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci, quamvis sub diversa ratione. Ad 2. respondet possibilitatem dupliciter sumi: primò quidem pro potentia ad existendum, & non existendum, & pro non repugnantia ad existendum: res existens non potest cognosci ut possibilis primo modo, pro instanti quo existit, bene tamen secundo modo; quia quando non existit, habet non repugnantiam ad existendum. Nec est eadem ratio de futuritione: quia futuritio in sui essentiali conceptu dicit negationem existentiæ. Nec ideo perfectones divinæ ut possibiles à Deo cognosci nequeunt, quia ab æterno existunt, sed quia existentia est illis essentialis, unde non possunt cognosci quidditativè nisi cognoscatur earum existentia. Vnde nullatenus possunt cognosci ut non repugnantes ad existendum, loquendo de non repugnantia fundata possibilitate seu potentia rei, sed de non repugnantia quæ sequitur ad esse rei; quia si res est bene sequitur, non repugnare.

Resp. 2. ad arg. quod ratione scientiæ simplicis intelligentiæ non est quod sit notitia abstractiva, prout notitia abstractiva contradistinguitur contra intuitivam, sed prout notitia abstractiva dicitur notitia accepta secundùm id quod ei convenit intra genus notitiæ abstrahendo ab omni eo quod est extra ipsum, cujusmodi est existentia, & esse operativam rei. Vnde scientia simplicis intelligentiæ habet attingere rem prout habet esse objectum cognitionis, objectum autem intellectus est 34.

quodquid est, idcirco omne quodquid est rei habet attingi ab intellectuali notitia, ut præcise notitia intellectualis, sive subjiciatur actu existentiæ sive non, hoc enim ei accidit.

35. Ex dictis sequitur, quod possibilia, ut non futura, non attinguntur per scientiam visionis, quia hæc versatur circa res quæ habent esse extra videntem, ut ex S. D. dictum est: sed possibilia, etiam ut non futura, non habent esse extra Deum in propria natura: ergo per scientiam visionis non attinguntur. Ex quo patet ad ea quæ contra hoc objici possunt.



ARTICVLVS X.

Vtrum Deus cognoscat mala.

CAPVT I.

Quod mala omnia à Deo cognoscantur.

1. VETUS eorum, qui in ipsa fæce nequitiæ volutantur, & ad profundum malorum devenerunt, error fuit, dedignari Deum, curare & scire, quæ hîc ab hominibus scelera committuntur. De hoc Salomon cum peccatore expostulat Ecclesiastici c.23. num.26. dicente: *Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor. Delictorum meorum non memorabitur altissimus*: q. d. Nec homines vereor, utpote qui me tenebris & cubiculo clausum non vident: nec Deum, utpote quem non credo videre, aut curare facinora mea, ut debitis afficiat

ciat

ciat pœnis. Vnde Tigurina vertit: *Tenebris circumſeptus ſum, & parietes mihi præbent latebram, nec quiſquam videt me, quidnam metuam? peccata mea non curat altiſſimus.* Et D. Ambroſius lib. 1. Officior. c. 14. hunc locum expendens: *Nolunt*, ait, impij, *ſupra ſe eſſe iudicem, quem nihil fallat, nolunt ei dare occultorum ſcientiam, qui metuunt occulta ſua prodi.* Hunc errorem apud Iudæos viguiſſe colligitur ex illo Iſaiæ cap. 29. *Væ qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos?* ita refert D. Thom. ibid. *Hîc*, inquit, *ponit peccatum ex parte intellectus, quia non credebant Dei providentiam, quòd ſciret ea, quæ circa nos aguntur. Et circa hoc duo facit: primò ponitur erroris excogitatio. Dicebant autem Deum latere, propter cordis profunditatem ubi ſua prava conſilia pertractabant: & propter obſcuritatem locorum, in quibus prava opera exercebant.* A quibus ſuum errorem Lollardi deſumpſiſſe videntur, qui dixerunt, Deum nec ſcire, nec punire mala, quæ ſub terra fierent. Vnde in ſpeluncis, & cavernis ſubterraneis convenientes, pater cum filiâ, frater cum ſorore, aut filius cum matre indifferenter turpitudinem carnis ſuæ exercebant, ut refert Trithemius in Cronico Hiſaugienſi de anno 1315. Albanenſes etiam aſſeruerunt, Deum non præſcire, aut noſſe aliquod malum ex ſe, ſed referente Dæmone ipſa cognoſcere, ut narrat Prateolus verbo, *Albanenſes*: Ex Philoſophis Comment. lib. 12. metaphyſ. com. 51. affirmavit, quod Deus mala eſſe neſciat, ita refert de ipſo D. Thom. 1. ſent. diſt. 36. q. 1. art. 2. ad 1.

Prima concluſio: Deus cognoſcit mala. Hæc 2.

conclusio est de fide:patetque ex variis S. Scripturæ locis. Proverb. enim cap. 15. dicitur : *Infernus & perditio coram Deo.* Idem habetur Iob 26. *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.* Per infernum & perditionem,quæ solent in Scriptura conjungi status mortuorum intelligitur, qui est inter omnia maximè abditus ab oculis & cognitione hominum, cum ex eo ad mortales non sit reditus, & in abditissimis profundissimisque sit locis, nec quicquam de eo noverunt homines nisi quantùm fidem percipiunt. Argumentatur ergo Sapiens ad commendandam divinam notitiam, ab eo quod Deo ea sunt manifesta, quæ sunt à cognitione hominum remotissima, & abditissima, hoc est ex cognitione mortuorum, qui omnino ne esse quidem videntur; unde multò magis ei patere & nota esse debent hominum corda, cogitationes, & affectus, operaque etiam mala, quæ ipsis hominibus nota esse solent. Vnde postquam dixisset Sapiens : *Infernus & perditio coram illo*, subintulit : *Quantò magis corda filiorum hominum.*

3. Præterea psal. 58. *Delicta mea*, inquit, *à te non sunt abscondita:* Quæ verba de Christo ponderans Aug. ait: *Delicta nulla Christus habuit: fuit delictorum susceptor sed non commissor. Et delicta mea à te non sunt abscondita, id est, confessus sum tibi omnia delicta mea, & ante os meum vidisti ea in cogitatione mea, vidisti vulnera quæ sanares. Sed ubi? Vtique in corpore in membris.* Innumera alia possent adduci ad hoc institutum probandum testimonia, quibus S. Scriptura abundat: sed ab eis abstinendum in re tam manifesta judicamus.

Qu. 2. de verit. art. 15. c.

4. Prob. S. D. ratione : cognoscens perfectè bonum,

bonum, neceſſariò debet cognoſcere malum: ſed Deus perfectè cognoſcit omne bonum: ergo Deus cognoſcit etiam omne malum. Maj. prob. qui cognoſcit aliquid perfectè, neceſſe eſt ut cognoſcat ea, quæ illi accidere poſſunt: ſed aliquibus bonis poteſt accidere ut corrumpantur à malis: ergo cognoſcens bona debet neceſſariò cognoſcere mala.

Conf. quicunque aliquid perfectè cognoſcit, oportet ut ſciat diſtinctionem ejus ab aliis: 5.
ſed prima diſtinctionis ratio eſt in affirmatione, & negatione: ergo oportet, ut quicunque ſcit affirmationem ſciat & negationem: ergo cum privatio nihil aliud ſit quam negatio ſubjectum habens, & unum contrariorum ſemper ſit, ut privatio, oportet ut quando perfectè aliquid cognoſcitur, ejus privatio, & ejus contrarium cognoſcatur: ergo cùm Deus habeat propriam & perfectam cognitionem de ſuis effectibus, unumquodque ſicut eſt in ſua natura ab aliis diſtinctum cognoſcens, oportet quòd omnes negationes & privationes oppoſitas cognoſcat, & omnes contrarietates in eis repertas: ſed malum quodlibet eſt privatio boni: igitur oportet ut ex hoc ipſo quòd Deus ſcit aliquod bonum, & menſuram cujuslibet, cognoſcat etiam quodlibet malum. Maj. patet, nam ſecundùm Philoſ. 3. Metaphyſ. tex. 10. quicunque non intelligit aliquod unum, nihil intelligit: ſed per hoc eſt aliquid unum, quod eſt in ſe indiviſum, & ab aliis diviſum ſeu diſtinctum: ergo quicunque cognoſcit aliquid perfectè, oportet ut cognoſcat diſtinctionem ejus ab aliis.

Hæc concluſio intelligenda venit non ſolùm 6.

de malis culpæ, sed etiam pœnæ: immo & naturæ, seu naturalis defectus, immo & privationibus, quæ in rebus naturalibus reperiuntur: hæc enim omnia habēt à Deo cognosci. Et quidem de malis culpæ ex dictis locis sacræ Scripturæ adductis patet: & insuper constat ex illo Genes. 6. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum omni tempore, pœnituit eum.* Et ex illo Psalm. 50. *Malum coram te feci.* De malis etiam pœnæ dicitur Isaïæ 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Et Amos c. 3. *Si est malum in Civitate, quod non fecerit Dominus:* Quod si Deus illa operari dicitur, à fortiori & cognoscere debet, cum sit operans per intellectum sive scientiam & voluntatem. De defectibus etiam naturalibus evidens est: Nam ut legitur Genes. 1. *Divisit* Deus *lucem à tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem:* imponere autem alicui nomen, & illud ab alio distinguere cognitionem desiderat &
Infra q. 22 & 23. art. 2. supponit. Deinde quia hæc omnia ad bonum per divinam ordinantur: sed nequeunt ordinari, nisi cognoscantur: ergo hæc omnia à Deo cognoscuntur: & ita de fide tenendum est.

7. Quomodo autem Deus hujusmodi mala cognoscat, majorem ingerit difficultatem. Quidam Theologi, quos suppresso nomine refert Durandus *in* 1. *dist.* 38. *q.* 1. *num.* 12. asseruerunt Deum mala cognoscere, tam in communi, quam in particulari, non quidem per bona, quibus privant, sed per ipsummet bonum divinum, quod est ipsamet Dei essentia: quorum opinionem sequutus est postea M. Zumel *hîc concl.* 3. Oppositum docent communiter Theologi,

logi, cum D.Thom. affirmantes Deum cognoſcere mala, tam pœnæ quam culpæ, tam naturæ quam moris, per bona creata, quibus opponuntur, & non per ſolam ſuam bonitatem & eſſentiam, itaut ſi per impoſſibile Deus intuendo ſeipſum bona creata non cognoſceret, neque malum cognoſceret.

Hic, & quodl. 11. art. 2. q. 2. de verit. ar. 15. q. 3. art. 4. 1. cont. gent. cap. 71.

8. Secunda concl. Deus cognoſcit mala, non quidem per ſuam eſſentiam immediatè, ſed per bona creata, quibus opponuntur. Prima pars prob. quia intantùm aliquid poteſt Deus in ſua eſſentia cognoſcere, inquantum eſt cauſa, vel ad minus ſimilitudo & forma rei cognitæ: ſed Dei eſſentia nequit eſſe cauſa mali, ut malum eſt, immo neque ſimilitudo immediatè: ergo Deus non cognoſcit mala per ſuam eſſentiam immediatè. Min. quoad 1. partẽ eſt manifeſta, & probabitur infra *q.19. art.9.* Quoad 2. p. prob. Omnis ſimilitudo in creatura attenditur ſecundùm formam aliquo modo participatam: ſed malum ſecundùm Auguſtinum *lib. de vera relig. cap.* 8. dicitur ex hoc quòd non habet formam, eſt enim privatio modi, ſpeciei, & ordinis: ergo divina eſſentia non poteſt habere rationem ſimilitudinis ipſiùs mali immediatè.

9. Secunda pars prob. malum non poteſt cognoſci niſi in bono, & per bonum cui opponitur: ſed malum creatum non opponitur bono increato: ergo non cognoſcitur per illud, ſed per bonum creatum. Maj. patet, quia cum malum per ſe non poſſit cognoſci, ut dictum eſt, oportet ut cognoſcatur per aliud, quod nonniſi bonum cui opponitur, eſſe poteſt. Min. verò prob. ſi malum immediatè opponeretur Deo, ſeu bono increato, deberet illi opponi,

vel contrariè vel privativè : ſed neutro modo : ergo malum creatum non opponitur bono increato. Min. prob. tum quia oppoſita contrariè, vel privativè nata ſunt fieri circa idem ; malum autem & bonum divinum non habent commune ſubjectum. Tum etiam quia malum diminuit bonum cui opponitur ; bonum autem increatum per malum neutiquam diminui poteſt.

Quomodo fiat hoc, egregiè explicat D.Th. cit. quodl. 11. q.2. art. 2. dicens : *Propria ratio uniuſcujuſque rei eſt ſecundùm quòd cognoſcitur per propriam rationem. In cognoſcibilibus autem quædam ſunt, quæ habent rationem propriam abſolutam, ut homo & lapis, quorum propria ratio non dependet ex alio. Quædam verò ſunt, quæ non habent propriam rationem abſolutam, ſed ex alio dependent, ſicut eſt in relativis, & privativis, & in negativis, quorum ratio dependet ex ordine quem habent ad alia : nam ratio cæcitatis non eſt abſoluta, ſed dependens in quantum habet ordinem ad viſum, cujus eſt privatio. Cùm ergo Deus omnia cognoſcat ſecundùm proprias rationes, dico, quod illa, quorum ratio eſt abſoluta cognoſcit abſolutè, & non per aliquod aliud. Illa vero, quorum eſt dependens, cognoſcit ſecundùm ordinem ad illa, ex quibus dependent. Cum ergo ratio mali non ſit abſoluta ſed dependens, inquantum ſcil. diſcordat à bono creato, cognoſcit malum ſecundùm ordinem ad bonum, ſecundùm quod ſcil. diſcordat ab ipſo bono.*

10. Qu.1.de malo in com. a.1.& 2. Pro pleniori horum intelligentia notandum eſt ex eodem S. D. quod cùm malum ſit quædam privatio in privari, ut ægritudo, non tollit totaliter bonum, ſed in eo fundatur, ut docet

cet Auguſt. in Enchirid. cap.14. *Mala,* inquit, *omnino ſine bonis, & niſi in bonis eſſe non poſſunt, quamvis bona ſine malis eſſe poſſint.* Et ratio eſt, quia omnis privatio determinat ſibi ſubjeꝺum:omne autem ſubjeꝺum,cum ſit exiſtens, eſt bonum, quia bonum & ens convertuntur. De bono autem dupliciter loqui poſſumus: uno modo ſimpliciter & abſolutè: alio modo ſecundùm quòd dicitur bonum hoc, ut bonus homo, aut bonus oculus. Primo modo omne illud, quod aliquo modo eſt, vel dicit ordinem ad eſſe, dicitur bonum; ſive ſit ens actu, ſive in potentia, ut materia prima. Quamvis autem quodcunque ens, ſive in actu, ſive in potentiâ abſolutè bonum dici poſſit: non tamen ex hoc ipſo quælibet res eſt bonum hoc: ſicut ſi aliquis homo ſit bonus ſimpliciter, non tamen ſequitur quod ſit bonus cytharædus, ſed tunc tantùm quando habet perfectionem in arte citharifandi. Sic ergo licet homo, ſecundùm hoc ipſum quod eſt homo ſit quoddam bonum, non tamen ex hoc ipſo eſt bonus homo; ſed id quod facit bonum unumquodque eſt propria virtus ejus. Vnde 2. Ethic.cap.6. dicitur, quòd virtus eſt,quæ bonum facit habentem. Ex quo patet quod tunc aliquid dicitur bonum hoc, quando propriam perfectionem habet; ſicut homo bonus dicitur quando habet perfectionem hominis, & bonus oculus cum perfectionem oculi habet. Ex quibus ſequitur quod tripliciter dicitur bonum: primò ipſa perfectio rei, ſicut acumen viſus, & virtus hominis bonum dicitur. Secundò, res quæ habet ſuam perfectionem; ſicut homo virtuoſus, & oculus acutè videns. Tertio modo dicitur bonum ipſum

sum subjectum, secundùm quod est in potentia ad perfectionem; sicut anima ad virtutem, & substantia oculi ad acumen visus. Et in hoc bono est malum, quia privatio pro subjecto habet ipsum ens in potentia. At vero malum opponitur bono, quod est perfectio, hoc enim per malum privatur, sicut per Opthalamiam privatur acumen visus. Vnde si aliquod bonum est, quod est actus purus nullam potentiæ permistionem habens cujusmodi est Deus, in tali bono nullo modo potest esse malum.

11. Dicimus ergo quòd Deus videt substantiam, quæ est subjectum privationis per essentiam suam, quia in illo est quædam bonitas & similitudo divini esse: sed videndo eam comparativè ad bonum illud quod est perfectio, quâ privatur tale subjectum, dicitur privationem illam cognoscere, inquantum cognoscit illam perfectionem, quæ tali subjecto debita erat, ei non in esse quâ reddatur actu bona, & perfecta; v. g. loquendo de malo naturæ, quod est cœcitas, cognoscit substantiam oculi per essentiam suam, & cognoscit visivam virtutem ei non inesse actu, secundum quam dicitur oculus bonus: & sic videt discordare à bono quod est propria perfectio, & hoc pacto dicitur cognoscere cœcitatem per virtutem visivam ei oppositam.

12. Loquendo autem de malo culpæ, sive de malo morali, quod est peccatum, Authores varia adducunt ut rem explicent, sed non facilè multi ab hac labyrintho se expediunt. Admisso pro nunc peccatum in aliquo positivo consistere (quod vim difficultatis augere videtur) adhuc asserendum est, malum morale, inquantum ma-

lum

lum est, & privatio rectitudinis debitæ actui in esse motis, cognosci per bonitatem oppositam, quatenus est perfectio actus, & rectitudo illius in esse morali. Cujus rei gratia notandum est ex S. D. quòd in omnibus contrariis semper se habet unum ut privatio, quia se habet ut ens in potētia, quod est conjunctū privationi, respectu alterius. Vnde esto quod peccatum in ratione mali moralis constituatur per aliquid positivum, tamen formaliter includit privationem rectitudinis debitæ actui in esse moris, seu privationem ordinis ad finem. Ex hoc enim homo peccat, & culpabilis est, quia agit actionem ad debitum finem non ordinatam. Vnde actio illa in genere naturæ considerata, & quatenus entitas est, equidem bona est, sed mala ut moralis est inordinata, seu privata debito ordine ad finem. Vt igitur entitas est, cognoscitur à Deo, qui est causa omnis entitatis & naturæ: sed quatenus est privatio rectitudinis debitæ actui cognoscitur à Deo per formam oppositam, quia sic non habet similitudinem in Deo, nec ab illo est ut à causa, sed à libero arbitrio deficiente, seu agente inordinatè: sicut etiam nigrum secundùm quòd habet de natura coloris per se cognoscibilis est, sed secundùm quòd dicit privationem lucis, vel minimum de luce, per album cognoscitur, cui contrariatur. Vnde Philosophus dicit quod album est mensura omnium colorum.

q.1. de malo. a. 10.

13. Quod autem ad malum pœnæ spectat, idem servata proportione dicendum est. Cujus rei gratia observandum est ex D. Thom. quod aliquid dicitur esse malum dupliciter. Vno modo simpliciter: alio modo secundùm quid. Illud dicitur

q. cit. de malo. art. 1. ad 1.

dicitur simpliciter malum, quod est secundùm se malum: hoc autem est, quod privatur aliquo particulari bono, quod est ex debito suæ perfectionis: sicut ægritudo est malum animalis, quia privat æqualitatem humorum, quæ ad perfectum animalis esse requiritur. Secundùm quid autem dicitur esse malum, quod non est malum secundùm se sed alicujus; quia scil. non privatur aliquo bono, quod sit de debito suæ perfectionis, sed quod est de debito perfectionis alterius; sicut in igne est privatio formæ aquæ, quæ quidem forma non est de debito perfectionis ipsius ignis; unde ignis non est secundùm se malus, sed est malus aquæ. Malum culpæ est malum simpliciter, quia privat aliquo quod est debitum perfectioni actionis: sed malum pœnæ quandoque est bonum secundùm quod comparatur ad agens, nimirum Deum, qui pœnam infert: & sic Deus dicitur malum pœnæ creare. Sed secundùm quod comparatur ad subjectum cui infligitur pœna est quoddam malum illi inquantum privat illud aliquo modo: Est enim malum pœnæ privatio ejus, quo voluntas potest uti quocunque modo ab bonam operationem. Hinc est quod malum pœnæ prout dicit hujusmodi privationem cognoscitur à Deo per bonum oppositum, quemadmodum aliæ privationes.

CAPVT II.

Soluuntur argumenta contraria.

14. Hic & 1. sent. ARg. 1. contra 1. intellectus divinus non cognoscit privationem: sed malum est privatio

privatio boni, ut dicit August. epist. 103. & in Enchirid. cap. 11. ergo Deus non cognoscit malum. Maj. prob. quia, ut dicit Philos. 3. de anim. text. 25. intellectus qui non est in potentia, sed semper in actu, non cognoscit privationem omnino: sed intellectus divinus semper est in actu, & nullo modo in potentia: ergo non cognoscit privationem. Et quod ita sit, Deum videlicet non cognoscete malum insinuare videntur illa Prophetæ Habacuc verba cap. 1. dicentis ad Dominum: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Quare non respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* dist. 36. q. 1. art. 2.

Resp. S. D. Aristotelem sic venire intelligendum, quod nimirum intellectus, quia non est in potentia, non potest cognoscere privationem per privationem in eo existentem: bene verò per suum oppositum. Et quia intellectus divinus nullo modo est in potentia, sed semper in actu, ideo privationem cognoscit, videlicet malum, non quidem per privationem in eo existentem, sed per suum oppositum scil. bonum. Hanc autem esse Aristot. mentem ex eo deducit, quòd ibi ipse agebat de indivisibili, & de modo quo ipsum cognoscitur, asserendo quod indivisibile, ut punctus, cognoscatur sicut privatio: est enim indivisibile quædam divisionis privatio. Vnde quia indivisibile nequit esse actu in intellectu nostro, sed tantùm in potentia; oportet quod in intellectu nostro sit privatio, per quam indivisibile cognoscat: quapropter per negationem diffinitur. Intellectus verò qui semper est in actu, cujusmodi est divinus, cognoscit has privationes, non per privationem 15. Ibidem.

vationem in ſeipſo exiſtentem, ſed per oppoſitum: Ad authoritatem S. Scripturæ, dicendum quòd ſolùm vult Deum non noſſe malum ſcientiâ approbationis, ſive approbando illud, & complacendo ſibi in eo. Ita Gloſſa Hieronymi: *Scio*, inquit, *quia malum non libenter aſ-*
In 1. diſt. *picis.* Vnde S. D. *Dicendum*, inquit, quod neſ-
36. q. 1. cire dicitur dupliciter: *Vno modo metaphoricè,*
art. 2. c. *ad ſimilitudinem neſcientis ſe habere: & ſic reprobare Dei neſcire dicitur, quia malos à gloria ſua excludit: Et per oppoſitum Deus dicitur ſcire quæ approbat: & ſic verum eſt quod Deus dicitur neſcire mala. Alio modo dicitur neſcire propriè, notitiâ rei carere: & per oppoſitum ſcire, notitiam rei habere, & ita Deus novit & bona, & mala cognoſcendo eſſentiam ſuam.*

16. Arg. 2. Omnis ſcientia vel eſt cauſa ſciti, vel
Hic, & cauſatur ab eo: ſed ſcientia Dei non eſt cauſa
q. 2. de mali, nec cauſatur à malo: ergo ſcientia Dei
verit. non eſt cauſa malorum. Maj. patet, nam om-
art. 15. nis ſcientia, vel eſt ſpeculativa, & ſic cauſatur
arg 1. à rebus: vel eſt practica, & ſic eſt cauſa rerum.

17. Reſp. diſt. maj. ſi ſit ſcientia habita de re
Loc. cit. per ſuam ſimilitudinem, concedo: ſi ſit habita de re per ſimilitudinem alterius, nego: malum autem non cognoſcitur à Deo per ſuam ſimilitudinem, ſed per ſimilitudinem ſui oppoſiti, videlicet boni. Vnde non ſequitur, quod Deus ſit cauſa malorum, quia cognoſcit mala; ſed ſequitur quod ſit cauſa boni, cui opponitur malum.

18. Arg. 3. nihil poteſt cognoſci, niſi per ſuam
Ibidem. ſimilitudinem, vel per ſuum oppoſitum: ſed nullo ex his modis poſſunt à Deo cognoſci mala: ergo ab eo nullatenus cognoſci queunt.

Prob.

Prob. min. quidquid Deus cognoſcit, per ſuam eſſentiam cognoſcit: ſed divina eſſentia, neque eſt ſimilitudo mali, neque ei malum opponitur; divinæ namque eſſentiæ nihil eſt contrarium, ut dicit Auguſt. 12. de Civit. Dei cap. 2. ergo mala à Deo cognoſci non poſſunt, neque per ſuam ſimilitudinem, neque per ſuum oppoſitum.

Reſp. S. D. quod licet malum non opponatur eſſentiæ divinæ, quæ non eſt corruptibilis per malum: opponitur tamen effectibus Dei, quos per eſſentiam ſuam cognoſcit, & eos cognoſcens, mala oppoſita cognoſcit. Quam doctrinam fuſiùs explicat alibi dicens: *Oppoſitio unius ad aliud poteſt accipi dupliciter. Vno modo in generali, ſicut dicimus malum opponi bono, & hoc modo malum opponitur Deo. Alio modo in ſpeciali, prout dicimus hoc album opponi huic nigro, & ſic non eſt oppoſitio mali, niſi ad aliud bonum, quod poteſt per malum privari, & cui poteſt eſſe nocivum, & ſic malum non opponitur Deo. Vnde Auguſtinus dicitur lib. 12. de Civit. Dei cap. 3. quod vitium opponitur Deo, tanquam malum bono: ſed natura, quam vitiat, non ſolùm opponitur ut malum bono, ſed ut nocivum.* 19. Ibidem. Qu. cit. de verit. art. 15. ad 4.

Arg. 4. quod per aliud, & non per ſeipſum cognoſcitur, imperfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcens colorem viridem per ſpeciem albi, ipſum imperfectè noſceret: ſed malum non cognoſcitur à Deo per ſeipſum: ergo ſi cognoſcitur, per aliud debet cognoſci, ac ſubinde imperfectè cognoſcetur à Deo: ſed hoc eſt impoſſibile, quia nulla cognitio Dei eſt imperfecta: ergo ſcientia Dei non eſt malorum. Min. prob. omne cognitum, quod per ſeipſum co- 20.

gnoſcitur debet eſſe in cognoſcente : ſed malum non eſt in Deo : igitur non cognoſcitur à Deo per ſeipſum.

21. Loc. cit. de verit. arg. 6. & 2. Conf. qui ſcit Grammaticam, grammaticus eſt : ergo qui ſcit malum, malus eſt : ſed Deus non eſt malus : ergo nec ſcit mala. Conf. 2. nihil ſcitur niſi verum : ſed malum non eſt verum : ergo non ſcitur à Deo. Maj. patet, min. prob. quia ut dicitur in 2. Metaph. text. 4. Vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad verum : ſed malum non habet eſſe, cùm ſit privatio : ergo malum non eſt verum.

22. Reſp. ad arg. ex S. D. hîc : diſt. maj. quod per aliud cognoſcitur, & non per ſeipſum, imperfectè cognoſcitur, ſi illud ſit cognoſcibile per ſe, concedo : ſi ſolùm ſit cognoſcibile per aliud, nego. Malum autem non eſt per ſe cognoſcibile, ſed per bonum : quia unumquodque per ſuam rationem cognoſcitur ; de ratione autem mali eſt quod ſit privatio boni : & ſic neque definiri, neque cognoſci poteſt niſi per bonum.

23. Loc. cit. in arg. Reſp. ad 1. Conf. quod Grammatica ſcitur in habendo Grammaticam, id eſt, peritiam & perfectam cognitionem ſeu artem congruè & bene loquendi, atque ſcribendi &c. ſed malum non conſiſtit in habenda cognitione mali, ſed in operatione ejus : nam malum ſcire ut videtur, bonum eſt, & malum inquantum ſcitum eſt bonum, & ſic diſpar eſt ratio. Reſp. ad 2. Conf. quod non ens ex hoc ipſo quod enti opponitur, dicitur quodammodo ens, ut patet 4. Metaph. Vnde & malum ex hoc ipſo quod bono opponitur, habet rationem cognoſcibilis & boni.

Arg. 5. In Deo sunt omnes rationes particularium bonorum, quibus mala particularia opponuntur : sed omnia cognoscuntur à Deo inquantum sunt in illo : ergo per hujusmodi rationes bonorum particularium, quas Deus apud se habet, potest omnia mala, etiam in particulari, cognoscere, non cognitis ipsis bonis particularibus in seipsis. 24.

Conf. malum quodlibet per suum oppositum cognoscitur : sed malum saltim in communi opponitur Deo : ergo Deus cognoscendo se cognoscit malum, saltim secundum communem rationem mali, etiam si nullum bonum creatum cognoscat. Minor prob. ex D.Thom. supra cit. n. 19. solut. ad 3. in q. 2. de verit. art. 15. ad 4. ubi id expresè affirmat. Idem docet in 1. dist. 36. art. 2. cap. 25.

Resp. ad arg. dist. maj. quibus mala particularia opponuntur, ut sunt in Deo, nego : ut sunt in seipsis, concedo : sic enim sunt privationes eorum, & non aliter. Et dist. min. omnia cognoscuntur à Deo inquantum sunt in illo, si ly *inquantum* determinet cognitionem ex parte cognoscentis, concedo : si determinet cognitionem ex parte cogniti, nego min. & conseq. 26. Qu. 2. de verit. art. 3. ad 2.

Resp. ad Conf. ex D.Thom. dist. min. malum saltim in communi opponitur Deo, secundùm rem, seu id quod habet in re : nego min. secundùm vocem, seu modum nostrum significandi, conc. min. Et nego conseq. Cum enim cognitio divina sit summè perfecta, & attingens res secundùm quod sunt in se seu in re, debet ita malum cognoscere, & subinde per bonum creatum cui in re opponitur. *Dicen-* 27. In 2. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 1.

dum, inquit, *quod summum malum non contrarietur summo bono secundùm rem, sed solùm secundùm vocem propter duo: Primò quia summum malum esse non potest; nihil enim est adeo malum, in quo non sit aliquid boni, ad minus esse. Et ideo dicit Philos. in 4. Ethic. quod si esset adeo perfectum malum, quod proveniret ex corruptione omnium circunstantiarum, nec seipsum sustinere posset. Secundò quia illi bono, quod nullo modo potest auferri, vel minui nihil opponitur privativè, vel contrariè. Vnde nec ipsum particulare malum opponitur summo bono directè: sed particulari bono, quod per ipsum privatur. Et dico aliquid directè opponi alteri, quando ei opponitur secundùm quod hujusmodi, sicut nigredo opponitur albedini manus directè: sed indirectè etiam opponitur albedini parietis, non inquantum est nigredo vel albedo hujus, sed inquantum est albedo simpliciter, per quem modum cuilibet bono quodlibet malum opponitur, non secundùm propriam rationem hujus vel illius, sed secundùm communem rationem boni & mali, & sic, si malum summo bono opponatur, hoc erit indirectè, quia non opponitur ei inquantum est tale bonum, sed inquantum bonum.* Sed de his in seq. arg.

28. Arg. 6. peccatum mortale opponitur formaliter Deo: ergo potest cognosci in sola Deitate, non cognito aliquo bono creato, cùm omne malum per bonum oppositum cognoscatur.

Infra q. 48. art. 6. cap. Antec. prob. 1. ex D.Thom. dicente: Malum pœnæ privat bonum creaturæ, *sive accipiatur bonum creaturæ ut aliquid creatũ, sicut cæcitas privat visum: sive sit bonum increatum, sicut per carentiam visionis divinæ tollitur bonum increatum. Malum verò culpæ opponitur propriè bono increato.*

creato. Prob. 2. quia peccatum est aversio à Deo, offensaque & injuria, quæ illi immediatè irrogatur, seu offendit eum prout in seipso, opponiturque legi æternæ, quæ est ipsemet. Tandem, quia quædam peccata secundùm suam propriam speciem dicuntur esse in Deum, ut desperatio, infidelitas, & odium ipsius Dei: ergo illi immediatè opponuntur.

Conf. peccatum formaliter opponitur rectitudini alicujus virtutis: sed Deus habet in se formaliter omnes illas virtutes, quæ in suo conceptu nullam imperfectionem includunt: ergo per seipsum immediatè peccata eis opposita cognoscere potest. 29.

Conf. quilibet artifex per suammet scientiam & artem omnes cognoscit defectus, qui contra propriam artem committuntur: sed quodlibet peccatum sive malum particulare deficit & discordat ab idea & arte, seu regula & lege divinâ: ergo Deus per eam quodlibet peccatum, & malum cognoscere potest. 30.

Resp. ad arg. cum D. Caietano infra q. 49. art. 3. quòd malum, seu peccatum opponi bono potest intelligi dupliciter; scil. formaliter, & objectivè. Formaliter quidem est impossibile aliquod malum, seu peccatum opponi bono divino seu increato: quia videlicet malum habens bonum formaliter oppositum exigit potentiam, circa quam habet fieri malum; Deus autem est actus purus, nullam in se potentiæ admistionem compatiens. Objectivè autem malum culpæ opponitur bono divino in seipso, contrariatur enim impletioni divinæ voluntatis, & divino amori, quo bonum divinum in seipso amatur, & non solùm secundùm quòd 31.

participatur à creatura. Vult enim peccator explicitè, vel interpretativè, quantùm in se est, Deum non esse ultimum finem, quod est ei opponi objectivè, secundum id quod in se est: sicut econtra amans ex charitate, vult Deo quidquid est, & ei debetur. Vnde negatur antec. Ad cujus 1. prob. dicimus loqui D.Thom. de oppositione objectivâ, secundùm quam malum culpæ, seu peccatum opponitur Deo, tanquam objecto, à quo avertitur. Ad 2. dicimus pariter, quòd peccatum est aversio à Deo, ceu objecto & fine ultimo, ex quo fit quòd sit offensa & injuria, quatenus eo relicto ultimum finem in creatura peccans constituit; unde solùm sequitur quòd peccatum Deo objectivè opponatur, non autem formaliter: privatio autem non cognoscitur per objectum, sed per formam, aut habitum cujus est privatio. Similiter dicimus, quòd peccatum opponitur legi æternæ non quidem immediatè, & formali oppositione, sed mediatè, & oppositione obje-

1.p.q.63. art.1.c.1. 2. q.21. art.1. q. 71.art.6. c.& alibi sæpe.

ctivâ: quia ut docet D.Thom. peccatum secundùm se est actus devians ab ordinatione debiti finis contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ: in quantùm autem deviat ab ordinatione debiti finis & objecti, solùm fundat oppositionem objectivam ad bonum increatum, ut dictum est. Ad 3. dicimus odium Dei opponi Deo solùm objectivè, non formaliter, nam sic opponitur amori; sicut etiam formaliter infidelitas fidei, & desperatio spei opponuntur; objectivè autem Deo.

32.

1. cont. gent. c.92. 1. 2.q.71.0.

Resp. ad 1. Conf. dist. maj. peccatum opponitur formaliter rectitudini virtutis, prout virtus est quædam dispositio subjecti, quod est in

potentia

potentia ad ipsam, concedo; aliter nego: virtus autem non est in Deo ut quædam dispositio perficiens ipsum, sed ut essentia ejus: nec Deus se habet ut in potentia ad illam; unde peccatum non opponitur rectitudini virtutis prout in Deo, nisi oppositione objectivâ, non autem formali. Ad 2. conf. dicimus, quòd equidem quilibet artifex cognoscit defectus per artem, inquantùm deviant à regulis artis, non tamen sine ordine ad ea, quæ arti & regulis ejus nata sunt esse conformia. Et hoc pactò Deus cognoscit peccata, sed non sine ordine ad bona creata quæ privant.

Arg. ultimò: malum morale est aliquid positivum: ergo immediatè per divinam essentiam poterit cognosci. Antec. prob. ex D.Th. quæst. 1. de malo art.1. ad 12. ubi ait: *Dicendum, quod bonum & malum non sunt differentiæ, nisi in moralibus, in quibus malum positivè aliquid dicitur, secundùm quod ipse actus voluntatis denominatur malus à volito: licet & ipsum malum non possit esse volitum, nisi sub ratione boni.* Conseq. etiam videtur evidens: nam ideo diximus, malum debere cognosci per bonum, quia privatio quælibet per formam seu habitum oppositum cognoscitur: ergo si malum morale est quid positivum, non necessariò cognoscitur per bonum oppositum. 33.

Resp. omissis variis solutionibus, quòd malum morale secundùm actum equidem positivè dicitur, formaliter tamen in aversione à Deo consistit, ceu ultimo fine, ut docet idem S.D. cùm sit actus devians ab ordinatione debiti finis contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ: Vnde non opponitur immediatè 34.

& directè formaliter Deo, sed indirectè & objectivè: quapropter non cognoscitur immediatè à Deo, sed per bonum oppositum quod privat.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Deus cognoscat singularia.

CAPVT PRIMVM.

Statuitur conclusio affirmativa, & probatur tum authoritate, cum ratione.

I. Qu. 2. de verit. art. 5. c.



MVLTIPLEX de hac re olim apud Antiquos error invaluit, ut notat D. Thomas. Quidam enim, ut Averroës *2. Metaphys. com. 15.* negaverunt à Deo singularia cognosci, nisi fortè in universali; inquantùm cognoscit essentiam suam quæ est principium omnis esse: volentes naturam intellectus divini ad mensuram intellectus nostri coarctare. Avicenna verò, Algazel, & alij ipsius sectatores asseruerunt, Deum equidem unumquodque singularium, quasi in universali cognoscere, quòd hocce exemplo exponunt: Si aliquis motus omnes Cœli, tempusque eorum, necnon & orbium distantias perfectè cognosceret, ipse omnem eclypsim futuram sciret; non tamen cognosceret ipsam, inquantùm est singulare quoddam, ut sciret eam nunc esse, vel non esse, sicut rusticus cognoscit,

cognoscit, dùm eam videt. Non enim cognosceret per aliquid à sensu acceptum. Haud secus, aiebant, cùm omnes causæ in ipsum Deum, sicut in primam omnium causam reducantur, ipse cognoscendo se, omnes causas secundas novit; intuendo autem ipsas omne id videt, quod ex hujusmodi causis effectum est, nonnisi universaliter tamen.

Hujusmodi errores ex eo duxerunt originem 2.
quòd quidam ipsorum Deum immediatè in re- In 1. dist.
bus omnibus non operari autumabant, sed ab 36. q. 1.
eo ortas primas quasdam creaturas, quibus art. 1.
mediantibus ab ipso aliæ producerentur: & ideo suspicari & invenire nequiverunt, qualiter ipse Deus res singulares, & quæ sunt hîc & nunc, nisi in primis causis universalibus cognosceret. Alij autem materiam ingenitam, & infactam, seu non factam constituebant, Deum primum agens ex eo solo asserentes, quòd in materiam formas induceret. Quâpropter, cùm materia sit individuationis principium, non poterant satis excogitare, quo pacto Deus singularia, inquantùm hujusmodi cognoscere valeret.

Rabbi Moyses asseruit equidem, quod Deus 3.
singularia perfectissimè cognosceret; sed ta- Ibidem.
men falsò existimavit scientiam Dei esse omnino alterius rationis à scientiâ nostrâ, & æquivocè duntaxat cum illa convenire, ut à contrariis rationibus se liberaret. Aiebat enim, quod per conditiones scientiæ nostræ non possumus aliquid de Dei scientia arguere, aut demonstrare; sicut enim illius essentia, ita & ipsius scientia à nobis nullatenus comprehenditur. Quod confirmare nitebatur, ex eo quòd

habeatur Isaiæ 55. *Sicut exaltantur Cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.*

4\. Conclusio. Deus omnia singularia cognoscit, non solùm in universalibus causis; sed etiam unumquodque secundùm propriam, & singularem sui naturam. Probat S. D. *in sed contra* ex illo Proverb. 32. *Omnes viæ hominum patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus.* Vbi glossa, *Ita ut actiones omnium, bonorum scil. & malorum, quid in occulto cogitent, certâ lance discernat. Vnde subdit: Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Opera nostra revelamus quando, quem nihil latere novimus, in cunctis quæ agimus, in memoriam reducimus, atque illius flagitamus auxilium, & tunc non solùm opera, sed cogitationes dirigit.*

5\. Conf. ex illo Apostoli ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd diligentibus se remunerator sit.* Sed opera hominum singularium remunerare non potest, nisi & operantes, & ipsorum opera norit: ergo oportet credere, quòd singularia Deus cognoscat. Vnde S. Ioannes Chrysostomus illud ejusdem Apostoli ad Hebr. cap. 4. *Vivus est sermo &c.* explicans ait: *Hîc ostendit, quòd & anima punitur, & quòd quæ sunt intima scrutatur, totum penitus pervadens hominem: Et discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Ipse judicabit quæ sunt in corde: eò enim pervadit & puniens & examinans. Et quid dico, inquit, de hominibus. Nam etsi dicas Angelos, & Archangelos, & Cherubim, & Seraphim, & quamcunque creaturam, omnia illi oculo sunt aperta, omnia clara & manifesta. Nihil est*

Loc. cit. ex 1. sent.

est quod possit eum latere. Omnia sunt nuda & aperta oculis ejus,ad quem nobis sermo. Aperta autẽ gracè dicitur τετραχηλισμένα, id est, resupinata, à metaphorâ pellium, quæ extrahuntur à victimis. Quomodo enim quando quispiam illis jugulatis pellem à carne abstraxerit, omnia quæ sunt intus aperit, & nostris oculis reddit manifesta, ita etiam Deo clara & manifesta proposita sunt omnia. Vide infra q.22. art.2. & 3.

Primam part. conclus. prob. S. D. sic: cognoscere singularia pertinet ad perfectionem nostram; sed omnes perfectiones in creaturis inventæ, secundùm altiorem modum in Deo præexistunt: ergo necesse est quòd Deus singularia cognoscat. Quod confirmat authoritate Philosophi 1. *de anima text.* 8. & *in* 3. *Metaphys. text.*15. qui contra Empedoclem invehitur,qui asserebat Deum discordiam & contentionem non intelligere,eò quod eam in se non haberet, dicens quod si Deus aliquid ignoraret,quod alij cognoscebant, sequeretur Deum esse insipientissimum, cùm tamen ipse felicissimus sit, ac subinde Sapientissimus: *Accidit*, inquit, *Empedocli insipientissimum esse Deum, solus enim elementorum unum non cognoscet, discordiam.* Quod multò magis accideret si omnia singularia ignoraret. Advertit tamen S. D. cùm perfectiones, quæ in inferioribus dividuntur, in Deo simpliciter, & unitæ existant, licet nos per aliam potentiam cognoscamus universalia & immaterialia, videlicet per intellectum, & per aliam singularia, & materialia, nimirum per sensum, Deum tamen per suum simplicem intellectum utraque cognoscere. 6.

Hic in c. & q. 2. de verit. art. 5.

Secundam part. prob. sic: si Deus singularia 7.

in

in universali duntaxat cognosceret, perfectam de illis cognitionem non haberet: sed hoc est absurdum: ergo singularia non cognoscit in universali tantùm, sed etiam secundùm particulares eorum naturas. Maj. patet, cognoscere enim singularia in universali, non est cognoscere propriam naturam hujus singularis, vel illius, eò quod quocumque modo universalia aggregentur, nunquam ex eis fiet singulare, nisi per materiam: v. g. qui cognosceret Socratem per hoc quod est albus vel Sophronici filius, vel quidquid aliud sic dicatur, non cognosceret ipsum secundùm propriam naturam singularem, seu inquantum est hic homo: sed cognoscere aliquid non attingendo propriam ejus naturam, est imperfectè cognoscere: ergo si Deus singularia in universali duntaxat cognosceret, perfectam de ipsis cognitionem minimè haberet. Min. etiam est evidens, quia Deus singularium omnium causa est, & principium: ergo scientiam practicam de illis habet secundùm omne id quod in eis reperitur. Hinc D. Dionys. cap. 7. de divin. nom. *Vnde si aliquid est in rebus*, inquit, *quod non sit cognitum ab eo, oportet ut circa illud divina operatio vacet*; id est, oportet quod non sit ab eo productum.

8. Loc. cit. Nec valet dicere, inquit S. D. sicut nonnulli asseruerunt, quod Deus cognoscat singularia applicando causas universales ad singulares effectus: Quia nullus potest applicare aliquid ad alterum, nisi illud præcognoscat: ergo dicta applicatio nequit esse ratio cognoscendi singularia, sed cognitionem singularium præsupponit.

9. Pro majori intelligentia observandum docet

S.Thom.

S. Thom. *q. 2. de verit. art. 5. c.* quod ſcientia divina, quam de rebus habet, ſcientiæ artificis comparetur, eò quod ſit cauſa omnium rerum ſicut ars artificiatorum. Artifex autem artificiatum cognoſcit per forma martis, quam apud ſe habet, ſecundùm quod ipſam producit. Cum ergo ipſe artifex per artem ſuam nonniſi artificiati formam producat, quia materiam natura miniſtrat: ideo artifex per artem ſuam non cognoſcit artefactum niſi ratione formæ. Omnis autem forma de ſe univerſalis eſt, eapropter ædificator cognoſcit quidem domum in univerſali, non autem hanc vel illam, niſi quatenus per ſenſum ejus notitiam habuit: ſed ſi forma artis eſſet productiva materiæ, ſicut eſt formæ, per eam cognoſceret artificiatum, & ratione formæ, & ratione materiæ: idcirco cum individuationis principium ſit materia, non ſolùm cognoſceret ipſam ſecundùm naturam univerſalem, ſed etiam inquantum eſt ſingulare quoddam: Vnde cùm ars divina ſit productiva non ſolùm formæ, ſed etiam materiæ, in arte ſua non ſolùm exiſtit ratio formæ, ſed etiam materiei, & ideo res cognoſcit, & quantùm ad materiam, & quantùm ad formam: unde non ſolum univerſalia, ſed etiam ſingularia cognoſcit.

Sed tunc reſtat dubium, inquit S. D. cùm omne quod eſt in aliquo, ſit in eo per modum ejus in quo eſt, & ita ſimilitudo rei non ſit in Deo niſi immaterialiter, unde eſt quod Deus ſingularia materialia cognoſcat, cùm intellectus noſter ex hoc ipſo ea non attingat, quòd formas rerum immaterialiter recipiat. Cujus ratio manifeſta apparet, ſi conſideretur diverſa 10.

habitudo,

habitudo, quam haberet ad rem ſimilitudo rei, quæ eſt in intellectu noſtro ; & ſimilitudo rei, quæ eſt in intellectu divino : illa enim eſt accepta à re ſecundùm quod res agit in intellectum noſtrum, agendo per prius in ſenſu : materia autem propter debilitatem ſui, quia eſt in potentia ens tantùm, agendi principium eſſe nequit : & ideo res, quæ agit in animam noſtram, per formam ſolummodo agit. Quapropter ſimilitudo rei, quæ in ſenſu imprimitur, & per quoſdam gradus depurata uſque ad intellectum pertingit, eſt tantùm formæ ſimilitudo. Sed ſimilitudo rei, quæ eſt in intellectu divino, eſt factiva rei ; res autem ſive forte, ſive debile eſſe participet, hoc non habet niſi à Deo, & ſecundùm hoc ſimilitudo cujuſcunque rei in Deo exiſtit, quod res illa à Deo eſſe participat. Vnde ſimilitudo immaterialis, quæ eſt in Deo, non ſolùm eſt ſimilitudo formæ, ſed materiæ. Et quia ad hoc ut aliquid cognoſcatur, requiritur quòd ſimilitudo ejus ſit in cognoſcente, non autem quòd ſit per modum quo eſt in re : inde eſt quod intellectus noſter ſingularia non cognoſcit, quorum cognitio ex materia dependet, quia non eſt in eo ſimilitudo materiæ, non autem ex hoc quod ſimilitudo ſit in eo immaterialiter. Sed intellectus divinus, qui habet materiæ ſimilitudinem, quamvis immaterialiter, poteſt ſingularia cognoſcere.

CAPVT II.

Solvuntur argumenta.

ARg. 1. intellectus divinus immaterialior est, quam intellectus humanus: sed intellectus humanus propter suam immaterialitatem singularia non cognoscit: ergo multo minùs ea cognoscit Deus. Prob. min. quia dicitur *in 2. de Anima text.*1. quòd ratio est universalium, sensus verò particularium. Et Boëtius dicit, quod universale est dum intelligitur, singulare verò dum sentitur. 11. Qu. 2. de verit. art. 5. 1. sent. dist. 36. q. 1. art. 1.

Dices, non ideo intellectum nostrum singularia non cognoscere, quia immaterialis est, sed quia speciem intelligibilem à principiis individuantibus abstrahit. Vnde species intelligibilis nostri intellectus est à conditionibus individuantibus depurata: quapropter similitudo principiorum individuantium esse nequit: sed species intelligibilis divini intellectus, quæ est Dei essentia, non est immaterialis per abstractionem, sed per seipsam principium existens omnium principiorum, quæ rei constitutionem ingrediuntur, sive sint principia speciei, sive individui. Vnde per eam Deus cognoscit non solùm universalia, sed etiam singularia. 12. Loc. cit.

Contra, depuratio formæ intelligibilis in intellectu receptæ non est ratio quare intellectus singularia non cognoscat ratione termini à quo, immo secundùm hoc magis ea cognoscere deberet; etenim ex hoc totam suam assimilationem trahit, quòd à rebus accipit: ergo depuratio 13. Ibid.

ratio

ratio formæ non impedit cognitionem singularis nisi secundùm terminum ad quem, qui est puritas, quam in intellectu creato habet: sed ista formæ puritas est tantummodo propter immunitatem intellectus à materia: ergo ista est unica & sola ratio, quare intellectus singularia non cognoscit, quia est à materia separatus.

14. Loc. cit. de verit. ad 3. Resp. S. D. quod equidem ex termino depurationis contingit, quod immaterialiter forma recipiatur; sed tamen hoc non sufficit ut singulare non cognoscatur: sed ex principio hujus actionis contingit, quod similitudo materiæ signatæ in intellectu non recipiatur, sed formæ tantùm, quia abstrahit à materia illa speciem, illuminando eam. Vnde ratio non sequitur.

15. Loc. cit. ad 1. Ad illud ex Boëtio adductum respondet S. Thom. quod forma, per quam intellectus divinus intelligit, nimirum essentia divina, neque est universalis, quia additionem non recipit; neque singularis, quia à materia & dispositionibus ejus immunis est: sed tamen est principium & similitudo perfecta totius quod in re est, & materiæ, & formæ. Et ideo hoc quod dicitur, quod universale est dum intelligitur &c. referendum est ad cognitionem nostram, quæ in sensu est per formam materialem, & in intellectu per formam universalem. Et ideo universalia non cognoscimus, nisi per virtutem, in qua recipitur aliquid particulariter: sed Deus parricularia cognoscit, neque universaliter, neque particulariter ex parte cognoscentis: sed universaliter & particulariter ex parte rei cognitæ.

16. Arg. 2. solæ illæ virtutes sunt singularium cognosciti

cognoscitivæ, quæ recipiunt species non abstractas à materialibus conditionibus; sed intellectus divinus non est hujusmodi, nam res in eo sunt maximè abstractæ ab omni materia: ergo Deus singularia non cognoscit.

Conf. omnis cognitio est per aliquam similitudinem: sed similitudo singularium, inquantùm sunt singularia, non videtur esse in Deo: ergo Deus non potest singularia cognoscere. Prob. min. quia principium singularitatis est materia, quæ cum sit ens in potentia, est omnino dissimilis Deo, qui est actus purus. 17.

Resp. S. D. quod licet species intellectus divini secundùm esse suum non habeat conditiones materiales, sicut species receptæ in imaginatione, & sensu: habet tamen eas virtualiter, inquantùm virtute se extendit ad immaterialia, & materialia repræsentanda, ceu causa omnium quæ in ipsis sunt, ut explicat, dicens: *Quamvis in Deo non sit aliquid materiale, sed essentia ejus sit actus tantùm: tamen ille actus est causa omnium quæ sunt in re, & materialium, & formalium: quem actum imitatur quantùm potest omnis res, & quidquid in re est. Et ideò essentia divina est similitudo non tantùm formalium sed etiam materialium rei: & ideo per ipsum possunt cognosci singularia, etiam inquantum hujusmodi.* Vel dicito, quod licet species intellectus divini sit maximè abstracta à materia secundùm esse; non tamen secundùm repræsentationem. 18. 1. dist. 36. q. 1. art. 1. ad 3. Qu. 2. de verit. art. 5. ad 14.

Resp. ad conf. S. D. quod licet materia prima recedat à divina similitudine secundùm suam potentialitatem, sic enim est prope nihil, tamen secundùm quod habet hoc modo esse, divinam retinet similitudinem. Vide infra q. 15. art. 3. ad 3. 19. Loc. cit.

Qu. 2. de verit. art 5 ad 17. Pro majori intelligentia nota ex S. D. quod hoc modo aliquid cognoſcitur, ſecundùm quod eſt in cognoſcente repræſentatum, & non ſecundùm quod eſt in cognoſcente exiſtens. Similitudo enim in vi cognoſcitiva exiſtens non eſt principium cognitionis rei ſecundùm eſſe, quod habet in potentia cognoſcitiva, ſed ſecundùm relationem quam habet ad rem cognitam: & inde eſt, quod non per modum, quo ſimilitudo rei habet eſſe in cognoſcente, res cognoſcitur, ſed per modum quo ſimilitudo in intellectu exiſtens eſt repræſentativa rei. Et ideo quamvis ſimilitudo divini intellectus habeat eſſe immateriale, quia tamen eſt ſimilitudo materiæ, eſt principium cognoſcendi materialia, & ita ſingularia. Et quamvis materia Ibid. ad 12. & 13. ſecundùm ſe intellectui humano incognoſcibilis ſit, ab eo enim duntaxat per analogiam ad formam cognoſci poteſt: per ſuum namque eſſe non poteſt in intellectum creatum agere, cum ſit in ultimo gradu, imperfectum & deficiens: non tamen ſecundùm ſuum eſſe eſt divino intellectui incognoſcibilis, qui non accipit ſcientiam à rebus, per hoc quod res quodammodo in intellectum ipſius agant & imprimant ſui ſimilitudinem, ut contingit in nobis: ſed per ſuam eſſentiam tanquam ſpeciem intelligibilem, & cauſam omnium res omnes cognoſcit, ut dictum eſt.

ARTICV



ARTICVLVS XII.

Vtrum Deus poſſit cognoſcere infinita.

CAPVT PRIMVM.

Deum cognoſcere infinita, etiam per ſcientiam viſionis oſtenditur, & quomodo.

Divus Thomas ex D. Auguſt. *lib.12. de Civit. Dei cap.18.* refert, quoſdam antiquos infinitam divini intellectus vim anguſtâ humani ingenij capacitate metiri volentes, aſſeruiſſe quòd infinita cognoſcere nequeat, quemadmodum neque nos. Quapropter cum ex unâ parte Deum ſingularia noſſe affirmarent, & ex aliâ mundum æternum conſtituerent, ac ſubinde inferri videbatur infinita eſſe ſingularia ponenda, quæ Deus cognoſcebat, affirmare coacti ſunt, quòd eſſet eorumdem revolutio in diverſis ſæculis; eapropter non eſſe infinitam eorum multitudinem. Alij autem, ut refert idem S. D. *hîc cap.* ſecundùm veritatem, & fidem catholicam mundum non eſſe æternum conſtituentes, ſed in temporis initio conditum, dixerunt, quod Deus per ſcientiam viſionis, quæ eſt tantùm eorum, quæ ſunt, erunt, vel fuerunt, infinita non cognoſcat: nec enim generationes & motus in æternum manſura ſunt, ut individua in infinitum multiplicari poſſint. Ioannis etiam Vviclephi in hac parte fuit error (ut refert

1. Qu.2. de verit. art.9. c.

Vvaldensis tom.1. lib.1. cap. 14.) existimantis non esse infinitam multitudinem eorum, quæ Deus non fecit, & facere potest, sed eis aliquem certum terminum esse præfigendum: ex quo sequitur quod Deus infinita nõ cognoscat.

2. Prima conclusio: Deus infinita cognoscit. Prob. ex Psal.146. ubi dicitur: *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientia ejus non est numerus.* Si sapientiæ ejus non est numerus: ergo infinita est, ac subinde infinita cognoscit. Vnde August. lib.12.de Civit. c.18. *Absit*, inquit, *ut dubitemus, quòd ei notus sit omnis numerus, cujus intelligentia, sicut in psalmo canitur, non est numerus. Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus: non est tamen incomprehensibilis ei cujus intelligentia non est numerus. Quapropter si quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur, profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est. Quare si infinitas numerorum scientiæ Dei, qua comprehenditur, esse non potest infinita, qui tandem nos sumus homunculi, qui ejus scientiæ limitem figere præsumamus, dicentes, quod nisi eisdem circumitibus temporum eadem temporalia repetantur, non potest Deus cuncta, quæ fecit, vel præscire, ut faciat; vel scire ut faciat, cùm fecerit: cujus sapientia simpliciter multiplex, & uniformiter multiformis, tam incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit, ut quæcumque nova, & dissimilia consequantur præcedentibus, si semper facere vellet, inordinata & improvisa habere non posset: nec ea prævideret ex proximo tempore, sed æterna præscientia contineret.*

Prob.

Prob. Deus non ſolùm ea ſcit, quæ ſunt actu, erunt, vel fuerunt, ſed etiam quæ ſunt in potentia ſua & creaturæ, ſeu ſcit omnia quæ nata ſunt ejus bonitatem participare: ſed hæc ſunt infinita, cum etiam bonitas ejus ſit infinita: ergo infinita cognoſcit. 3. Hic, & q. 2. de verit. art. 9. c.

Secunda concluſio: Deus non ſolùm cognoſcit infinita actu per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſed etiam per ſcientiam viſionis. Probat S. D. quia omnia ea quæ futura ſunt, à Deo per ſcientiam viſionis cognoſcuntur, ſed infinita ſunt actu futura, ſcil. cogitationes, & affectiones cordium, quæ in infinitum multiplicabuntur, cum ipſæ creaturæ rationales ſint abſque fine permanſuræ: ergo Deus per ſcientiam viſionis infinita cognoſcit. 4.

Conf. quia nihil poteſt de novo divinæ cognitioni objici, aliàs ſcientia Dei eſſet variabilis, & augmentum ſuſcipiens; ſiquidem eorum notitiam compararet, quæ antea non cognoſcebat: ergo omnia, quæ Deus cognoſcit, ſimul cognoſcit: igitur cogitationes cordium, quæ habituræ ſunt eſſe per totam æternitatem ſucceſſivè in infinitum, ſunt modò à Deo cognitæ ſimul, antequam in propriis durationibus exiſtant. Cum igitur illæ ſint in potentiâ infinitæ per ordinem ad propriam durationem, in quâ ſunt ſucceſſivè, ſequitur quòd per ordinem ad æternitatem, in qua ſimul abſque ullâ ſucceſſione exiſtunt, ſint actu infinitæ. Vnde Eccleſiaſtici 42. dicitur: *Cognovit Dominus omnem ſcientiam, & inſpexit in ſignum ævi annuntians quæ præterierunt, & quæ ſuperventura ſunt, revelans veſtigia occultorum. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo omnis* 5.

sermo. Vbi Glossa : *Quia omnes aetates mundi praesentes sunt ei, apud quem nihil praeteritum, nihil futurum est. Ipse solus revelat mysteria qui scit singulorum corda, qui omnes cogitatus & sermones inspicit. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus.*

6. Qualiter autem hoc fieri possit explicat S.D. dicens : Sciendum est, quòd secundùm virtutem medij cognoscendi cognitio ad multa, vel pauca se extendit : sicut similitudo, quae recipitur in visu, est determinata secundùm particulares conditiones rei, unde est ductiva in cognitionem unius rei : sed similitudo rei accepta in intellectu est absoluta à particularibus conditionibus ; unde cum sic elevatur, est ductiva in plura. Et quia una forma universalis nata est ab infinitis singularibus participari, inde est quod intellectus noster quodammodo infinita cognoscit. Sed quia illa similitudo, quae est in intellectu, non ducit in cognitionem singularium quantùm ad ea, quibus singularia adinvicem distinguuntur, sed solùm quantùm ad naturam communem, inde est quod intelliguntur per speciem, quam habet apud se. Non ergo est cognoscitivus infinitorum nisi in potentia. Sed medium illud, quo Deus cognoscit, scil. essentia sua, est infinitorum similitudo, quae ipsam imitari possunt, nec tantùm quantùm ad id, quod commune est eis, sed etiam quantùm ad ea, quibus adinvicem distinguuntur, ut ex praecedentibus patet : unde divina scientia efficaciam habet ad cognoscendum infinita.

7. Quomodo autem actu infinita cognoscat,
Loc. cit. hoc modo considerandum est : Nihil enim prohibet infinitum esse aliquid uno modo, & alio modo

modo finitum ; ut ſi aliquod corpus eſſet quidem longitudine infinitum, ſed latitudine finitum. Et ſimiliter poteſt eſſe in formis, ut ſi aliquod corpus infinitum ponamus eſſe album, quantitas albedinis extenſiva, ſecundùm quam dicitur quanta per accidens , erit infinita : quantitas autem per ſe, ſcil. intenſiva nihilominus eſſet finita. Et ſimiliter eſt de quacunque aliâ formâ corporis infiniti : quia omnis forma recepta in aliqua materia finitur ad modum recipientis, & ita non habet intenſionem infinitam. Infinitum autem ſicut repugnat cognitioni, ita & repugnat tranſitioni; infinitum enim nec cognoſci, nec tranſiri poteſt : nihilominus tamen ſi aliquid moveatur ſuper infinitum, non per viam infinitatis ſuæ, tranſiri poterit ; ſic quod eſt infinitum longitudine, & latitudine finitum , pertranſiri poteſt latitudine, ſed non longitudine : ita etiam ſi aliquod infinitum cognoſcatur per viam, per quam eſt infinitum, nullo modo perfectè cognoſci poteſt: ſi autem cognoſcatur per viam finiti, ſic perfectè cognoſci poterit. Quia enim infiniti ratio congruit quantitati, ſecundùm Philoſ. *in* 1. *Phyſ. text.* 15. omnis autem quantitas de ſui ratione habet ordinem partium, ſequitur quod tunc infinitum per modum infiniti cognoſcitur, quando apprehenditur pars poſt partem. Vnde ſi ſic intellectus noſter debeat cognoſcere corpus album , nullo modo cognoſcere poterit ipſum perfectè , nec albedinem ejus : Si autem cognoſcat naturam albedinis, vel corporeitatis , quæ invenitur in corpore infinito, ſic cognoſcet infinitum perfectè quantùm ad omnes partes ejus, non tamen per viam infiniti.

Et ſic poſſibile eſt ut intellectus noſter quodammodo infinitum continuum perfectè cognoſcat, ſed infinita diſcretè nullo modo, eò quòd non poteſt per unam ſpeciem multa cognoſcere: & inde eſt quod ſi multa debet conſiderare, oportet quod unum poſt alterum cognoſcat. Vnde ſi cognoſceret infinitam multitudinem in actu, ſequeretur quod cognoſceret infinitum per viam infiniti, quod eſt impoſſibile. Sed divinus intellectus per unam ſpeciem cognoſcit omnia. Vnde ſimul & uno intuitu eſt ejus cognitio de omnibus, & ſic non cognoſcit multitudinem ſecundùm ordinem partium multitudinis, & ſic poteſt infinitam multitudinem cognoſcere, non per viam infiniti: ſi enim per viam infiniti cognoſceret, ut acciperet partem multitudinis poſt partem, nunquam veniret ad finem, unde non perfectè cognoſceret. Idcirco concedo ſimpliciter quòd Deus cognoſcit actu infinita abſolutè, nec ipſa infinita adæquantur intellectui ejus, ſicut ipſe à ſe cognitus ſuum intellectum adæquat: quia eſſentia in infinitis creatis eſt finita quaſi intenſivè, ſicut albedo in corpore infinito; eſſentia autem Dei eſt infinita omnibus modis: & ſecundùm hoc omnia infinita ſunt Deo finita, & ſunt comprehenſibilia ab ipſo. Hæc D.Thomas. Ex qua doctrina mirum in modum confirmatur ſententia aſſerens non poſſe totam poſſibilium collectionem extra verbum cognoſci, ab intellectu beato, quia hæc eſt infinita diſcretè. De qua ſupra *q.12. ad art.* 8.

7. Tertia concl. ſi ſumatur infinitum intenſivè, ad modum quantitatis continuæ, Deus non ſcit infinitum in actu. Prob. quia quantitas infinita

neque

neque est, neque esse potest: sed quod neque est, neque esse potest, sciri nequit, quia nihil scitur, nisi verum quod cum ente convertitur: ergo Deus non scit infinitum in actu intensivè ad modum quantitatis continuæ, nisi dicatur scire infinitum, in quantum scit seipsum, qui infinitus est. 1.dist.39. q.1.a.3.

Quarta conclus. Deus scit infinita in actu secundùm quantitatem discretam per scientiam simplicis intelligentiæ, loquendo de infinito simpliciter, & in omni genere: sed per scientiam visionis non scit infinita simpliciter, sed quantùm ad aliquid, scil. numerum. Patet ex dictis tum hic, tum supra q.12. ad art. 8. 9. Loc. cit.

CAPUT II.

Contraria argumenta dissolvuntur.

Arg.1. infinitum, quatenus infinitum est maximè ignotum, quia ut dicit Philosophus 3. *Physic. text.* 63. infinitum est, cujus quantitatem accipientibus, semper est aliquid extra assumere, unde ad finem ejus perveniri nequit, & subinde neque cognitionem: sed quod est secundum se maximè ignotum, cognosci nequit: ergo Deus actu infinita cognoscere non potest. 10.

Conf. quia ut dicit August. *lib.*12. *de Civit. Dei c.*18. quidquid scitur, scientis comprehensione finitur: sed infinitum, secundùm quod infinitum, finiri non potest: ergo infinitum à Deo sciri non potest. 11.

Si dicatur, quòd ea, quæ in se sunt infinita, 12.

ſcientiæ Dei finita ſunt: Contra, ratio infiniti eſt, quod ſit impertranſibile; & finiti quod ſit pertranſibile, ut dicitur *in 3. Phyſ. text.34.* ſed infinitum tranſiri non poteſt, nec à finito, nec ab infinito, ut probatur *in 6. Phyſ. à textu 60. uſque 66.* ergo infinitum nequit eſſe finitum finito, neque etiam infinito: igitur infinita non ſunt finita ſcientiæ Dei, eſto infinita ſit.

13. 1. diſt. 39. q. 1. art. 36. arg. Conf. quidquid prædicatur de aliquo abſolutè & ſecundùm ſe, cuicumque comparetur, conveniet ſibi: ſed eſſe infinitum eſt prædicatum abſolutum: ergo id quod eſt in ſe infinitum, reſpectu nullius poteſt dici finitum.

14. Hic, & q. 2. de verit. art. 9. ad 8. Reſp. S. D. quod infinitum per viam infiniti eſt maximè ignotum, & ſecundùm hanc rationem perfectè cognoſci non poteſt: quia quamcumque partem quantitatis ejus acceperis cujuſcunque menſuræ, ſemper erit aliquid accipere de ipſo. Sed ſi fiat ſermo de infinito per modum finiti, ſcil. non numerando partem poſt partem, ſed accipiendo omnes partes ſimul, tunc non eſt ignotum: Deus autem non cognoſcit infinitum per viam infiniti, ut ſcil. tranſeat de parte in partem, ſed accipiendo omnes partes ſimul, & per viam finiti.

15. Hic ad 2. & q. 2. de verit. a. 9. ad 1. Reſp. ad conf. quòd ſecundùm hoc, quidquid ſcitur, ſcientis comprehenſione finiri dicitur, quod intellectum ſcientis non excedit, ut aliquid ejus ſit extra intellectum ſcientis, ſic enim ad intellectum ſcientis per modum finiti ſe habet: nec eſt inconveniens hoc accidere infinito, quod non per viam infiniti ſcitur. Vnde optima eſt ſolutio ibi allata, nimirum quod ſint ſcientiæ Dei finita. Ad replicam reſp. S.D. quod cùm tranſitio quandam ſucceſſionem in

partibus

partibus importet, nullatenus dici potest, quod infinitum transiri possit neque à finito, neque ab infinito. Sed ad rationem comprehensionis sufficit adæquatio, quia id comprehendi dicitur, cujus nihil est extra comprehendentem. Vnde non est contra rationem infiniti, quod ab infinito comprehendatur. Quapropter id quod est in se infinitum potest dici finitum scientiæ Dei, tanquam comprehensum, non tamen tanquam pertransibile. Et hoc insinuat Augustinus supracitatus dicens: *Si quidquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur, profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est.* Ex quibus ad conf. patet, dicimus enim, illud quod est in se infinitum nullatenus dici finitum, quia pertransibile sit, sed quia alterius cognitioni commensuratum, & eam non excedens.

Arg. 2. Scientia Dei est mensura scitorum: sed contra rationem infiniti est quòd sit mensuratum: ergo infinita à Deo sciri nequeunt. Conf. nihil aliud est mensuratio quam certificatio de mensurati quantitate: ergo si Deus infinitum sciret, quantitatem ejus cognosceret, quod est impossibile: cùm determinatam quantitatem non habeat. 16. Arg. 2. & q. 2. de verit art. 9. arg 9. & 10.

Resp. S. D. quod unum esse mensuram alterius dupliciter intelligi potest. Primò, quod sit mensura quantitatis ejus, & hoc pacto esse mensuratum est contra rationem infiniti. Secundò quod sit mensura essentiæ & veritatis: & hoc modo scientia Dei est mensura omnium rerum. In tantum enim unumquodque de veritate suæ naturæ habet, inquantum Dei scientiam 17. Loc. cit.

tiam imitatur: quemadmodum artificiata intantum sunt perfecta, inquantum arti concordant & conformia sunt. Scientia autem Dei se habet ut ars respectu artificiatorum, unde est mensura essentiæ & veritatis omnium rerum. Neque hoc implicat, quia dato, quòd sint aliqua infinita actu secundùm numerum, puta infiniti homines, vel secundùm quantitatem continuam, ut infinitus aër, tamen est manifestum quod eorum esse finitum sit ac determinatum, ad aliquam determinatam speciem & naturam: unde mensurabilia erunt per Dei scientiam, & cognitionem.

18. Resp. ad conf. mensurationis rationem in
Qu. cit. de verit. ad 10. hoc consistere, quod fiat certitudo de quantitate alicujus determinatâ: sic autem Deus infinitum non cognoscit, ut aliquam ejus determinatam quantitatem sciat, quia illam non habet: sed quia nihil ejus extra cognitionem divinam est. Vnde rationi infiniti non repugnat quòd à Deo sciatur.


19. Arg. 3. contra 2. nam D.Thom.in 1. dist.39. q.1.art.3. quod Deus infinita sciat per scientiam simplicis intelligentiæ, non autem per scientiam visionis. Idem docet in 3. dist. 14. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd Deus infinita non scit per visionis scientiam.* Idem repetit ibid. quæstiunc. 4. ad 2. & lib. 1. cont. gent. c. 69. *Sciendum est*, ait, *quod Deus infinita non cognoscit scientia visionis, ut verbis aliorum utar; quia infinita non sunt actu, nec fuerunt, nec erunt: quum generatio ex neutra parte sit infinita, secundùm fidem catholicam: scit tamen infinita scientia simplicis intelligentiæ, prout scit etiam quæ non sunt; scit enim Deus infinita, quæ nec sunt,*

ſunt, nec erunt, nec fuerunt, quæ tamen ſunt in potentia creaturæ.

Conf. quod non eſt, non ſcitur ſcientiâ viſionis : ſed res infinitæ actu non ſunt : ergo per ſcientiam viſionis à Deo ſciri nequeunt. 20.

Reſp. ad arg. in Tabula aurea dub.477. quod ſcientia viſionis Dei eſt de omnibus rebus; quæ aliquando ſunt, ideo accipiendo omnia entia, tam de genere ſubſtantiæ, quam de generibus accidentium, de quibus conſtat, quod erunt infinita, propter infinitas cogitationes, affectiones, & loquutiones, quæ multiplicabuntur in infinitum in beatis, & in damnatis in perpetuum duraturis, etiam remotâ æternitate generationis ante & poſt, ideò ſcientiâ viſionis Deus infinita ſcire dicitur. Si verò accipiantur entia completa, & ſubſiſtentia, ſcil. ſuppoſita, patet quod ſint finita, ſi generatio incepit, nec ſemper durare debeat, ut fide tenetur. Et hoc pacto intelligendus eſt D.Thom. in præallegatis locis aſſerens, quòd Deus infinita per ſcientiam viſionis non cognoſcat. Ita illum explicat Ferrara *dicto lib. 1. cont. gent. cap.69.* Reſp. ad Conf. quòd licet hujuſmodi res non ſint ſimul actu infinitæ in propriâ naturâ, ſunt tamen actu ſimul in Dei ſcientiâ & præſentialitate, ratione cujus dicitur per ſcientiam viſionis infinita ſcire. 21.

ARTICV



ARTICVLVS XIII.

Vtrum scientia Dei sit futurorum contingentium.

I.
1.p.q.83. art. 3. opusc. cap.140. lib. 6. ethic. lect. 2.



CONTINGENTIA futura dupliciter considerari possunt: primò secundùm rationes eorum universales; quo pacto necessitatem quandam sortiuntur, seu in eis aliquid necessitatis reperitur. Cujus ratio est, quia ratio universalis penes abstractionem formæ à materia sumitur, quæ est individuationis principium; sicuti contingens rationem materiæ potentialitatis ad esse consequitur, quia contingens est quod potest esse & non esse: sed ea quæ formam consequuntur ex necessitate insunt: contingentium igitur rationes universales necessarias esse oportet. & hoc modo certum est, non solùm à Deo, sed etiam ab intellectu creato certò atque scientificè cognosci. Secundò usurpantur in particulari, & prout contingentia sunt, & de ipsis hoc modo acceptis impræsentiarum est sermo. Vnde S. D. q. 2. de verit. art.12.dubium istud sub his verbis proponit: *Vtrum Deus singularia futura contingentia cognoscat.* Circa hunc articulum plura scitu dignissima disputanda occurrunt, quæ sequentibus capitibus explicabuntur.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quid sit futurum, quidve contingens, & quotuplex.

§. I.

Quibusdam adnotatis deciditur quæstio.

Sciendum est, necessarium & contingens esse quasdam reales entis differentias inter se pugnantes. Eapropter sicut necessarium dicitur, quod est immutabiliter determinatum ad unum, seu quod aliter se habere non potest; ita è converso illud contingens nuncupatur, quod nō est immobiliter, seu immutabiliter determinatum ad unū, sed potest esse & non esse, ut dicitur 6. *Metaphys.* Ea propter contingens cum possibili coincidit, prout ipsum possibile necessario contradictoriè opponitur. Dupliciter autem intelligi potest, rem posse esse & non esse; Primò per ordinem ad absolutam & extraordinariam Dei potentiam: quâ ratione omnes creaturæ, etiam incorruptibiles, ut Angeli, & corpora cœlestia possunt esse & non esse, seu contingunt esse. Alio modo per ordinem ad suas causas proximas, & solitum naturæ cursum rebus ipsis à Deo præfixum, & præstitutum. Cùm dicitur, contingens se habere ad utrumlibet, seu posse esse & non esse, hoc secundo modo intelligitur. 2. 1.p.q.115. q.2. de verit. art. 12. q.22.a.6. 6. Metaph. lect. 8.

Sciendum est secundo contingens dupliciter considerari posse: primò in ratione entis, quo 3.

pacto

pacto dicitur contingens omne id,quod quantùm est ex propria natura & ab intrinseco,deficere potest, habetque principium intrinsecum non essendi. Et hæc contingentia est rebus essentialis: nam invariabiliter rebus competit, itaut in quocunque statu res contingens ponatur, sit semper contingens. Secundo modo sumi potest in ratione causæ & effectus: & tunc dicitur contingens illa causa, quæ vel ex se indeterminata est, & ad utrumlibet se habet, ut causa libera: vel esto ad unum determinata sit, tamen immobiliter non agit, sed impediri potest ab extrinseco, seu ab alia causa. Effectus verò dicitur contingens,qui ab hujusmodi causa procedit, quæ impediri potest; vel ex se indeterminata est, & ad utrumlibet se habens. Primo modo arboris floritio dicitur contingens; quia esto causa illius sit ad unum determinata, tamen impediri potest ab aliquo extrinseco,ne talem producat effectum, puta gelu, grandine,&c. Secundo modo effectus liberi à voluntate creata procedentes dicuntur contingentes.

4. Itaque licet per ordinem ad causam proximam operantem ex necessitate naturæ nullus effectus ab intrinseco, seu per intrinsecam ejusmodi causæ virtutem contingens esse possit, quia illa ex natura sua est ad unum determinata; nihilominus tamen contingens esse potest ex defectu, aut imperfectione hujusmodi causæ, quæ impediri potest ex concursu vel oppositione alterius causæ, ut in exemplo allato de floritione arboris manifestè patet.Quamvis enim hujusmodi causa, videlicet planta, necessariò floreat, seu floritionem agat, impotens

tens nihilominus est ad resistendum omni contrariæ causæ sibi ocurrenti; vel ad vincendam, atque superandam omnem vim aut resistentiam, quæ sibi ab alia causa inferri potest: ac proinde ex hoc capite contingere potest, ut non eveniat effectus, qui alioquin eveniret. Quapropter hujusmodi effectus dicitur contingens, non ex virtute, sed potiùs ex defectu virtutis suæ causæ, quæ impedibilis est. Et hoc modo in effectibus causarum naturalium sensibilium ac corruptibilium Philosophi contingentiam admittunt. Vnde possunt ejusmodi effectus dici contingentes potiùs extrinsecè, seu ab extrinseco, quam intrinsecè & per propriam ipsius causæ virtutem, quæ sit suapte naturâ indifferens, seu indeterminata, & ad utrumlibet se habens.

Effectus contingens tripliciter dicitur: alius est contingens ut in pluribus; alius ut in paucioribus; alius ad utrumlibet, hoc est ad utramque contradictionis partem æqualiter se habens. Et hic tertius magis propriè contingens dicitur: nam qui contingit, ut in pluribus, ad necessarium accedit: qui ut in paucioribus accidit, vix ab impossibili elongatur. Effectus iste contingens sic explicatus dupliciter considerari potest; primò in seipso, quatenus jam est actu extra suas causas, & hoc modò non est futurus, sed jam præsens; nec consideratur ut indeterminatus ad utramque partem, sed ut determinationem habens actualem ad unum, quæ tamen determinatio simpliciter ab eo contingentiam non aufert. Secundò ut est in suis causis, & nondum in actu existens in propriâ naturâ; & hac ratione consideratur 5.

ut

ut futurum, & ad utrumlibet se habens absque determinatione ad alteram contradictionis partem. Hanc triplicem contingentiam insinuat S. D. q.16. de malo art.7. ubi ait: *In causis suis sunt aliqua futura tripliciter. Uno modo secundùm potentiam tantùm: quia scil. æqualiter possunt esse vel non esse, quæ dicuntur contingentia ad utrumlibet. Quædam verò sunt in causis, non solùm secundùm potentiam, sed secundùm rationem causæ activæ, quæ non potest impediri à suo effectu, & hæc dicuntur ex necessitate contingere. Quædam verò sunt in causis & secundùm potentiam, & secundùm causam activam, quæ potest impediri à suo effectu, & ista dicuntur contingere ut in pluribus.* Idem docet q.12.de verit. art.12.c.

6. Quantùm ad naturam ipsius futuri, sive futuritionis spectat, eam non eodem modo explicant Authores. Duæ sunt principaliores de hac re sententiæ. Prima docet futuritionem nil aliud esse, quam tendentiam quandam, seu habitudinem, quam res prout in causâ, habet ad seipsam, ut erit in suo tempore præsens; cujus tendentiæ & habitudinis fundamentum est ipsa res possibilis, prout est intra causam; terminus verò est ipsa rei existentia, prout suo tempore extra causas ponenda. Ita S. Suarez *prologem. 2. de gratia* cap.7. n.7. & 25. & alij Recentiores. Secunda sententia asserit, futuritionem consistere in determinatione causarum ad rem extra causas pro aliqua duratione ponendam. Ita communiter Thomistæ,& alij, quos citat & sequitur Illustrisſ.Godoy *hîc tract.*4. *disp.*33. §.1. *n.*4.

7. Concl. Rem esse futuram de formali dicit præparationem & determinationem causarum ad

ad illius productionem. Vnde Futurum dicitur, *Quod est determinatum in causa ad habendum existentiam pro duratione sequenti.* Ita sumitur ex D. Th. q. 2. de verit. art. 12. ad 7. ubi ait: *Cùm dicitur, hoc est futurum, vel fuit futurum, designatur ordo, qui est in causis illius rei, ad productionem ejus. Quamvis autem causæ, quæ sunt ordinatæ ad aliquem effectum, possint impediri, quod non sequatur effectus, tamen non potest impediri, quin fuerint aliquando ad hoc ordinata.* Idem insinuat q. 12. de verit. art. 10. in c. & solut. ad 7. ubi ait: *Dicendum, quòd aliquid potest dici esse futurum, non solùm ex hoc, quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in causis suis, ut sic sit futurum; sic enim medicus dicit; iste sanabitur, & iste morietur; & si aliter contingat non falsum dixit, sic enim tunc futurum erat ex ordine causarum, quod tamen possibile est impediri, & tunc, quod prius futurum fuerat, consequenter non erit futurum. Vnde Philos. dicit in* 2. de Generat. *quòd futurus quis incedere, non incedet.*

8. Ratio est: quia res considerari potest ut habens esse in se, sive in propriâ naturâ, & ut in causâ suâ; sed ut habet esse in se, sive in propriâ naturâ, jam futura non est, sed præsens & existens, sive sistens in se; superest ergo ut futura esse dicatur, quatenus in causa sua habet esse; sed in causâ aliquid continetur, ut determinatâ ad unum, vel indeterminatâ ad essendum, vel non essendum pro aliquo tempore: igitur cùm futurum non contineatur in causis secundùm se indeterminatis, & prout importatur mera non repugnantia ad esse (hoc enim est proprium ipsius merè seu purè possibilis, quod ita nuncupatur, quia non repugnat esse) 1. p. q. 14. art. 13. & in 1. dist. 35.

supereſt ut dicatur futurum, prout in cauſâ determinatum eſt ad habendum eſſe pro tempore aliquo, ſeu duratione ſequenti.

9. Nec valet dicere, rem non eſſe, aut denominari futuram ex determinatione cauſæ, ſed ex habitudine ad exiſtentiam pro aliquo tempore habendam. Non, inquam, valet: quia ſicut ipſa res futura non eſt actu, nec habet eſſe, niſi in cauſa; ita in eâ ſecundùm ſe conſideratâ non eſt aliquid hujuſmodi intrinſecè competens, ſed totum hoc extrinſecè à cauſâ efficiente habet: oportet igitur cauſam illam, in qua eſſe habet, determinatam eſſe, alioquin nulla certa habitudo ad exiſtentiam pro aliquo tempore habendam admitti poterit in ipſa re, quæ futura denominatur.

10. Conf. Rem eſſe futuram eſt aliquid reale: ſed hæc realitas deſumi nequit ab intrinſecâ formâ rei quæ futura eſt: ergo debet deſumi à realitate cauſæ prout determinata eſt ad illius productionem, vel ordinata ad dandam illi exiſtentiam pro aliquâ duratione: nam tali præparatione & ordinatione ablatâ res manet in ſtatu puræ poſſibilitatis, & omnino indeterminata ad eſſe & non eſſe pro aliqua duratione ſequenti.

§. II.

Quædam evaſiones precluduntur.

11. Variè huic rationi conantur obviare oppoſitæ ſententiæ Authores. Quidam, ut P. Vaſquez *hic diſp.* 65. *c.*4. *n.*21. docent rem eſſe futuram non eſſe aliquid reale præſens, ſed eſſe quid futurum. Vnde non eſt neceſſarium quòd ſit

sit præsens forma à qua res ipsa futura, seu in ratione futuræ constituatur. Sed in contrarium obstat imprimis D. Thom. quæst. 12. de verit. art. 10. ad 2. ubi ait: *Dicendum quòd omnis prophetia divinam præscientiam habet quasi radicem; sed cùm in divina præscientia sit cognitio ordinis, & eventus, quædam prophetia derivatur ex una parte, quædam ex alia. Præscientia verò Dei secundùm hoc propriè præscientiæ nomen habet, quòd ad eventum respicit, qui futurus est; ordo enim ad eventum est in præsenti; unde de eo magis est scientia, quam præscientia; & sic illa prophetia, quæ ordinem respicit, non dicitur secundùm præscientiam; sed solùm illa, quæ est secundùm eventum.* Ex quibus sic: si rem esse futuram non esset aliquid reale præsens, nempe actualis ordo & dispositio causarum ad effectum, sed quid futurum duntaxat, omnis prophetia esset secundùm præscientiam tantùm: sed hoc est contra communem Theologorum sententiam, quæ ex D. Hieronymo desumpta est, distinguente prophetiam, in prophetiam prædestinationis, præscientiæ, & comminationis: ergo rem esse futuram non est aliquid duntaxat reale futurum, sed præsens. Sequela prob. Præscientia propriè dicitur, quia ad eventum respicit qui futurus est: ergo si rem esse futuram nil aliud dicit nisi futurum eventum, qui est aliquid reale futurum, omnis prophetia erit præscientiæ.

Conf. prophetia comminationis non respicit rem, quæ reipsa futura sit, ut patet de Prophetia subversionis Ninive, de qua Ionæ 3. c. *Et cœpit*, ait, *Ionas introire in civitatem itinere diei unius, & clamavit & dixit; Adhuc quadra-* 12. D. Th. loc. cit.

ginta dies, & Ninive subvertetur : Quod tamen reipsâ non evenit, quia egerunt pœnitentiam, *& vidit Deus* , inquit, *opera eorum , quia conversi sunt de via sua mala , & misertus est Deus super malitiam , quam locutus fuerat , ut faceret eis , & non fecit :* ergo illa prophetia solùm respicit actualem ordinem & dispositionem causarum , secundùm quam res futura est ; quia videlicet nihil aliud prophetæ revelatur, nisi quod secundùm ea quæ nunc sunt, talis ad hoc vel illud est ordinatus : ergo rem futuram esse cõsistit in tali ordine,& determinatione actuali causarum, & non in aliquo reali futuro. *Quandoque* (ait S. D.) *à divina præscientia derivatur prophetia ratione ordinis causarum ; quandoque verò ratione executionis vel impletionis illius ordinis. Cùm ergo sit prophetica revelatio solummodo de ordine causarum , dicitur prophetia comminationis : tunc enim nihil aliud Propheta revelatur, nisi quòd secundùm ea , quæ nunc sunt , talis ad hoc , vel illud est ordinatus. Impletio verò ordinis causarum fit dupliciter. Quandoque quidem ex sola operatione divinæ virtutis , ut suscitatio Lazari & conceptio Christi, & hujusmodi , & secundùm hoc est prophetia prædestinationis... Quædam verò explentur operatione causarum aliarum, sive naturalium , sive voluntariarum : & hæc inquantum per alias causas complentur,non sunt prædestinata , sunt tamen præscita. Vnde horum dicitur esse prophetia secundùm præscientiam.* Itaque prophetia comminationis non respicit exitum , seu impletionem ordinis , sed solùm ordinem causarum ; sed tamen versatur circa futurum : ergo esse futurum non consistit nisi in ordine & dispositione actuali causarum ad eventum futurum,

futurum, & non in ipso exitu eventus, illiusque impletione, aut in aliquo reali futuro.

Conf.2. cum prædicitur aliquid secundùm prophetiam comminationis, multoties absolutè annunciatur, ut patet in prophetia Esaïæ, cum propheticè ad Regem Ezechiam dixit: *Dispone domui tuæ, quia morieris & non vives:* ibi enim mors futura absque ullâ conditione prædicebatur: sed non annunciatur absolutè futurum, quia ita in re eveniet, neque enim mors illa evenit: ergo ita annunciatur absolutè futurum, quia ita est ordinatum actu in causis ut fiat: ergo rem esse futuram consistit in actuali ordinatione, & determinatione causarum ad productionem rei. Ita S. D. *Dicendum*, ait, *quòd si prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directè respicit, sic est absque omni conditione. Absolutè enim est ita ordinatum esse in causis, ut hoc contingat: Si autem referatur ad eventum, quem respicit indirectè, sic intelligenda est sub conditione causæ &c.* Et ad 10. *Dicendum*, inquit, *quòd prophetia illa* (nimirum Isaïæ) *fuit secundùm comminationem. Et quamvis non esset conditio explicitè proposita, est tamen illa denunciatio* (scil. morte morieris) *sub implicita conditione intelligenda, scil. tali ordine rerum remanente.* En quomodo posito ordine atque dispositione causarum, & eo remanente, ponitur, & remanet res futura, & eo ablato futura non est: ergo in tali ordine actuali consistit, & non in aliquo reali futuro. Adde quod secundùm sensum literalem intellecta illa prophetia erat vera: sed ex eo quod res est vel non est, enunciatio dicitur vera, vel falsa: ergo cum mors illa non esset nisi secundum ordinem causarum

13.

Qu. 12. de verit. art. 10. ad 8.

certò futura, & non secundùm eventum rei, secundùm ordinem causarum debet attendi veritas illius prophetiæ, & subinde futuritio illa.

14. Rejicitur secundo prædicta solutio: etsi res futura non sit in propriâ naturâ existens, & physicè præsens futuritionis tempore, tamen futuritio illius pro tunc est præsens: sed est aliquid reale cùm denominet realiter & actu rem futuram: ergo rem esse futuram non est aliquid reale futurum, sed actu præsens, nimirum actualis ordo causarum, etiam futuritionis tempore. Maj. prob. tum quia absolutè dicitur hoc est futurum, ubi ly *est*, non notat solam veritatem enunciationis, sed esse ipsius futuritionis, seu modum quendam quo res esse habet actu in causa, ut suo tempore in propria natura existat. Tum etiam, quia eo ipso quod futuritio sit aliquid reale, debet ei pro aliquo tempore existentia suo modo actu convenire: sed non pro eo tempore, quo res est actu præsens, & in propria natura existens, quia tunc jam futuritio non est, sed præteriit: ergo futuritionis tempore debet esse actu præsens, & existens, non quidem ratione sui, sed in ipso nunc quod est substantia temporis. Videnda sunt quæ diximus tomo 3. clypei Philos. q.14. art. 2.

15. Respondent alij cum P. Suarez *ubi supra* illud reale, à quo res denominatur realiter futura, esse habitudinem quandam, quam res, prout est in causâ, habet ad existentiam, ut futuram determinato tempore, ad quam habitudinem status rei in causa, non ut formâ, sed ut fundamentum, & veluti subjectum comparatur, & ut terminus existentia in determinato tempore habenda.

habenda. Sed contra primò quia, ut diximus, futurum quod respicitur à prophetia comminationis non dicit habitudinem ad existentiam futuram suo tempore absolutè, quia nunquam erit: ergo solùm dicit ordinem ad illam stante ordine, & dispositione causarum: ergo ordo & dispositio causarum ad futurum eventum constituit rei futuritionem, & non hujusmodi habitudo. Secundò quia res nequit essentialiter constitui per habitudinem ad illud quod indirectè se habet: sed quod rei futuræ existentia ponatur, vel non ponatur in re, indirectè ad rationem futuri se habet, quia esto non ponatur, remanet formaliter futurum, ut ex S. D. dictum est: ergo nequit futurum per se essentialiter per ejusmodi habitudinem constitui.

Tertiò, quia ista habitudo est actu aliquid reale ipso futuritionis rei tempore: sed non est quid reale intrinsecum rei futuræ in se consideratæ, quia tunc actu nihil est: ergo solùm est aliquid reale, quatenus contentum in causâ, ut præparatâ actu, & dispositâ, seu ordinatâ ad rei productionem, & eventum: quia quidquid habet esse actu quodammodo, vel illud habet esse in propriâ naturâ, vel in causâ ut determinatâ, & ordinatâ actu ad illud esse, per quam determinationem effectus è statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis actualis transit. 16.

Resp. P. Suarez *ubi supra num.* 25. istum ordinem, neque esse determinationem causæ ad dandam existentiam, quia hæc determinatio effectuum contingentiam tollit; nec esse rem aliquam actu existentem, cùm supponatur res futura, in esse tantùm possibili; sed esse quan- 17.

dam habitudinem rei, prout est in causa, ad seipsam in propria natura, sive prout erit suo tempore præsens, qui ordo secundùm mentis nostræ compositionem est quid rationis : in mente autem Dei est objectiva præsentia, quam illud esse habet in æternitate, ratione cujus veritas illa per modum præsentis cognoscitur, etsi in ordine ad nos denominetur futura secudùm varias temporis differentias.

18. Contra hanc solutionem, quantùm ad id, quod de objectiva futurorum præsentia in mente Dei inculcat, fusè impugnabitur infra *cap.5.* & modò breviter rejicitur : Non solùm cognoscit intellectus divinus futura ut præsentia respectivè ad tempus, in quo exercitè existunt, sed etiam cognoscit illa pro tempore antevertente propriam durationem, ut verè futura nobis, & sibi præsentia : sed hæc futura ut sic cognita non solùm habent esse objectivum in intellectu : ergo extra illum habet verum esse & reale in causis determinatis ad ipsorum productionem. Maj. est D.Thom. q.3. de verit. art.3.ad 1.de Sed contra : *Apud Deum*, inquit, *non currunt tempora, neque decurrunt, quia ipse sua æternitate, quæ est tota simul totum tempus includit, & sic eodem modo cognoscit præsentia, præterita & futura. Et hoc est quod dicitur Eccles.22. Domino Deo nostro nota sunt omnia antequam crearentur ; sic & post perfectum cognoscit omnia.* Min. verò prob. tum quia, si futuritio solùm haberet esse objectivè in intellectu Dei, aliter eam cognosceret, cùm est præsens & existens, & aliter antequam existat, subindéque illius cognitio mutaretur, ut infra probabimus. Tum etiam quia esset ens rationis confictum à Deo, cùm

cùm ens rationis illud ſit, quod tantùm habet eſſe objectivè in intellectu; unde & Deus formaret entia rationis. Quinimmo tempus, quod eſt verum ens reale, componeretur ex aliquo rationis & objectivo, cùm futurum ſit pars & differentia ipſius temporis.

Reſpondent alij, habitudinem illam eſſe aliquid reale,non quidem realitate exiſtentiæ, ſed realitate eſſentiæ, quæ rebus convenit ratione ſui, & non per denominationem à præparatione, & determinatione cauſarum. Sed contra primò, quia ejuſmodi realitas etiam merè poſſibilibus competit, quæ tamen à futuris diſtinguuntur. Quòd ſi dixeris, purè poſſibilia dicere equidem ordinem ad exiſtentiam, ſed indeterminatè, & non ut determinato tempore habendam, per quod à futuris diſtinguuntur: Contra eſt, quòd futurum dicat ordinem ad exiſtentiam pro determinato tempore habendam non habet ex ſe: ergo habet ex determinatione cauſæ. Antec. prob. tum quia ſi haberet ex ſe determinationem ad exiſtentiam pro determinato tempore habendam, non poſſet non tali tempore illam habere, quia quod per ſe convenit, neceſſariò convenit, & aliter ſe habere non poteſt: ſed contingit aliquid eſſe futurum, & tamen quòd determinato tempore non habeat exiſtentiam, ut futura mors Ezechiæ, quemadmodum dictum eſt ſupra: ergo id non habet ex ſe. Tum etiam quia futurum in ſe nihil eſt: ergo neque in ſe determinationem illam habere poteſt: ergo habet illam in cauſa ſua, quia ab alio habere non poteſt. 19.

Ex his facilè confutatur opinio aſſerentium, futuritionem nil aliud eſſe, quam negationem illius 20.

illius durationis, in quâ propria existentia erit, vel ipsum tempus præsens, ut antevertens propriam rei durationem. Etenim ab eo aliquid constituitur in ratione futuri, à quo statu possibilitatis extrahitur, & transit ad statum, quo ordinatur ad existentiam pro aliquo tempore habendam: sed neque à tempore præsenti, neque à negatione propriæ durationis sic determinatur: ergo à determinatione causarum, & præparatione atque dispositione earum ad tribuendam illi existentiam. Maj. patet, quia futurum dicitur, quod dicit habitudinem ad existentiam pro aliquo tempore habendam,& merè possibile quod talem habitudinem non dicit, sed purè dicit posse esse: ergo per illud constituitur aliquid in ratione futuri, à quo de statu possibilitatis extrahitur, & determinatur ad existentiam pro aliquo tempore habendam. Min. verò prob. tum quia tempus præsens opponitur futuro, sicut & negatio enti: sed nihil determinatur aut constituitur à suo opposito: ergo non determinatur res ad habendam existentiam pro aliquo tempore à tempore præsenti, vel negatione durationis. Tum etiam quia negatio fundatur in aliqua affirmatione: ergo negatio illa propriæ durationis præsupponit aliquid positivum spectans ad futuri constitutionem. Tandem, quia tam tempus præsens, quam negatio propriæ durationis similiter verificantur de re purè possibili, verum est namque dicere, quod alius mundus possibilis est modò, & modò caret propriâ duratione: ergo, &c.

21. Ex his sequitur, quòd cùm inter omnes causas efficientes sola prima causa sit simpliciter deter

determinata, infallibilis atque immutabilis, per habitudinem ad illam aliquid simpliciter & absolutè futurum dicitur, ut infra ostendemus. Per habitudinem verò ad causas secundas, quæ suapte natura sunt fallibiles, ac mutabiles, non constituitur aliquid simpliciter & absolutè futurum sed secundùm quid. Quapropter per habitudinem ad istas absolutè & simpliciter dici nequit, quòd hoc erit, ut notavit D.Th. dicens: *Deus pronuntiat aliquid futurum secundùm quòd continetur in ordine causarum inferiorum, putà secundùm dispositionem naturæ vel meritorum, quod tamen non fit; sicut cùm Isaïas prædixit Ezechiæ, dispone domui tuæ, quia morieris & non vives, ut habetur Isaïæ 28. cap. Neque tamen ita evenit, quia ab æterno fuit in scientia & voluntate Dei, quæ necessaria, & immutabilis est.* Inter causas autem efficientes secundas, cùm sint aliquæ naturaliter ac necessariò operantes, & aliæ contingentes ad utrumlibet se habentes, per ordinem ad illas dicitur aliquid absolutè & simpliciter in tali genere futurum; per ordinem autem ad istas aliquid dicitur futurum secundùm quid, & cum addito, videlicet futurum contingens, ut sumitur ex D.Thom. 1. dist.18.q.1.art.5. & infra q.19.

Sequitur secundo quòd licet futurum, inquantum futurum est, in causis suis nonnullam determinationem habere debeat, tamen ut contingens est, ad utrumlibet se habet. Aliunde enim sumitur futuritio, & aliunde contingentia. Nam futuritio sumitur per ordinem ad causam efficientem, tùm proximam, cùm primam. Per ordinem quidem ad proximam, quatenus est agens per formam secundùm quam habet determi- 22.

determinationem quandam, ac præparationem ad agendum talem, vel talem effectum, secundùm quem actu est, qui tamen secundùm se impedibilis est, licet per ordinem ad causam primam, & prout subjacet illius divinæ scientiæ & voluntati impediri non possit. Contingentia verò sumitur à potentialitate, cui causa secunda necessariò admixta est, cùm non sit suum esse, & actus purus.

§ III.

Solvuntur argumenta.

23. ARg. 1. causam esse ordinatam & præparatam ad rei productionem per modum actus primi idem est atqui rem habere esse in causa determinata: sed rem habere esse in suâ causâ, hoc aut illo modo determinatâ, non est idem atqui illam esse futuram: ergo denominatio futuritionis non provenit formaliter à causâ ut ordinatâ, præparatâ, ac dispositâ ad ipsius rei productionem. Min. Prob. 1. nam habere esse in causâ non est futurum sed præsens: ergo non est idem habere esse in causa ut præparata & disposita, atqui esse futurum. Prob. 2. quia aliàs posset Angelus cognoscere futura, quantùm ipsa cognoscibilia sunt; cùm possit comprehendere ipsum esse quod habent in causis; quod omnino falsum est. Prob. 3. quia aliàs non posset Deus certò cognoscere futura contingentia quoad eventum futurum, quod absurdum & falsum est: etenim solùm cognosceret, quòd habent esse in causâ, ut indifferenti ad utrumlibet, vel ad summum ut magis inclinatâ ad unam, quam ad aliam partem, ex

quo nullatenus sequitur infallibiliter eventus futurus.

Conf. 1. Si rem esse futuram consisteret in præparatione & ordinatione causarum ad illius productionem, sequeretur posse aliquid in tempore fieri, quod antecedenter non fuisset futurum, & posse aliquid esse futurum, quod tamen nunquam foret præsens: sed consequens est falsum & absurdum: ergo futurum constitui nequit per hoc, quod est habere esse in causa determinatâ & dispositâ ad illius productionem. Sequela prob. quoad 1. partem: nam posset aliquid in tempore fieri, ad quod non præcederet in causâ determinatio & inclinatio ad unam partem magis quam ad aliam, sed omnimoda indifferentia, ut patet in actu libero nostræ voluntatis, quæ æqualiter se habet ad utrumlibet: ergo si futuritio consistit in præparatione, & inclinatione causarum ad rei productionem, poterit dari aliquid, quod sit præsens, & toto tempore præcedenti non fuerit futurum. Quoad 2. part. etiam prob. nam contingere potest, causam esse inclinatam ad aliquid, & tamen quod in re non ponatur, sed ejus oppositum, ut in causis contingentibus & liberis multoties contingit: ergo si in inclinatione & determinatione causarum ad rei productionem rerum futuritio consistit, contingere poterit, quod res futura nunquam præsens existat. 24.

Conf. 2. non est idem rem esse possibilem atqui habere esse in causâ, ut potente producere illam; aliàs rerum possibilitas esset denominatio quædam extrinseca à potentia activa proveniens, cujus contrarium asserit D. Thom. eò quod 25.

1. p. q. 25. art. 3. & q. 1. de pot. art.

quod ex tali positione circulus vitiosus pullularet: ergo pariter non est idem rem esse futuram, & habere esse in causâ præparatâ & dispositâ ad illius productionem.

26. Conf. 3. Istæ duæ propositiones, *Res habet esse in causa preparata & disposita*, & *Res est futura*, non sunt Synonimæ: ergo in significatis illorum est aliqua diversitas; & subinde non est omnino idem, rem habere esse in causa præparata atqui illam esse futuram.

27. Resp. ad arg. neg. min. Ad 1. prob. dist. antec. habere esse in causa non est futurum sed præsens, præsentialitate rei in se, seu in propriâ naturâ, nego antec. præsentialitate ordinis ad eventum rei in se, concedo antec. & nego conseq. Sumitur ex D. Thom. quæst. 12. de verit. art. 10. ad 2. ubi ait: *Prescientia Dei secundùm hoc propriè prescientiæ nomen habet, quòd ad eventum respicit, qui futurus est; Ordo enim ad eventum est in presenti. Vnde de eo magis est scientia quam prescientia; & sic illa prophetia, quæ ordinem respicit, non dicitur secundùm prescientiam, sed solùm illa, quæ est secundum eventum.*

28. Ad 2. prob. resp. ex S.D. quòd Angeli cognitione naturali illa tantùm per formas innatas futura præscire possunt, quæ in causis naturalibus sunt determinata, vel in una tantùm causa, vel in collectione plurium: quia aliquid est contingens respectu causæ unius, quod respectu concursus plurium causarum est necessarium; Angeli autem omnes causas naturales cognoscunt. Vnde quædam, quæ contingentia videntur, aliquibus eorum causis pensatis, Angeli ut necessaria cognoscunt, dum omnes causas ipsorum cognoscunt. Cætera autem contingentia,

q. 12. de verit. art. 13. c.

tingentia, quæ ad utrumlibet sunt, nonnisi conjecturaliter præscire possunt, quia cognitione naturali certò non attingunt collectionem omnium causarum, à quibus determinationem sortiuntur. Sed de his infra q.57.

Ad 3. prob. resp. ex S. D. quod omnes effectus futuri, qualescunque sint eorum causæ proximæ, tamen in causa prima omnes sunt determinati, quæ sua præsentia omnia intuetur, atque sua providentia omnibus modum imponit, & ratione hujus certò à Deo sciri & cognosci possunt, ut latiùs infra dicetur. 29. Loc. cit. & in hoc art.c.

Resp. ad 1. conf. neg. sequelam, ad cujus primæ partis prob. dist. antec. potest aliquid in tempore existere, ad quod non præcedat in causa inclinatio ad unam partem magis quam ad aliam, considerata ipsa causa absolutè, concedo: considerata causa ut subest præscientiæ & ordinationi Dei decernentis quod hoc futurum sit, nego antec. & conseq. Patet hoc in sanitate restituta Regi Ezechiæ, ad quam non erat inclinatio & dispositio in causis proximis absolutè consideratis, immo secundùm dispositionem hujusmodi causarum è vita excedere debebat; tamen secundum dispositionem causæ primæ, erat futura, & in causis proximis ut stantibus sub præscientia, & ordinatione Dei erat dispositio ad salutis restitutionem; ut sumitur ex D. Thom. 2.2.q.171. art.6. ad 2. & 3. Similiter ad prob. 2. part. resp. 1. concesso antec. dist. conseq. contingere poterit, quòd res futura nunquam existat, in se, seu in propria natura, concedo: quantum ad ordinem, & determinationem ipsius causæ ad productionem illius rei dispositæ & ordinatæ, nego conseq. 30.

Ita S. D. ſupra cit. ex q.2. de verit.art.12. ad 7. Reſp.2. Si cauſa ſit adæquatè inclinata, id eſt, tam ſecundùm ſe, quam ſecundùm ordinationem cauſæ primæ, nego antec. ſi ſit inclinata inadæquatè & quoad diſpoſitionem cauſarum ſecundarum duntaxat, concedo antec. Et diſt. conſeq. ſi ſit res futura ſimpliciter, & per ordinem ad diſpoſitionem, non modò cauſarum ſecundarum, ſed etiam primæ, nego conſeq. ſi ſit futura ſecundùm quid, inadæquatè, & per ordinem ad cauſam ſecundam duntaxat, concedo conſeq. Sumitur ex D.Thom. q.12.de verit. art.10.ad 12. ubi ait: *Cauſæ ſuperiores, quæ ſunt rerum rationes in divina præſcientia, nunquam deficiunt ab impletione ſuorum effectuum, ſicut deficiunt cauſæ inferiores: & ideo in cauſis ſuperioribus cognoſcuntur rerum eventus abſolutè, ſed in inferioribus nonniſi ſub conditione*, videlicet, quod aliter non ſit ordinatum à cauſa ſuperiori.

31 Reſp. ad 2. conf. diſt. antec. non eſt idem, rem eſſe poſſibilem poſſibilitate intrinſeca, & habere eſſe in cauſa, concedo; poſſibilitate extrinſeca, & per potentiam in alio, nego antec. & conſeq. nam rem eſſe futuram non reſpicit rem in proprio eſſe, & in propria natura habentem eſſe, quia ut ſic jam non eſt futura, ſed præſens, ſicut poſſibile reſpicit rem in ſe, ut dicit connexionem prædicatorum eſſentialium, ſeu intrinſecam non repugnantiam. Et ſubinde debet futurum dici tale per ordinem ad cauſam, non quomodocunque, ſed ut quodammodo eſt determinata ad rei productionem.

32. Reſp. ad 2. conf.conceſſo antec. diſt.conſeq.

in

in significatis illorum est aliqua diversitas rei in se consideratæ, nego: diversitas rationis, & intellectuum, concedo; sicut inter definitionem & definitum nō datur aliqua diversitas ex parte rei conceptæ, quia dicuntur adinvicem ad convertentiam, datur tamen diversitas intellectuum, quia unum se habet ut ratio alterius. videnda sunt quæ ex D. Th. 2. Poster. lect. 5. diximus tomo 1. Clypei philos. p.p.q.5. art.2.

Arg.2. In hac propositione, *Antichristus est futurus*, nulla realitas de præsenti enunciatur, 33. sed sola existentia illius pro determinato tempore habenda: ergo futuritio non est aliquid præsens, & consequenter consistere nequit in præparatione & inclinatione causarum ad rei productionem. Antec. prob.1. ex D. August. lib. 11. Confess. cap. 20. *Sed fortasse*, inquit, *propriè diceretur, tempora sunt tria, præsens de præteritis, præsens de præsentibus, præsens de futuris; sunt enim hæc in anima tria:* ergo rem esse futuram nihil reale est de præsenti, nec in seipsâ, nec intra causam, aliàs haberet esse alibi quam in anima, quod est contra S. D. Prob.2. In hac propositione, *Adam est præteritus*, nihil de præsenti enunciatur, sed solùm negatio existentiæ, quam aliquando habuit: ergo pariter in hac propositione, *Antichristus est futurus*, nihil positivum reale de præsenti enunciatur, sed sola negatio existentiæ pro nunc, quam pro determinato tempore habiturus est. Prob.3. nam præsens, præteritum, & futurum sunt differentiæ temporis: ergo si esse futurum aliquam formam realem de præsenti importat, illa debet esse tempus modo præsens: sed ab hoc nihil potest futurum constitui, sed tantum-

modo præsens : ergo rem esse futuram nullam realitatem positivam importat futuritionis tempore de facto existentem.

34. Conf. istæ duæ propositiones eundem sensum reddunt, idemque significare videntur, *Antichristus erit aliquando existens*, & *Antichristus est futurus*: sed in illa, *Antichristus erit aliquando existens*, nulla positiva realitas de præsenti enunciatur : ergo neque in ista, *Antichristus est futurus*. Maj. prob. tum quia in ordine ad tempus præteritum idem est dicere, *Adam est præteritus*, ac dicere, *Adam habuit aliquando existentiam* : ergo pariter in ordine ad tempus futurum idem erit dicere, *Antichristus erit aliquando existens*, atqui dicere, *Antichristus est futurus*. Tum etiam quia participium de futuro ampliat subjectum ad illud, quod est vel erit; sicut participium de præterito ad illud quod est vel fuit : ergo sicut ob dictam ampliationem participium de præterito nullam realitatem tempore præsenti existentem enuntiat de subjecto, ita pariter ob dictam ampliationem participium de futuro nullam realitatem de facto existentem poterit importare.

35. Resp. ad arg. Illustriss. Godoy hîc disp. 33. §. 4. neg. antec. Ad cujus 1. prob. ait, D. Augustinum loqui de re ipsa futura, quæ quoad suam entitatem nullibi est, nisi in mente per expectationem, non autem negat futuritionem talis rei esse præsentem futuritionis ipsius tempore. Ad 2. respondet neg. conseq. Ratio discriminis est, quia existentia præterita, cùm jam fuerit in seipsa determinata, & extra causas producta, potest per seipsam absque aliquo reali positivo ab illa distincto de facto existenti

constituere aliquid determinatum in ratione præteriti, & idcirco enuntians de aliquo rationem præteriti nihil positivum & reale de præsenti enuntiat, sed solam existentiam quæ fuit : existentia autem, quæ futura dicitur, cùm nec in se determinata sit, nec aliquando fuerit, nequit ante se in tempore præsenti determinationem præstare ; sed si aliqua determinatio futuritionis datur, debet à causarum determinatione præsenti provenire.

Quod si objeceris : determinatio existentiæ, quæ fuit cum negatione præsentiæ pro nunc, dat pro isto nunc determinationem ad esse præteriti : ergo determinatio existentiæ quæ erit, cum negatione præsentiæ pro nunc dabit per seipsum determinationem ad esse futuri. Resp. neg. conseq. ratio discriminis est, quia actualitas existentiæ est prior denominatione præteriti, idcirco potest, licet non existat, istam denominationem & determinationem præstare : actualitas autem existentiæ, & illius determinatio pro futuro tempore habenda est posterior tempore præsenti, pro quo aliquid dicitur futurum, & ipsâ futuritione, atque adeo nequit ante se talem denominationem, & determinationem præstare ratione sui, sed solùm prout in causis contenta, & ratione determinationis causarum ad ejus productionem. 36.

Ad 3. prob. respondet dist. antec. Præsens, præteritum & futurum sunt differentiæ temporum, quoad id quod in recto importatur, neg. antec. quoad id quod importatur in obliquo, transeat antec. & dist. conseq. eodem modo. Itaque in hac propositione, Antichristus est futurus, futuritio, quæ in determinatione cau- 37.

ſarum conſiſtit, in recto importatur, tempus autem ipſum futurum de connotato: & in hac, Petrus extra cauſas exiſtit, Petri exiſtentia in recto importatur, de connotato verò tempus præſens ut menſurans ejuſmodi exiſtentiam.

38. Ad Conf. reſp. neg. maj. ad prob. 1. neg. anteced. quia diſpar ratio eſt de propoſitionibus in præterito, & in futuro, ut ſupra dictum eſt. Ad 2. autem prob. ait, non ſequi, quod non poſſit participium de futuro ampliare ſubjectum ad illud, quod eſt, vel erit, ſi importet entitatem præſentem; quia, cùm talis entitas extrinſeca ſit entitati futuræ, poteſt illam denominare de facto, etiam ſi non exiſtat; cùm res non exiſtens capax ſit denominationis extrinſecæ, ut patet in denominationibus politi & intellecti, quæ reales ſunt, & rebus non exiſtentibus competunt.

39. Reſp. 2. ad arg. neg. antec. nam ut ex S. D. diximus importatur ordo, & diſpoſitio cauſarum ad exiſtentiam pro aliquo tempore habendam. Ad 1. prob. reſp. ex D. Thom. 4. Phyſ. lect. 23. *Quod ſicut motus non habet eſſe fixum in rebus, nec aliquid actu invenitur in rebus de motu niſi quoddam indiviſibile motus, quod eſt motus diviſio: ſed totalitas motus accipitur per conſiderationem animæ comparantis priorem diſpoſitionem mobilis ad poſteriorem, ſic & tempus non habet eſſe extra animam niſi ſecundùm ſuum eſſe indiviſibile. Ipſa tamen totalitas temporis accipitur per ordinationem animæ numerantis prius & poſterius in motu. Et ideo ſignanter dicit Philoſophus, quod tempus non exiſtente anima eſt utcunque ens.* Dicimus itaque quod D. Auguſtinus non loquitur de tempore ſecundum ſuum

eſſe,

eſſe, ſic enim eſt verum ens reale, ſed ſecundum deprehenſionem animæ numerantis prius & poſterius in motu, ſecundùm quam numerationem totalitas ipſius temporis accipitur: quo pacto in anima habet eſſe. Videnda ſunt quæ diximus tomo 3. clypei Philoſ. q. 14. art. 1. & 2.

Ad 2. prob. reſp. neg. antec. enunciatur enim 40.
eſſe præteritum, quod licet ſecundùm eſſe actu non ſit aliquid reale, eſt tamen ſecundùm ſubſtantiam ipſius nunc, ratione cujus habet tempus eſſe actu. Cujus rei gratiâ notandum eſt, quod ipſum nunc eſt quoddam indiviſibile, non quidem permanens ſeu ſtans, ſicut indiviſibilia in magnitudine ſunt permanentia; ſed eſt indiviſibile fluens, unde vocatur inſtans, quaſi non ſtans: quod autem fluit, cùm ſit hîc & ibi, priùs & poſterius, neceſſariò habet diverſum eſſe; ſicut ubi fluens in motu locali eſt diverſum ſecundùm eſſe, licet ſecundùm ſubſtantiam ſit unum; in qualibet enim mutatione acquirit ipſum ubi diſtinctum eſſe, aliàs motu locali non mutaret locum, ſeu non acquireret novum locum, quia ad acquiſitionem novi loci novum ubi acquiritur. Id autem quod eſt motus unum eſt. Hinc eſt quod ipſum inſtans, ſeu ipſum nunc in re non eſt terminus actu, eò quod non eſt interruptio temporis ſecundùm ſuam naturam; ſed ſolùm eſt actu terminus per intellectum, vel ſecundùm comparationem ad motum aliquem terminatum. Ipſum ergo nunc ſubſtantia temporis dicitur, quia eſt id quod eſt tempus; præteritum autem & futurum non ſunt id quod eſt tempus, ſed partes ejus. Vnde ſicut in toto permanenti ip-

ſuum ſuppoſitum in re actu primò & per ſe eſt, ſeu exiſtit, partes verò mediante ipſo: ita in tempore id quod eſt, ſeu exiſtit primò & per ſe, eſt ipſum nunc fluens ſeu inſtans; præteritum verò & futurum nonniſi ratione ipſius nunc, in quo ſecundùm ſubſtantiam remanet idem tempus, licet non ſecundum eſſe, ut *ibid.* oſtendimus. Vnde etiam cum dicitur, Antichriſtus eſt futurus enunciatur eſſe futurum, quod prout eſt differentia temporis eſt quid reale, & ut eſt ipſa res, eſt aliquid in cauſa ut actu ordinata & diſpoſita ad rei productionem.

41. Ad 3. prob. reſp. ex dictis conceſſo antecedenti, diſt. conſeq. debet eſſe tempus præſens, ſecundùm ſuum eſſe ſumptum, nego conſeq. ſecundùm ſubſtantiam ipſius nunc fluentis, & continuantis præteritum cum futuro, concedo conſeq. Sub hac enim ratione eſt quid diviſibile virtualiter, & hoc pacto reddet partes temporis exiſtentes, non actu puro & ſimul, ſed ſucceſſivè, & quaſi in fieri. Eapropter temporis ipſius partes ſunt aliquid reale non ſimpliciter & completè, ſed incompletè & in fieri, quia tempus eſt ens reale ſucceſſivum cui competit exiſtentia, non in actu completo & perfecto ſeu puro, ſed actu incompleto, & immixto potentialitati, ut *ibidem* explicuimus.

42. Ad ultimam prob. reſp. ut ſupra negando conſequentiam. Ad 1. prob. negando anteced. Nam cum dicitur Antichriſtus eſt futurus, importatur in cauſa ordo per ſe, & diſpoſitio ad rei productionem, quæ impediri poteſt, & ſic non importatur per ſe quod aliquando erit, ſed ex conſequenti, & ſecundariò. Ad 2. prob. ſimiliter dico per ſe primò non eſſe idem dicere,

cere, *Adam est præteritus*, & *Adam habuit aliquando existentiam*, sed indirectè, & consequenter. Nam verbum de præterito, cujusmodi est, *habuit*, ampliat terminum antecedentem ad illud quod est vel fuit ; v. g. *Album fuit nigrum*, sensum hunc reddit : Album quod est, vel fuit, fuit nigrum, non pro eodem tempore determinato, sed pro eodem vel alio. Vnde *Adam habuit aliquando existentiam*, reddit hunc sensum : Adam, qui est, vel fuit, habuit aliquando existentiam. Vnde per se non idem significat quod illa, Adam est præteritus, quia quod præteriit, jam non est.

CAPVT II.

Ostenditur Deum futura contingentia absoluta cognoscere.

Circa futurorum cognitionem duo præcipui errores exorti sũt apud antiquos. Quidam de divina scientia judicare volentes adinstar nostræ dixerunt, futura contingentia prorsus Deum latere, quippe quia nullum determinatum esse habeant, ac subinde neque veritatem ac certitudinem, quâ Dei scientiæ subesse valeant. Qui error tribuitur Ciceroni à D. Augustino lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. ubi ait : *Hos* (scil. Stoïcos, & Mathematicos constituentes fatalem quandam necessitatem in astris, & eorum constitutione) *Cicero ita redarguere conatur, ut non existimet aliquid se adversus eos valere, nisi auferat divinationem. Quam sic conatur auferre ut neget esse scientiam futurorum, eam-* I. Qu. 2. de verit. art. 12.

quæ omnibus viribus nullam esse omnino contendat, vel in Deo, vel in homine, nullamque rerum prædictionem... Hoc autem totum facere videtur, ne fatum esse consentiat, & perdat liberam voluntatem. Putat enim, concessâ scientiâ futurorum, ita esse consequens fatum, ut negari omnino non possit. Ita docuit lib.2. de divinatione. Hunc errorem esse dementiâ plenũ asserit S.D. ibidem dicens: *Multò sunt autẽ tolerabiliores, qui vel siderea fata constituunt, quam iste qui tollit præscientiam futurorum. Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est. Quod & ipse cùm videret, etiam illud tentavit asserere quod scriptum est, Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus: sed non ex persona sua. Vidit enim, quam esset invidiosum & molestum; ideoque Cottam fecit disputantem de hac re adversùm Stoïcos in libris de Deorum naturâ, & pro Lucilio Balbo, cui Stoïcorum partes defendendas dedit, maluit ferre sententiam, quam pro Cotta, qui nullam naturam divinam esse contendit.*

2. Alij è converso dixerunt, Deum equidem
Ibid. omnium futurorum scientiam habere: sed nescientes cum infallibilitate divinæ præscientiæ libertatem arbitrij, & rerum contingentiam componere, omnia ex necessitate agi & evenire dixerunt: ne ipsi Deo futurorum scientiam, quæ divinitatis nota insignis est, adimerent.

3. Concl. Deus futura omnia etiam contingentia & libera certò cognoscit, nec tamen à rebus contingentiam, aut libertatem arbitrij tollit. Prob. S.D. ex illo Psal.32. *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum,* scil. hominum: sed opera hominum sunt contingentia, utpote libero arbitrio subdita: ergo scit

scit futura contingentia. Hæc veritas innumeris aliis sacræ Scripturæ locis confirmari potest. Quorum unum, vel alterum in re tam manifesta adducere sufficiat. Dicitur Ecclesi.23. *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Et cap.42. *Cognovit Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt, & quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum.* Vbi glossa: Cognovit enim &c. *Quia omnes ætates mundi præsentes sunt ei, apud quem nihil præteritum, nihil futurum est.* Et cap. 39. *Opera,* inquit, *omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.* Vbi glossa: *Præsentia Dei antecedit omnia, & quidquid fit temporaliter, & sine tempore præsens est. Nihil ergo novum, neque mirabile in conspectu ejus.* Et Isaiæ cap. 42. *Nova quoque annuncio* (ait Dominus) *antequam oriantur.* Et c.41. ut divinitatis signaculum ac characterem, futurorum præscientiam exhibet: *Annunciate, inquit, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.*

Hanc eandem veritatem tradunt omnes Patres: Præcipuè D. August. lib.5. de Civit. Dei c.8. ubi ait: *Quoquo modo se habeant tortuosissimæ illæ concertationes & disputationes Philosophorum, nos ut confitemur summum ac verum Deum, ita voluntatem, summamque potestatem, ac præscientiam ejus confitemur:* (Est autem præscientia futurorum scientia.) *Nec timemus, ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus: quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.* D. etiam Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diac. c. 33. *Firmissimè tene,* ait, *& nullate* 4.

nullatenus dubites, Deo incommutabili, non solùm præterita & præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur: Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant. Et non modò ipsi Patres hanc catholicam veritatem amplexi sunt, sed etiam esse ac fuisse receptissimam apud omnes ferè nationes docet ingens illa veneratio, quâ omnes gentes à Deo, quem colebant, futurorum eventuum præsagia quærebant. Hinc Tertullianus lib.2. cont. Marcionem dixit, præscientiam Dei tot habere testes, quot Prophetæ fuerunt. Omnes etiam Philosophi, uno vel altero dempto idem asseruerunt: præsertim verò Seneca lib. de provid. & Plutarchus lib. de Sapientia Ægyptiorum. Sed de his ampliùs infra quæst. 22.

5. Art. 8. hujus quæst. Probat S. D. sic: Deus cognoscit omnia, non solùm quæ sunt actu; sed etiam quæ sunt in potentia sua, vel creaturæ: sed quædam ex his sunt contingentia nobis futura: ergo Deus futura contingentia cognoscit. Quod autem cum certitudine ea cognoscat ostendit supponendo, aliquod contingens dupliciter considerari posse: Vno modo in seipso, secundùm quod jam actu est, & sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens: neque ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum: quo pacto subditur infallibiliter cognitioni certæ, utpote sensui visus; sicut cum video Sortem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa. Et sic consideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum: quia causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non

non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde qui cognoscit effectum contingentem in causa sua tantùm, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem.

Ex quibus sic : contingens certitudini cognitionis non repugnat, nisi secundùm quod futurum est, non autem secundùm quod præsens est : sed divini intellectus intuitus ab æterno fertur in unumquodque eorum, quæ temporis cursu peraguntur, prout præsens est : relinquitur ergo nihil prohibere, quin de contingentibus ab æterno Deus scientiam infallibilem habeat. Maj. patet, nam contingens, ut futurum est, potest non esse : & sic cognitio æstimantis ipsum futurum esse falli potest : falletur enim si non erit, quod futurum esse æstimavit : ex quo autem præsens est pro illo tempore, non potest non esse, esto in futurum possit non esse: sed hoc jam minimè spectat ad contingens prout præsens est, sed prout futurum est : ergo omnis cognitio, quæ circa contingens fertur, prout præsens est, certa esse potest. Min. infra demonstrabitur. 6. Hîc, & lib. 1. contra gent. c. 67. q. 2. de verit. art. 12.

Notanda est elegans doctrina, quam S. D. tradit dicens : *Sciendum est, quòd in nobis sunt quædam potentiæ & habitus cognoscitivi, in quibus nunquam falsitas esse potest, sicut sensus, & scientia, & intellectus principiorum: quidam verò, in quibus potest esse falsitas, sicut imaginatio, & opinio, & æstimatio. Ex hoc autem falsitas accidit in aliqua cognitione, quod non est ita in re sicut apprehenditur. Vnde si aliqua vis cognoscitiva est talis, quòd numquam in ea sit falsitas; oportet quod suum cognoscibile numquam deficiat ab eo, quod de ipso cognoscens apprehendit. Necessarium autem* 7. Qu. 2. de verit. art. 12. c.

autem non potest apprehendi, quin sit, antequam fiat, eò quod causæ ejus sunt immutabiliter ordinatæ ad ejus productionem. Vnde per hujusmodi habitus, qui semper sunt veri, possunt necessaria cognosci, etiam quando sunt futura; sicut cognoscimus futuram eclypsim, vel motum Solis per scientiam; sed contingens impediri potest, antequam sit in esse productum, quia tunc non est nisi in causis suis, quibus potest accidere impedimentum, ne perveniant ad effectum; sed postea quam jam contingens in esse productum est, jam non potest impediri; & ideo de contingenti, secundùm quod est in præsenti, potest esse judicium illius potentiæ vel habitus, in quo numquam falsitas invenitur; sicut sensus judicat Socratem sedere, quando sedet. Ex quo patet contingens, ut futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit. Vnde cùm divinæ scientiæ non subsit falsitas, nec subesse possit, impossibile esset, quòd de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, ut futura sunt. Tunc autem aliquid cognoscitur, ut futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis & rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum: hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam & quamcumque rem contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcumque est sicut ordo præsentis ad præsens... Sicut ergo noster visus non fallitur unquam videns contingentia, ut sunt præsentia; & tamen ex hoc non removet, quin illa contingenter eveniant, ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, sive quæ nobis sunt præsentia, sive quæ præterita, sive quæ futura; quia sibi non sunt futura, sed ea inspicit esse tunc quando sunt; unde ex hoc non removetur quin contingenter eveniant.

Difficultas

Difficultas autem in hoc accidit eò quòd divinam cognitionem significare non possumus, nisi per modum nostræ cognitionis consignificando differentias (temporis) *Si enim significaretur, ut est Dei scientia, magis deberet dici, quòd Deus scit hoc esse, quam quòd sciat futurum; quia sibi numquam sunt futura, sed semper præsentia. Vnde etiam, ut Boëtius dicit lib. 5. de Consolat. Prosa ult. ejus cognitio de futuris magis propriè dicitur providentia, quam prævidentia; quia ea porro quasi longè positus in æternitatis speculo intuetur, quamvis etiam prævidentia dici possit propter ordinem ejus, quod ab eo scitur, ad alia quibus futurum est.*

CAPVT III.

Solvitur primum argumentum in contrarium à D. Thom. adductum, & ostenditur unde in rebus contingentia proveniat.

ARguitur 1. A causa necessaria procedit effectus necessarius: sed scientia Dei, quæ est causa scitorum ab eo, est causa necessaria: ergo scientia Dei non est de futuris contingentibus. 8.

Resp. S. D. quod licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus Solis, qui est causa prima, sit necessarius. Et similiter scita à Deo sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima 9. Hic, & q. 25. art. 3. ad 4. 1. cont. gent. cap. 67.

prima, sit necessaria. Cujus rationem reddit in 1. dist. 38. art. 5. in c. dicens: *Quandocunque sunt causæ multæ ordinatæ, effectus ultimus non sequitur causam primam in necessitate & contingentiâ, sed causam proximam, quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda.* Sed contra hanc solutionem militare videtur id, quod ipsemet S. D. docet infra q. 19. art. 8. & quodl. 11. art. 3. c. ubi rerum contingentiam in Deum ceu primam causam reducere videtur. Ea propter ut in hac perdifficili materiâ doctrina S. D. & veritas plenè elucescat oportet rem pleniùs elucidare.

10. Lib. 3. cont. gent. cap. 86. Contingens in totâ suâ latitudine sumptum idem est quòd possibile. Dupliciter autem accipitur possibile; quoddam enim est, quod ad necessarium sequitur; nam quod necesse est esse, possibile est esse: alias esset non possibile esse, & subinde impossibile esse. Aliud est possibile, quod necessario contradictoriè opponitur. Ad rationem possibilis, seu contingentis primo modo sufficit, ut effectus quandoque sit in potentiâ, & quandoque in actu. Vnde quicunque effectus, qui in potentia alicujus causæ naturalis & necessariæ continetur, potest hoc pacto dici possibilis, seu contingens, esto absolutè & simpliciter sit necessarius. Ad rationem autem possibilis seu contingentis secundo modo sumpti requiritur, quod in sua ratione includat hoc quod est posse esse, & non esse, ut docet D. Thom. dicens: *Possibile esse sequitur ad necesse esse. Hoc autem possibile non est necessarium defendere, quia non contra hoc effectus ex necessitate causari dicuntur, sed contra possibile, quod opponitur necessario, prout dicitur possibile, quod potest*

Loc. cit. ex 3. cont. gent. cap. 86.

potest esse & non esse. Non autem dicitur aliquid per hunc modum possibile, & contingens ex hoc solùm quòd quandoque sit in potentia, & quandoque in actu... nam sic etiam in motibus cœlestibus est possibile & contingens, non enim semper est conjunctio, vel oppositio Solis, aut Lunæ in actu, sed quandoque quidem in actu, quandoque autem in potentia, quæ tamen necessaria sunt, cùm de his dentur demonstrationes. Sed possibile vel contingens, quod opponitur necessario, hoc in sua ratione habet, quod non sit necesse illud fieri, quando non est: Quod quidem est, quia non de necessitate sequitur ex causa sua; sicut cùm dicimus Sortem esse sessurum, esse contingens; ipsum autem esse moriturum, esse necessarium: quia secundum horum ex causa sua de necessitate sequitur, non autem primum. Contingens hîc sumitur propriè, & prout opponitur necessario: qui quidem modus contingentiæ potissimùm in effectibus liberis invenitur, & de hoc explicandum venit, unde primam radicem hauriat.

Dicendum est, radicem primam, causamque primam libertatis & contingentiæ nullo modo posse esse aliquam causam secundam, sed causam primam; quamvis effectus sint & dicantur contingentes propter secundas causas contingentes, sicut propter causam formalem & proximam talis contingentiæ. Prima pars sumitur ex D. Thom. q.cit.19.p.p. art.8. c.ubi ait: *Cùm igitur voluntas Dei sit efficacissima non solùm sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult; vult autem Deus quædam fieri necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo* 11.

quibusdam

quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit. Et quodlib. 11. art. 3. c. ita habet: *Quod autem voluntas divina certitudinem habeat, & tamen necessitatem non imponat, sic patet. Voluntas enim Dei est efficax, & perfecta causa omnium rerum; quia omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Cujus perfectio & efficacia apparet ex hoc, quòd non solùm movet & causat res, sed etiam dat eis talem modum causandi, inquantum cuilibet rei determinatum modum contulit, quo suos effectus produceret. Unde quia ipse voluit quædam esse in universo necessaria, & quædam contingentia, constituit quasdam causas, quibus contulit ut contingenter causarent; & quasdam quibus contulit, ut necessariò causarent effectus. Unde voluit istum effectum non solùm esse, sed etiam illo modo esse, scil. vel contingenter, vel necessariò, sicut quod voluit Petrum non solùm currere, sed etiam contingenter currere: & similiter voluit istum hominem salvare, sed eo modo, ut arbitrij libertatem non perderet.*

12. Loc. cit. ex 1. p. q. 19. art. 8. c.

Prob. ex eodem S. D. Quando effectus alicujus causæ primæ est contingens propter causam secundam, impeditur effectus causæ primæ per defectum causæ secundæ; sed nullus defectus causæ secundæ impedire potest, quin voluntas Dei effectum suum producat: ergo effectus divinæ voluntatis non est contingens propter

propter causam secundam, sicut propter primam radicem. Maj. prob. à D.Thom. exemplo adhibito de virtute Solis respectu effectus plantæ; constat enim quod virtus germinativa aliquando impeditur per secundam causam, ne videlicet germen producat, & floreat; & sic effectus, quem virtus Solis in una planta producit, in alia impeditur: quod ideo evenit, quia virtus Solis est causa equidem necessaria, non autem est prima radix illius effectus contingentis, nec contingentia illa habetur ex virtute Solis, sed habetur ex secunda causa, quæ suâ contingentiâ impedit, ne effectus iste contingens producatur.

Conf. ex eodem S.D. quia si distinctio contingentium à necessariis referatur solum in causas secundas, contingentia præter intentionem divinam evenient, quod enim non subditur causalitati Dei agentis, non subditur ejus intentioni, cum sit agens per intellectum; sed hoc est inconveniens: ergo contingentia ad Deum sicut ad primam contingentiæ radicem est referenda. Ibid. & infra q. 116. art. 1.

Dicendum est 2. quod licet rerum contingentia, seu libertas in effectibus contingentibus, & liberis inventa, in divinum intellectum practicum, seu in divinam providentiam reducatur, & ab illa proveniat, non tamen divinus intellectus, vel divina providentia, ut ratione distinguitur à voluntate, est prima radix & prima causa hujusmodi contingentiæ & libertatis, sed illa prima radix est efficacia divinæ voluntatis. Prima pars nimirum quod rerum contingentia, etiam in divinum intellectum practicum, seu divinam providentiam reducenda sit, sumitur ex D. Thom. infra q. 22. art. 4. 13.

in c. & ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod effectus divinæ providentiæ non solùm est aliquid evenire quocunque modo, sed aliquid evenire, vel contingenter, vel necessariò. Et ideo evenit infallibiliter & necessariò, quod divina providentia disponit evenire infallibiliter & necessariò, & evenit contingenter, quod divinæ providentiæ ratio habet ut contingenter eveniat*: igitur rerum contingentia secundùm expressam D. Thom. sententiam in divinam providentiam reducitur, quæ ad intellectum practicum spectat.

14. Prob. nihil subterfugit, aut subterfugere potest divinæ providentiæ ordinem, sed omnia illi subduntur: ergo nullum ens, nullusque modus, aut conditio entis in rebus inveniri potest, quod divinæ providentiæ non subdatur, & ab ea causetur; sed rerum contingentia & libertas est modus entis: ergo divinæ subest providentiæ & ab ea causatur.

Infra q. 22. & q. 5. de verit.

15. Secunda verò pars concl. traditur expressè ab eodem D. Thom. variis in locis, ubi semper hoc reducit ad efficaciam divinæ voluntatis. *Voluntas Dei* (inquit, opusc. 2. cap. 140.) *cùm sit universalis rerum causa, non solùm est de hoc quod aliquid fiat, sed ut sic fiat. Hoc igitur ad efficaciam divinæ voluntatis pertinet, ut non solùm fiat quod Deus vult, sed ut hoc modo fiat, quo illud fieri vult. Vult autem quædam fieri necessariò, & quædam contingenter, quia utrumque requiritur ad completum esse Universi. Ut igitur utroque modo res provenirent, quibusdam adaptavit necessarias causas, quibusdam contingentes, ut sic, dum quædam fiunt necessariò, quædam contingenter, divina voluntas impleatur.* Hæc autem adaptatio, seu præparatio causarum contingentium

Infra q. 19. art. 8. qu. 22. art 4. lib. 3. cont. gent. c. 94. & alib.

gentium ad suos proportionatos effectus contingentes fit per divinam providentiam, & illius est proprium opus: ergo secundùm D.Th. ideo effectus plures sunt contingentes, quia producuntur à causis proximis contingentibus: ideo producuntur à causis proximis contingentibus, quia tales causæ ad illos effectus contingentes à divina providentia præparantur; ideo sic præparantur à divina providentia, quia ita vult divina voluntas. Et ibi sistendum est sicut in omnium primo; & subinde prima radix contingentiæ est divina voluntas. Vnde S. August. lib. 3. de Trinit. c.1. ait: *Vbi non operatur*, inquit, *quod vult Dei omnipotentis sapientia, quæ pertendit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter?* Et postquam retulit omnia quæ in mundo fiunt, sive necessariò, sive contingenter, subdit cap. 2. *Quorum nihil fit, nisi voluntate Dei, sed plerisque apparet. Itaque licuit vanitati Philosophorum, etiam causis aliis ea tribuere, vel veris, sed proximis; cum omnino videre non possent superiorem omnibus causam, id est, Dei voluntatem.*

Prob. ratione: Divina voluntas est primum omnium rerum principium quoad exercitium; sed contingentia effectuum potissimè pertinet ad exercitium productionis: ergo Divina voluntas est primum principium illius & causa. Maj. est D.Thom. & patet, nam quòd effectus producantur, vel non producantur, non pertinet ad divinum intellectum, sed ad divinam voluntatem, moventem & determinantem ipsum intellectum ut hos, vel illos effectus producat. Vnde ipse intellectus divinus res quoad exercitium producit in virtute voluntatis di- 16. 1. q.9. art.1. q. 17.art.1. & infra qu. 19. art.4.

vinæ, quæ in isto genere est primum movens. Min.autem prob.quia sicut quòd res producantur, ad exercitium spectat, ita quod producantur contingenter ipsius productionis exercitium respicit.

17. Conf. divinus intellectus per imperium res in esse produxit, quod imperium demonstrant illa verba Genes. cap. 1. *Fiat lux*; sed tale imperium habuit efficacem motionem ad res producendas iu virtute divinæ voluntatis divinum intellectum ad hoc moventis, & ad talem productionem illum determinantis: ergo divina voluntas est prima omnium radix contingentiæ.Ex his patet ad objectionem;nimirum,quòd quotiescunque D.Thom.docet, quod licet causa prima, & suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, tantùm intendit asserere, proximam & formalem contingentiæ rationem esse causam proximam contingentem & defectibilem, sive quâ effectus contingens, contingentiâ particulariter acceptâ, esse nequit: non tamen negat, primam contingentiæ radicem in divinam voluntatem sicut in omnium primam causam esse reducendam. Videndus S. D.6. Metaphys. lect.13.

18. Sed dices, quòd D. Thom. 38. loquens de
1.dist. causâ primâ ait, *Quandocunque sunt causæ multæ*
38.art.5 *ordinatæ, effectus ultimus non sequitur causam primam in necessitate & contingentia, sed causam proximam*: Resp. sensum hujus dicti esse,quòd quando plures causæ ad eundem effectum ordinantur, non trahit effectus necessitatem, vel contingentiam à causa prima, nimirum solâ, sed à causa secunda, agente videlicet in virtu-

te

te causæ primæ receptâ in illâ. Vnde statim subdit; *quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda secundùm modum causæ secundæ; effectus enim ille non procedit à causa prima, nisi secundùm quod virtus causæ primæ recipitur in secunda causa, ut patet in floritione arboris, cujus causa remota est motus Solis; proxima autem, virtus generativa plantæ.* Quòd si objicias illud quod dicit ibid. in solut. ad 1. Nimirum, *Quòd à causa prima non trahit effectus necessitatem* (idem dic de contingentia) *sed solùm à causa proxima*, ubi ly *solùm* videtur omnem aliam causam excludere: Resp. loqui S. D. de causa proximâ ut agit in virtute causæ primæ, nam se remittit ad doctrinam *in corp.* traditam, ubi hoc docuerat. Vnde ly *solùm* non excludit necessariò requisita, aut concomitantia. Vel dicito loqui de effectu quoad assimilationem, & denominationem formalem, non verò prout dicit habitudinem ad primam essendi radicem: formaliter enim & quoad determinationem, seu assimilationem formalem effectus dicitur contingens, vel necessarius solùm propter causam proximam, radicaliter autem propter primam causam dantem esse & modum essendi.

Objicies præterea, materia & potentialitas est contingentiæ principium, ex eo quod est principium corruptionis, & defectibilitatis: sed divina voluntas efficax nullam habet materialitatem, aut potentialitatem: ergo nequit esse contingentiæ radix. 19. 1.p.q.86. art.3.

Conf. contingentia defectum & imperfectionem importat, nam ab intrinseco mutabilitatem & defectibilitatem dicit: sed defectus

& imperfectio in effectibus creatis reperta nequit causæ primæ, quæ omnino indeficiens & perfectissima est, attribui : ergo causa prima nequit esse causa contingentiæ.

20. Resp. quod materia, sive potentialitas est principium corruptionis & contingentiæ, seu defectibilitatis proximum & formale. At verò prima causa est radix talis contingentiæ, quià nullus modus entis est, qui non sit à Deo, qui aptat causas corruptibiles & contingentes effectibus contingentibus, & defectibilibus. Per quod patet ad conf. dicimus enim quod inquantum defectibilitatem dicit reducitur in causam proximam, quæ cum habeat esse defectibile à divina ordinatione, idcirco & in causam primam reducitur.

CAPUT IV.

Alia argumenta dissolvuntur.

21. Hic arg. 2. q. 2. de verit. art. 12. arg. 7. & 8.

ARg. 2. in omni verâ conditionali, si antecedens est necessarium absolutè, & consequens est necessarium absolutè : sed in hac conditionali vera, *Si aliquid est scitum à Deo, illud erit*, antecedens scil. *hoc est scitum à Deo*, est absolutè necessarium : ergo etiam consequens, nimirum, *illud erit*, est absolutè necessarium : ergo omne, quod est scitum à Deo, necesse est absolutè esse, & subinde illius scientia non erit futurorum contingentium. Maj. patet, nam sic se habet antecedens ad consequens, sicut principia ad conclusionem : sed ex principiis necessariis non sequitur nisi conclusio

clusio necessaria, ut probatur 1. Poster. tex. 17. ergo in omni vera conditionali, si antecedens est necessarium absolutè, consequens etiam debet esse necessarium absolutè. Min. verò prob. primò, quia omne æternum est necessarium & immutabile: sed omne quod Deus scivit, ab æterno scivit: ergo eum scivisse est necessarium absolutè. Secundò, quia, *hoc est scitum à Deo*, est quoddam dictum de præterito: sed omne dictum de præterito, si est verum, est necessarium: ergo hoc dictum est absolutè necessarium.

Resp. S. D. quod circa hoc diversa est opinio. 22. Quidam enim dixerunt, quod hoc antecedens est contingens, *hoc est scitum à Deo*, quamvis enim sit præteritum, tamen ordinem ad futurum importat: sicut enim dicitur, hoc fuit futurum, illud præteritum non est necessarium, quia quod fuit futurum potest non esse futurum, ut in 2. de Generat. text. 26. dicitur: *Futurus quis incedere non incedet.* Sed hæc solutio nullius est roboris: quia cum dicitur, hoc est futurum, vel fuit futurum, designatur ordo qui est in causis illius rei ad productionem ejus. Quamvis enim causæ, quæ sunt ordinatæ ad aliquem effectum possint impediri quin sequatur effectus, tamen non potest impediri quin fuerint aliquando ad hoc ordinatæ. Vnde licet hoc quod est futurum possit non esse futurum, numquam tamen potest non fuisse futurum. Idcirco alij dixerunt, hoc antecedens esse contingens, quia est compositum ex necessario & contingenti; scientia enim Dei est necessaria, sed scitum ab eo est contingens, quorum utrumque in prædicto antecedente in-

Loc. cit.

cluditur, sicut & hoc contingens, Petrus est homo albus, vel Petrus est animal & currit. Sed hæc solutio non majoris est momenti quam præcedens, quia veritas propositionis non variatur per necessitatem & contingentiam, ex eo quod materialiter in locutione ponitur, sed solùm ex principali compositione, in qua veritas propositionis fundatur. Vnde eadem ratio necessitatis & contingentiæ in utraque istarum invenitur: *Ego cogito hominem esse animal*, & *Ego cogito Petrum currere.* Et ideo cùm actus principalis, qui significatur in hoc antecedente, *Deus scit Petrum legere*, sit necessarium, quantumcumque illud quod materialiter ponitur, sit contingens, ex hoc non impeditur quin antecedens prædictum sit necessarium.

Ibidem. Quapropter alij asseruerunt simpliciter, quòd illud antecedens sit necessarium; existimarunt tamen ex antecedente absolutè necessario non oportere, quòd consequens necessarium absolutè sequatur, nisi quando antecedens prædictum est causa proxima consequentis: si enim sit causa remota, potest necessitas effectus impediri per contingentiam causæ proximæ, sicut quamvis sol sit causa necessaria, tamen floritio arboris, quæ est ejus effectus, est contingens, quia causa ejus proxima est variabilis, scil. vis generativa plantæ. Sed hoc etiam non videtur sufficienter dictum, quia hoc non est per naturam causæ, & causati, quod ex antecedente necessario sequatur consequens necessarium, sed magis propter ordinem consequentis ad antecedens, quia contrarium antecedentis nullo modo potest stare cum consequente; quod contingeret, si ex antecedente necessario sequeretur consequens

consequens contingens. Vnde hoc accidere necesse est in qualibet conditionali si vera sit; sive antecedens sit effectus, sive sit causa proxima, vel remota. Et si hoc non inveniatur in conditionali, nullo modo erit vera. Vnde & hæc conditionalis est falsa, si sol movetur, arbor floret.

Et ideo aliter dicendum est, quod hoc antecedens est simpliciter necessarium, & consequens est necessarium absolutè, eo modo quo ad antecedens sequitur. Aliter enim est de his, quæ attribuuntur rei secundùm se, aliter de his, quæ attribuuntur rei secundùm quod est cognita: illa enim quæ attribuuntur rei secundùm se, conveniunt ei secundùm suum modum: sed illa quæ attribuuntur ei, vel quæ consequuntur ad ipsam, inquantum est cognita, sunt secundum modum cognoscentis, & non secundùm modum rei cognitæ; ut si dicatur, ***Si ego intelligo aliquid, illud est immateriale:*** non enim oportet, ut quod intelligitur sit immateriale, nisi secundùm quod est in intellectu. Et similiter cum dico, ***Si Deus scit aliquid, illud erit,*** consequens est sumendum, non secundùm dispositionem rei in seipsa, sed secundùm modum cognoscentis. Quamvis autem res in seipsa sit futura, tamen secundùm modum cognoscentis est præsens: & ideo magis esset dicendum, ***Si Deus scit aliquid, illud est, quam hoc erit.*** Vnde idem est judicium de ista, ***Si Deus scit aliquid, hoc erit:*** & de hac, ***Si ego video Socratem currere, Socrates currit,*** quorum utrumque est necessarium dum est. ***Dicendum est,*** inquit hîc, ***quòd quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum,***

23. Ibidem.

non

non secundùm quod est in se, sed secundùm quod est in anima. Aliud est enim esse rei in seipsa, & esse rei in anima: ut puta, si dicam: Si anima intelligit aliquid, illud est immateriale: intelligendum est, quod illud est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundùm quod est in seipso. Et similiter si dicam: Si Deus scivit aliquid illud erit; consequens intelligendum est prout subest divina scientia, scil. prout est in sua præsentialitate. Et sic necessarium est, sicut & antecedens. Quia omne quod est, dum est, necesse est, ut dicitur in 1. Periher. cap. 6.

24. Hic arg. 3. & q. 2. de verit. art. 12. arg. 4. Arg. 3. Omne scitum à Deo necesse est esse: sed nullum futurum contingens necesse est esse: ergo nullum futurum contingens est scitum à Deo. Maj. prob. quia scientia nostra est tantùm necessariorum, aliàs certitudinem non haberet: sed scientia Dei multò certior est, quam nostra: ergo magis necessarium est ut omne scitum à Deo necesse sit esse.

25. Ibid. arg. 9. Vnumquodque sicut se habet ad esse, sic se habet ad verum: sed futura contingentia non habent esse: ergo neque veritatem, & subinde de illis nequit esse scientia, quæ verorum est.

26. Ibid. arg. 10. Conf. 2. ex Philos. 4. Metaphys. text. 10. Qui non intelligit unum determinatum, nihil intelligit: sed futurum contingens, quia est maximè ad utrumlibet nullo modo est determinatum, nec in se, nec in sua causa: ergo nullo modo potest de eo esse scientia.

27. Ibid. arg. 12. Conf. 3. per medium necessarium non potest cognosci aliquod contingens, quia si medium est necessarium, & conclusio erit necessaria: sed Deus cognoscit omnia per medium quod est

est sua essentia: ergo, cùm hoc medium sit necessarium, videtur quod non possit aliquod contingens cognoscere.

Resp. S. D. ad arg. quod ea, quæ temporaliter in actu fiunt, seu in actum reducuntur, à nobis equidem successivè cognoscuntur in tempore, sed à Deo in æternitate, quæ est supra omne tempus. Vnde nobis, qui cognoscimus futura contingentia, inquantum talia sunt, certa esse non possunt, sed soli Deo, cujus intelligere est in æternitate supra tempus; sicut ille qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt; sed ille qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam. Et ideo illud quod scitur à nobis oportet esse necessarium secundùm quod est in se; quia ea quæ sunt in se contingentia futura, à nobis sciri non possunt. Sed ea quæ sunt scita à Deo, oportet esse necessaria secundùm modum quo subsunt divinæ scientiæ, non autem absolutè secundùm quòd in propriis causis considerantur. Vnde & hæc propositio, *Omne scitum à Deo necessarium est esse*, distingui consuevit, quia potest esse de re, vel de dicto. Si intelligatur de re, est divisa & falsa, & est sensus, *Omnis res, quam Deus scit, est necessaria.* Vel potest intelligi de dicto, & sic est composita & vera, & est sensus: Hoc dictum, scitum à Deo esse est necessarium. 28. Loc. cit. & infra q. 86. art. 4.

Sed obstant quidam dicentes, quod ista distinctio habet locum in formis duntaxat separabilibus à subjecto, seu quæ in subjecto sibi invicem succedere possunt, ut albedo & nigredo: unde si dicatur, Album possibile est esse nigrum, de dicto est falsa & de re est vera; Res enim, 29. Loc. cit.

enim, quæ est alba, potest esse nigra: sed hoc dictum, Album esse nigrum, nunquam potest esse verum. In formis autem à subjecto inseparabilibus hæc distinctio locum non habet: Vt si dicatur, Corvum nigrum possibile est esse album, quia in utroque sensu est falsa. Esse autem scitum à Deo est inseparabile à re: quia quod est scitum à Deo, non potest esse non scitum. Hæc instantia locum haberet, si hoc quod dico *scitum*, importaret aliquam dispositionem subjecto inhærentem: sed cùm importet actum scientis, ipsi rei scitæ (licet semper sciatur) potest aliquid attribui secundùm se, quod non attribuitur ei inquantum stat sub actu sciendi; sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei secundùm quod est intelligibile. Quam doctrinam sub his verbis tradit q. 2. de verit. art. 12. ad 4. dicens: *Si objiciatur, quod ista distinctio locum non habet nisi in formis, quæ sibi invicem succedere possunt in subjecto, ut albedo & nigredo, non autem potest esse ut aliquid sit scitum à Deo, & postea nescitum, & sic prædicta distinctio hic locum non habet, dicendum quod quamvis scientia Dei invariabilis sit, & semper eodem modo, tamen dispositio secundùm quam res refertur ad Dei cognitionem invariabilem, non semper eodem modo se habet ad ipsam: refertur enim res ad Dei cognitionem secundùm quod est in sua præsentialitate, præsentialitas autem rei non semper ei convenit: Vnde res potest accipi cum tali dispositione vel sine ea: & subinde potest sumi illo modo quo refertur ad Dei cognitionem, vel alio modo. Et secundum hoc prædicta distinitio locum habet.*

30. Resp. S. D. ad 1. conf. quod quamvis contingens,

tingens, dum est futurum, non habeat esse, tamen ex quo est præsens, habet esse & veritatem, & sic divinæ visioni subſtat; quamvis etiam Deus cognoscat ordinem unius ad alterum, & sic cognoscat aliquid esse futurum respectu alterius: sed sic non est inconveniens asserere, quod Deus scit aliquid futurum esse, quod non erit, inquantum scil. scit aliquas causas ad aliquem effectum inclinatas, qui non producetur, sic enim non loquimur nunc de cognitione futuri, prout scil. à Deo in suis causis videtur; sed in quantum cognoscitur in seipso; sic enim cognoscitur ut præsens. Ibid. ad 9.

31. Resp. ad 2. conf. quod futurum Deo est præsens, & ita determinatum ad unam partem quamcunque, sed dum est futurum, sic est ad utrumlibet. Ibid. ad 10.

32. Resp. ad 3. duplex esse cognitionis medium, alterum quod est demonstrationis medium, & hoc oportet esse conclusioni proportionatum, ut eo posito conclusio ponatur, & divina essentia non est ejusmodi medium cognoscendi respectu contingentium. Alterum verò medium cognitionis est, quod est similitudo rei cognitæ: & hoc pacto essentia divina est cognitionis medium; non tamen est adæquatum aut proportionatum alicui rei creatæ, etsi sit proprium singularum. Difficultates quæ circa hujusmodi solutiones expediendæ se offerunt, sequentibus capitibus enodabuntur.

CAPVT V.

Quomodo futura coëxistant, sive præsentia sint Deo in æternitate.

§. I.

Quædam prænotantur, & referuntur variæ Authorum sententiæ.

1. NOtandum est primò, quòd esse præsens
1.p.q.8. alicui est illi adesse, seu non deesse; sicut
a.3.q.10. rem loco præsentem esse dicimus, quando illic
in 1.dist. realiter adest, sive non deest. Vnde Plautus:
38. q. 1. *Præda*, inquit, *erit præsentium, id est, eorum qui*
art. 3. *adsunt.* Et D. Augustin. epist. 112. *Præsentia hoc loco intelligimus, quæ præsto sunt sensibus, sive animi, sive corporis. Vnde etiam ducto vocabulo præsentia nominantur. Sicut enim hanc lucem corporis sensu, sic & meam voluntatem planè video, quia præsto est animi mei sensibus, atque intùs mihi præsens est. Si quis verò mihi indicet voluntatem suam, cujus os & vox mihi præsens est; tamen, quia ipsa voluntas latet sensum corporis & animi, credo; non video; aut, si eum mentiri existimo, non credo, & si fortè, ut dicit, ita sit. Creduntur ergo illa quæ absunt à sensibus nostris, si videtur idoneum, quod eis testimonium perhibetur. Videntur enim quæ præsto sunt; unde præsentia nominantur, vel animi, vel corporis sensibus.*

2. Dupliciter autem contingit, aliquid adesse alteri: primò secundùm suum esse naturale & physicum; sive adsit illi secundùm suam substantiam

stantiam & esse, sicut res loco adesse dicitur, in quo ejus substantia continetur; sive adsit per modum, quo causa agens adest immediatè suo effectui; quo pacto Deus præsens est in omnibus rebus, ut dictum est supra. Alio modo adest secundùm esse intentionale, & objectivum, quo pacto cognitum est in cognoscente duntaxat per speciem, & similitudinem suam: non autem secundùm quod est in propria natura existēs; sicut rosa in hyeme dicitur esse in cognoscente, non quidem secundùm suam physicam entitatem, sed per speciem duntaxat, & similitudinem intentionalem. Cognoscentia enim non solùm habent propriam formam naturaliter, sed etiam nata sunt aliarum rerum formas intentionaliter habere. Supra art. 1.

Secundùm hoc igitur duplex solet distingui præsentia in re, quæ cognoscenti præsens esse dicitur; altera physica, quâ res cognoscenti præsto est, seu in conspectu ejus secundùm substantiam & esse; quo pacto res dicitur esse præsens videnti, cum ejus intuitus in ipsam fertur, prout habet esse in re, seu naturaliter, competitque ei existere & operari. Altera intentionalis, quâ res est præsens per speciem duntaxat ac similitudinem sui in cognoscente, etiam si secundùm suam naturalem entitatem non adsit, sed absit; sicut rosa in hyeme est per speciem suam in cognoscente ipsam, non quia intuitus cognoscentis feratur in eam, prout actu est in re extra causas; sed quia similitudine ipsius informatur, seu habet rationem ipsius apud seipsam. Vtroque modo dicitur esse præsens objectivè, quia utroque modo est objectum cognoscitivæ potentiæ, sed longè di-

versâ

versâ ratione. Vnde ad tollendam omnem æquivocationem, quæ in hac materia, ex ly *præsentia objectiva*, vel *præsens objectivè* oriri potest:

3. Notandum est 2. quod cognoscenti, ut cognoscens est, res cognoscibiles seu cognitæ non aliter sunt præsentes, quam objectivè; sed tamen, sicut est duplex modus objecti, seu rei cognitæ, scil. modus objecti in se seu in propria natura, & prout habet esse extra animam; & modus ejus prout habet esse in cognoscente seu intelligente, ita & duplex est præsentia objectiva: alia purè intentionalis & objectiva tenens se ex parte objecti, non quidem prout habet esse extra animam & in propria natura, sed prout habet esse in cognoscente, seu in apprehensione ejus: Et hæc objectiva præsentia in omni cognitione necessariò requiritur: quia, dum objectum entitativè est absens, cognitionem terminare non valet, nisi præsens reddatur, & unitum cognoscenti per speciem, vel similitudinem suam, aut substantiam modo intentionali, quo pacto actus & perfectio unitur suo perfectibili. Alia est præsentia objectiva, non equidem, quâ cognitum solùm est in cognoscente per modum cognoscentis, sive per suam rationem tantùm, ac similitudinem, sed etiam secundum modum ipsius in re, ita ut cognoscens tendat ad cognitum ipsum in propriâ naturâ, & prout habet esse ad extra, & movere, seu terminare ipsum intuitum cognoscentis. Et ista præsentia physica objectiva non est communis, aut necessariò requisita, nisi in sensibus, qui omnino sunt potentiæ passivæ, sicut sunt sensus exteriores, sed non in intellectiva

lectiva potentia, aut qualibet alia, quæ est quodammodo activa, nam & absente objecto ipsum intelligitur, licet per visum non videatur. Est tamen necessariò requisita in cognirione, quæ intuitiva est, cui proprium ac peculiare est, ut feratur ad rem in propriâ naturâ, seu ad rem existenten. Quo pacto dicitur esse idem principium essendi & cognoscendi. Nam objectum, prout est in cognoscente est principium duntaxat cognoscendi, & ratio rei, sed non essendi: sed prout in re, est etiam principium essendi. Nomen præsentiæ simpliciter & absolutè usurpatur pro præsentia physica, quæ est rei in seipsa, seu prout habet esse in seipsa naturaliter. Sed præsenria objectiva est præsentia secundùm quid & cum addito, nimirum intentionalis & objectiva duntaxat: sicut esse in re, dicitur esse absolutè; sed esse intellectu, quod est esse objectivè dunraxat, non est esse simpliciter, sed cum addito, scil. esse intellectum, seu cognitum, quod est esse secundùm quid. q. 18. de verit. art. 4. ad 10.

4. Notandum est tertio creaturam in triplici habitudine ad Deum se habere: primò sicut ad causam agentem, seu causam essendi effectivè omni rei. Secundò veluti ad causam idealem & exemplarem. Tertiò, sicut ad finem seu causam finalem. Certum est furura omnia in Deo sicut effectus in causa agēte ab æterno esse habuisse, & sic fuisse illi præsentia eo pacto, quo effectus præsens esse dicirur ei, qui causam effectivam illius intuetur secundùm ordinationem quam ad ipsum habet. Verùm quia ex sola causa efficiente non habet res, quod sit futura, sed quod sit possibilis, illa ordinatio aliunde provenire debet, & subinde talis præsentia non est rei in

ſeipſa, ſed in cauſa & ſecundum quid, & indeterminatè, & non ſecundum eſſe determinatum & phyſicum rei in ſeipſa. Indubitatum quoque eſſe debet, futura quæcunque in Deo ab æterno eſſe habuiſſe ſicut in prima cauſa exemplari & ideali omnium rerum, ſeu veritatis & eſſe illarum: ſed prout ſic neque dicuntur eſſe præſentia ſimpliciter, ſed intentionaliter & objectivè, ſicut domus exterior habet eſſe in idea artificis ſecundùm eſſe intentionale & objectivum duntaxat, quia idea rei eſt forma intellecta. Tandem certum eſt quod habuerint eſſe in ejus bonitate, ſecundum quod ſunt diverſæ participationes illius, ſicut in cauſa finali, ſed neque per hoc abſolutè dicuntur præſentia ſimpliciter, quia & in bonitate habent eſſe creaturæ poſſibiles. Difficultas igitur impræſentiarum eſt, an ſecundùm ſuas reales exiſtentias, per quas realiter ſeu in re pro aliqua temporis differentia extitura ſunt, Deo ſint præſentia ab æterno, ſeu ejus æternitati coëxiſtant, eò quod ipſa eſt menſura indiviſibilis, & infinita omnis eſſe & actus.

5. Summa eſt præſentis quæſtionis capiendæ difficultas; Ea propter S. Auguſt. lib.11. Confeſſ. cap.19. exclamat dicens: *Tu itaque regnator creaturæ, quis eſt modus, quo doces animas ea quæ futura ſunt? Docuiſti enim Prophetas tuos. Quiſnam ille modus eſt, quo doces futura, cui futurum quicquam non eſt; vel potiùs de futuris doces præſentia? Nam, quod non eſt, nec doceri utique poteſt. Nimis longè eſt modus iſte ab anima mea. Invaluit ex me, non potero ad illum: potero autem ex te cum dederis tu dulce lumen oculorum meorum.* Idcirco ſummam omni tempore inter

ipſos

ipsos Theologos litem peperit. Realem, seu physicam hujusmodi futurorum in æternitate præsentiam, seu coëxistentiam in illa, solam objectivam admittentes, negarunt ex antiquis, Alensis *1. p. q. 23. m. 4. art. 3.* S. Bonaventura *in 1. dist. 36. art. 2. q. 3.* Scotus *in eodem lib. dist. 38.* Durandus *dist. 36. quæst. 3. num. 12.* Gabr. *d. 38. q. 1. art. 2.* Greg. *ibid. q. 2. m. 2.* Marsilius *in suo Castigatorio ad hunc art. 13. D. Thom.* quos nonnulli ex discipulis S. D. sequuti sunt, inter quos Egidius *opusc. 4.* Silvester *in suo defens.* Hervæus & Hispalensis *in 1. dist. 38.* Ex Recentioribus autem P. Suares *lib. 1. de scient. futur. absolut. c. 7.* Vasquez *hic disp. 63.* & communiter authores Societatis, Scotique Discipuli. Notandum tamen velim, quòd esto hi omnes in negandâ physicâ istâ futurorum in æternitate præsentiâ convenerint, non tamen eodem motivo, aut ratione ducti sunt. Nam Societatis Recentiores præcipuè id negarunt, quia existimavere ex hujusmodi reali & physicâ præsentiâ humanorum operum libertatem auferri, tollique à rebus contingentiam, quod tamen ab antiquis illis non invenitur assertum, seu illatum. Similiter Recentiores illi præsentiam objectivam ejusmodi futuris concedunt ante omnem divinæ voluntatis determinationem, quâ decreverit efficaciter ea fore; Scotus verò & alij antiqui nonnisi post divinæ voluntatis decretum atque constitutionem, eam præsentiam, quâ certò cognoscantur à Deo, futuris attribuit.

Oppositam sententiam, nimirum futura quælibet extitisse Deo præsentia ab æterno in mensurâ ipsius æternitatis, docent D. Th. *hic art. 13.* & alibi passim. Quem sequuntur communiter 6. q. 2. de verit.

art.12.c. 1. cont. gent. c. 66.& 67. & loc. infra citandis.

ejus discipuli. Ex antiquis eandem asseruerunt Mag. sent. *in 1. dist.*38. Richardus *ibid. quæst.* 5. Abulensis *super Matth. cap.*18.*quæst.*36.Cordu-ba *q.*35.*disp.*9. Immo hanc asseruisse videtur Seneca in lib. natur. quæst. cap.36. *Sapientis quoque viri*,ait,*negatis sententiam posse mutari quantò magis Dei. Cum sapiens, quid sit opportunum, in præsentia sciat, illius divinitati omne præsens sit.* Vbi de reali coëxistentia, & non tantùm objectivâ loquutus videtur; quia sapiens id quod est sibi realiter præsens, scit an opportunum sit, nec ne; nam scire nequit, quod est realiter futurũ.Eandem sententiã ex Recentioribus amplexi sunt Fonseca *lib.*6.*Metaphys.c.*2. Granado *tr.*4.*de scient.Dei disp.*3. Ruiz *disp.*28. *sect.*3.Claudius Typhonius *in lib.de ordine c.*19. Molina etiam hîc disp. 13. asseruit hujusmodi futura priùs coëxistere in æternitate per quandam anticipationem, quam sint habitura existentias suas in tempore: itaut prius intelligantur futura habere esse extra suas causas in æternitate, quam in tempore illud habituræ sint. Qui quidem dicendi modus communiter rejicitur: Primò, quia illud esse futurorum bis produceretur, priùs in æternitate, deinde in tempore. Secundò, quia æternitas ideo futura sibi coëxistentia continet, quia omne tempus futurum ambit, omniaque pariter, quæ sunt in illo extitura: ergo quia futura habitura sunt esse in tempore futuro, quod ab æternitate continetur, ideo ipsa futura æternitati coëxistunt: ergo nisi priùs intelligantur futura habitura esse in tempore futuro sub æternitate contento, non possunt intelligi futura æternitati coëxistere. Sicut enim corpus non priùs

est

est in loco communi, quam in loco proprio: neque enim ideo est in proprio loco, quia est in loco communi, sed è contra ideo est in loco communi, quia est in loco proprio: ita futura non sunt in tempore suo proprio, quia priùs sunt in æternitate, quæ est mensura seu duratio communis, sed potiùs ideo sunt in æternitate, quia sunt in tempore suo. Tertiò inpugnari potest omnibus contrariorum argumentis, quæ directè contra illam militant.

§. II.

Statuitur conclusio, & probatur, tùm ex modo loquendi S. Scripturæ, cùm ex SS. Patribus.

Dicendum est itaque futura esse Deo ab æterno præsentia, non solùm objectivè & ratione suæ præscientiæ; sed etiam realiter & physicè ratione suæ æternitatis ambientis indivisibiliter omne tempus. Hanc physicam rerum in æternitate præsentiam non obscurè S. Scriptura insinuat, dum dicit omnia cum ipso Deo esse, vel apud ipsum: ut psal. 49. *Cognovi*, ait Dominus, *omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est.* Ex quibus sic: quod est cum alio illi coëxistit: sed pulchritudo agri futura est cum Deo ab æterno, sicut & volatilium cognitio: ergo illi coëxistit; sed non objectivè: ergo physicè. Min. prob. quia quod est in alio objectivè duntaxat, non dicitur absolutè esse cum illo, sed habere esse cognitum in illo: v. g. de rosa, quæ erit in vere, non dicitur quòd sit nunc mecum in hyeme, licet cognoscam, sed tantùm pro eo tempore dicitur esse mecum, quo mihi physicè coëxistit. 7.

Vnde glossa ex S. Augustino sic glossat: *Pulchritudo agri mecum est: Quia ego ubique, vel apud me nihil præterit, nihil futurum est.* Et D. Gregorius lib. 10. moral. cap. 1. explicans illud Iob, *Breves dies hominis sunt, numerus mensiũ ejus apud te est*, ita habet: *Quia apud omnipotentem Deum etiam labentia stant, apud eum esse numerum nostrorum mensium perhibet.* Quomodo autem labentia stant, si ipsi physicè præsentia non sunt, & indivisibiliter? Et quomodo apud eum esse dicuntur, nisi sint ei physicè præsentia. Nam, *esse apud*, conjunctionem realem importat ad personam, vel locum; ut *Scripsi hæc apud Romam*; *Cœnavi apud Pompeium.*

8. Insuper S. Scriptura ea quæ ventura sunt aut futura, ut præsentia, seu facta non semel, sed sæpe sæpiùs commemorat: quod esse non posset, si illa duntaxat objectivè præsentia essent; alias enunciaretur rem esse aliter quam sit; sicut si de rosa, quæ in vere extitura est, enunciatur, Rosa est, vel perfecta, aut facta est, profectò falsum enunciabitur. Quod egregiè observavit D. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 7. dicens: *Dominus creavit me*; *Non dixit, Pater creavit, sed Dominus creavit me. Caro Dominum agnoscit, gloria Patrem significat: creatura nostra Dominum confitetur, charitas Patrem novit: Nec dubitandum, quòd præteritum posuit, quod erat futurum. Hæc enim est consuetudo prophetiæ, ut quæ futura sunt, vel quasi præsentia, vel quasi facta dicantur. Denique in psalmo 21. legisti: Tauri pingues obsederunt me. Legisti etiam; Diviserunt sibi vestimenta mea. Quod Evangelista de tempore passionis prophetatum esse significat. Deo enim, quæ futura sunt, præsentia sunt: & sic cui præcognita*

præcognita sunt omnia, ventura perfecta sunt, sicut scriptum est; qui fecit quæ ventura sunt. Quæ authoritas habetur in Isaia *cap.* 45. secundum versionem 70. Idem docet super primam Corinth. cap. 15. vel quicumque sit author illius commentarij; qui modus loquendi etiam observatus fuit à D. Augustino lib. Soliloq. c. 26. ubi ait: *Quæ & qualia sint in libro tuo scripta de me in secretorio consistorij tui ego quidem ignoro, unde & valde timeo: Tu verò nosti, quoniam quod ego per successus dierum & temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ jam factum est, & quod futurum est, jam factum est.* Sed illud quod expectatur per successus dierum, dum accidit, physicè habet esse: ergo & physicè dicitur Deo præsens seu factum, & intuitus Dei ad illud in seipso fertur.

Hanc veritatem idem August. manifestè asserit lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. dicens: 9.
Quid futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora. Si enim in scientia res habet, non sunt futuræ sed præsentes, ac per hoc non jam præscientia, sed tantùm scientia dici potest. Si autem, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo: Bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundùm futurorum præscientiam: altero verò modo secundùm præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest, quæ ventura prænoscit, nosse cum venerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum jam sunt. Ita fit, ut quod longè à veritate seclusum est, temporaliter aliquid accedat

scientia Dei, cùm temporalia, quæ præsciuntur, etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsciebantur. Si verò etiam cum venerint quæ præsciebantur esse futura, nihil novi accedit scientiæ Dei, sed manebit illa præscientia sicut erat etiam priùsquam venirent, quæ præsciebantur, quomodo jam præscientia dicetur, quando non est rerum futurarum? Iam enim præsentia sunt, quæ futura cernebat, & paulò post erunt præterita. Præteritarum autem rerum, sicut præsentium nullo modo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id, ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia: & cum ea, quæ præscientia erat priùs, postea scientia fiat in Deo, admittit mutabilitatem & temporalis est, cùm sit Deus, qui verè summéque est, nec ulla ex parte sit mutabilis, nec ullo motu novitio temporalis.

10. Profectò hoc S. D. testimonium ita nervosè nostram conclusionem, & veritatem statuit, ut nisi me mea fallat opinio, ad rem demonstrandam nihil efficacius. In eo multa animadversione digna occurrunt. Primum quidem est illud: *Si in scientia res habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes: ac per hoc non jam præscientia, sed tantùm scientia dici potest.* Ex quibus sic: præsentia duntaxat objectiva rei non tollit, quin cognitio rei futuræ præscientia dici possit: sed D. Augustinus loquitur de præsentia, quæ tollit præscientiam: ergo non loquitur de præsentia duntaxat objectivâ, sed reali & physicâ. Maj. prob. quidquid cognoscitur, intellectui objectivè præsens est, etiam si non sit præsens physicè, & in sui naturâ: quia cognitio fit per hoc quod cognitum est actu in cognoscente ut

actus

actus & perfectio ejus: ergo præsentia duntaxat objectiva rei non tollit quin cognitio rei futuræ præscientia dici possit. Minor autem ex verbis S. D. manifesta est. Addo, Augustinum nomine scientiæ, visionis scientiam intelligere, & quæ fertur in rem prout in seipsa præsens est, ut colligitur ex illis verbis: *Redit ergo ad id, ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia:* ubi non est dubium, quin loquatur de præsentia reali, seu rei in propria natura dum actu & physicè existit.

Secundum est illud: *Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea pravenit sciendo: bis ergo ea sentit: uno quidem modo secundùm futurorum præscientiam, altero verò modo secundùm præsentium scientiam.* Ex eo probat D. Augustinus, quod Deus bis, & mutabiliter res futuras cognosceret, nimirum secundùm præscientiam futurorum, & secundùm præsentium scientiam, quia aliter res habent esse cum sunt præsentes in propria natura, & aliter cum sunt in cognoscente tantùm secundùm rationes suas, quo pacto sunt futura quæ præsciuntur: ergo cum infert, quod non aliter cognoscit cùm sunt futuræ, & cùm sunt præsentes, loquitur de præsentia physica, & rei in propria natura. Conf. præscientia, & scientia in hoc distinguuntur apud S. D. quod præscientia sit eorum quæ non sunt in propria natura, sed in cognoscente tantum; scientia vero sit eorum quæ cognoscuntur ut sunt in se: sed D. August. asserit præscientiam futurorum in Deo debere dici scientiam, nimirum visionis, & intuitivam: ergo loquitur de rebus terminantibus divinam II.

cogni

cognitionem prout sunt in propria natura, & physicè præsentes. Addo quòd apud S. D. ut vidimus supra in princip. cap. nomen præsentiæ non intelligitur nisi respectu eorum quæ præsto sunt sensibus, vel corporis vel animi: quod est esse præsens physicè. Et iterum idem S. D. lib. 11. de Civit. cap. 21. *Dum videt*, inquit, *quia bonum est: docet bonum esse non discit: Non enim Dei scientia variatur, ut aliud in ea fiant, quæ nondum sunt, aliud quæ jam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille, vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit, sed incommutabiliter videt, ita ut futura, præsentia, & præterita, stabili & sempiterna præsentia comprehendat: nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea: quoniam non sicut nostra, ita & ejus.* Videndus idem S. D. lib. 5. de Trinit. cap. 16.

12. Hanc eandem rationem adducit D. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 23. dicens: *Quomodo est præscius, dum nulla, nisi quæ futura sunt, præsciantur? & scimus quia nihil Deo futurum est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt, quippe quod omne quod nobis fuit & erit, in ejus prospectu præsto est, & omne quod præsens scire potest potiùs quam præscire: Quia ea, quæ nobis futura sunt, videt, quæ tamèn ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt. Nam & quæque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt quia videntur. Dum ergo ad verba mutabilitatis nostræ descenditur, ex eis quibusdam gradibus factus ascendat, qui potest ad incommutabilitatem Dei, ut videat sine prævisionibus præscientem. In illo enim*

nec

nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo præterit quod transit, quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia stant.

Perpende illa verba: *Quia ea, quæ nobis futura sunt, videt: quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt.* Ex quibus sic: ea quæ nobis futura sunt, sunt res ipsæ in seipsis consideratæ, v. g. Antichristus futurus: ergo si hæc præsentia sunt Deo, physicè & in seipsis ex S. D. præsentia sunt. Et hoc indicat illud verbum: *Præsto sunt.* Nam indicat physicam præsentiam, seu rei in seipsa, & physicè existentis: non enim præsto esse dicitur nisi quod sensibus attingitur, ut patet. Et clarius id insinuat, dum ait: *Quod nobis fuit, & erit in ejus prospectu præsto est:* Quis enim dicat rem quæ cogitatur mente duntaxat, in prospectu præsto esse? Aliàs res fidei nobis præsto essent, cùm & à nobis mente cogitentur. Deinde quia cum res sunt præsentes tantum objectivè & secundùm rationes suas prætereunt & transeunt cognoscenti; nam cognitio rei præteritæ est ejus quod fuit, futuræ est rei quæ erit, & præsentis est ipsius rei quæ est, in quibus importatur necessariò successio, & transitus de futuro in præsens; & de præsenti in præteritum: sed D. Gregorius asserit, quod ea quæ in seipsis simul existere non possunt, illi, scil. Deo, simul assistunt, nihilque in illo præterit, quod transit, quia in æternitate ejus quodammodo incomprehen- 13.

prehen

prehensibili cuncta volumine sæculorum transeuntia manent : ergo loquitur de coëxistentia physica rerum in æternitate.

14. Insuper D. Prosper, insignis Augustini discipulus, illiusque doctrinæ egregius defensor *lib. 2. de vocat. gent. c.* 34. postquam retulit Semipelagianorum errorem contendentium frustra Sanctos homines laborare, & orationibus insistere, si ex incommutabili proposito Dei ante mundi constitutionem ponantur electi, respondendo concludit : *Sed qui se ingeniosè hoc arbitrantur opponere, non intelligunt Scientiam Dei, quæ & præterita & futura amplectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu ejus astare ea quæ gerenda sunt, quam illa, quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cùm verissimum sit, non indiget mora cernendi, aut discernendi illa virtus, quæ perpetuo, veroque intuitu, creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda simul aspicit, & quidquid in universitate rerum per sæcula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo jam ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illo perfectoque judicio mundi hujus finis accipiet.* Quid est quæso astare divino conspectui, tam ea quæ gerenda sunt, quam illa quæ gesta sunt, aut geruntur, nisi esse præsentia physicè ? Nam eodem modo astare divino conspectui dicuntur quæ gerenda sunt, quam quæ geruntur : sed quæ geruntur, astant divino conspectui physicè & in propria natura : ergo etiam quæ gerenda sunt, sive futura. Quod maximè patet ex his quæ cap. præced. 33. præmiserat dicens : *Nec cogitatio ejus* (scil. Dei) *rerum mutabilium inæqualitate variatur, sed cuncta pariter tempora & temporalia sempiterno,*

piterno, ac stabili comprehendit intuitu, omnibus omnia retribuit, qui qua sunt futura, jam fecit. Quid est fecisse futura, nisi in cognitione sua habere res istas prout in propria natura existunt, quod est eas esse præsentes physicè; nam præsentia quæ est rei existentis in cognoscente physica est cum sit objecti in propria natura.

Eandem doctrinam sequutus est D. Fulgentius de fide ad Petrum cap.33. Et lib.1. ad Monimum c.12. dicens: *Vera igitur immutabilitas dignè vera vocatur æternitas; in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ creator ille jam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportunè faciendum disposuit, sic rectè dispositum facit.* Præterea D. Bernardus serm. 70. in Cantica; *Tempora*, inquit, *sub eâ* (scil. summâ & increatâ naturâ, quæ est Deus Trinitas) *transeunt, non ei. Futura non expectat, præterita non excogitat, præsentia non experitur.* Tandem S.Isidorus lib.1. sent. cap.7. *Speramus*, inquit, *advenientia, intuemur præsentia, recolimus transeuntia. Hæc non ita in Deo sunt, cui simul omnia adsunt.* Quid est quæso, simul adesse, nisi simul coëxistere? Et quomodo adsunt ei simul omnia, nisi physicè ei præsentia sint? Nam si duntaxat objectivè adsunt, cognoscit se Deus illa cognoscere, sed minimè illi adsunt, aut præsentia sunt; nisi velimus dicere, Antichristum jam nobis adesse, quia illum per fidem venturum cognoscimus. Insuper Rabanus Maurus lib.5. in Ecclesiasten: *In omnipotente Deo*, inquit, *ea quæ secutura sunt tempora, præsentia semper consistunt: cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante oculos ejus assistunt. Fuisse, vel futurum esse æternitas non habet,* 15.

habet, cui nimirum nec præterita transeunt, neque futura superveniunt, quia cuncta præsentia videt. Videndi D. Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 8. D. Anselmus lib. de casu diab. cap. 21. & in opusc. de concord. cap. 1. D. Petrus Damianus epist. 4. de omnip. cap. 8. & alij PP. qui unanimi consensu asserunt Deo nihil futurum esse, ex eo quod ejus æternitas omne tempus ambit, nimirum præsens, præteritum & futurum, & omnia quæ in quolibet tempore fiunt. Ex quo inferunt, Deum certò omnia futura etiam contingentia certò cognoscere, quia illa sunt ei in æternitate præsentia. Quod de præsentia objectivâ intelligi nequit, tum propter dicta ad singulorum testimonia, quæ ponderavimus, tum etiam propter dicenda universaliter.

16. Et primò quidem, quia si S S. Patres, cùm dicunt, ideo Deum certò futura cognoscere quia illa sunt sibi in sua æternitate præsentia, loquerentur de objectiva præsentia, idem per idem inutiliter repeterent, dicerent enim, ideo res certò à Deo cognosci, quia à Deo cognoscuntur, vel se cognoscit ea cognoscere; esse enim aliquid objectivè præsens est idem quòd cognosci, seu esse actu in cognoscente: ergo si Deus ideo futura cognoscit, quia illa sunt ei objectivè præsentia, ideo Deus ea cognoscet, quia illa cognoscit. Secundò, quia verum nullo modo esset, Deo nihil esse futurum, si futura non essent Deo præsentia secundùm existentias suas, sed solùm secundum objectivam præsentiam: quia aliquid esse vel non esse futurum, non objectivam, sed realem rerum existentiam respicit: igitur si secundùm reales existentias suas futura essent Deo futura, verè, absolutè,

absolutè, atque simpliciter essent Deo futura: & subinde falsum esset asserere, nihil esse Deo futurum.

Tertiò, quia SS. Patres ideo docent omnia Deo in sua æternitate esse præsentia, quia æternitas ambit simul omne tempus, præteritum, & futurum; sed hæc ratio manifestè de præsentia reali rerum & secundùm reales earum existentias procedit: ergo loquuntur de præsentia reali, & quæ est objecti in propria natura. Min. prob. quia tempus præsens, præteritum, & futurum, quod æternitas ambit, verum & reale tempus est, non objectivè cognitum: & similiter res, quæ successivè in qualibet temporis differentia producuntur, non secundum sui objectivam duntaxat præsentiam, sed secundùm illorum veras existentias producuntur. Tandem, quia æternitas, in qua docent futura Deo præsentia esse, non est cognoscitiva, sed infinita quædam indivisibilisque duratio omnes alias durationes creatas continens, & omnia quæ in illis fiunt: ergo de præsentia physica loquuntur. 17.

§. III.

Divi Thomæ de hac re sententia, & genuiana mens ostenditur.

DIvus Thomas SS. Patres insequutus totus est in asserenda hujusmodi rerum in æternitate præsentia reali & physica. Innumera possunt huc illius congeri testimonia, sed ex multis pauca seligemus, manifestioraque. Præter adducta in solut. secundi & tertij argumenti, quæ patentissima sunt, occurrunt alia non pauca, 18.

pauca, quorum primum desumitur ex quæst. 1. de verit. art. 5. ubi sibi decimò objicit dicens: *Omne, quod scitur, est verum dum scitur; sed Deus ab æterno scivit omnia enunciabilia: ergo omnium enunciabilium est veritas ab æterno, & ita plures veritates sunt æternæ. Sed dicendum*, ait, *quod ex hoc non sequitur, quod illa sint vera in seipsis, sed in intellectu divino. Sed contra, secundum hoc oportet illa esse vera, secundùm quod sunt scita: sed ab æterno omnia sunt scita à Deo, non solùm secundùm quod sunt in mente ejus* (quo pacto sunt præsentia objectivè) *sed in propria natura existentia* (quod est physicè esse præsentia) *Eccl. 23. Domino Deo nostro, antequam crearentur nota sunt omnia, sicut post perfectionem cognoscit omnia; & ita non aliter cognoscit res postquam factæ sunt, quam ante cognoverit: ergo ab æterno fuerunt plures veritates, non solùm in intellectu divino, sed etiam secundùm se.* En utramque præsentiam. Resp. S. D. *Dicendum, quod sicut ex prædictis patet, intellectus non solùm adæquatur his, quæ sunt actu, sed etiam his, quæ actu non sunt, præcipuè intellectus divinus, cui idem est præteritum & futurum. Vnde quamvis res non fuerit ab æterno in propria natura, intellectus tamen divinus fuit adæquatus rebus in propria natura, futuris in tempore: Et ideo veram cognitionem habuit ab æterno de rebus etiam in propria natura, quamvis rerum veritates ab æterno non fuerint.* Scil. extra intellectum divinum. Ex quibus sic; intellectus divinus non potest adæquari rebus in propria natura, nisi intuitus ejus feratur super eas ut physicè existunt, hoc enim sonat esse in propria natura, prout distinguitur ab hoc quod est esse in mente: sed ab æterno fuit adæ-

quatus

quatus rebus prout in propria natura : ergo ab æterno illi fuerunt physicè & in propria natura præsentes.

Rem clariùs explicat in 1. sent. ad Annibald. dist. 38. q. 2. art. 1. ubi ait : *Dicendum, quod futurum contingens dupliciter potest considerari. Uno modo secundùm quod est futurum, & sic nihil aliud est cognoscere futurum contingens, quam cognoscere causas ejus, secundùm ordinem, quem habent ad ipsum, & quia causæ contingentium non habent immutabilem ordinem ad suum effectum, ideo secundùm hunc modum contingens futurum immutabiliter sciri non potest. Alio modo potest considerari contingens futurum ratione illius temporis, in quo futurum esse prædicitur, in quo quidem tempore, futurum jam præsentialiter est, & per consequens determinatum ad unum, & sic certitudinaliter potest contingens cognosci, utpote per seipsum jam visum, sicut sensu percipimus Sortem sedere. Utroque autem modo Deus de futuris contingentibus scientiam habet. Cum enim sua cognitionis intuitus sit in momento æternitatis, correspondentis omnibus temporis partibus, videt ab æterno Deus rem secundùm statum quem habet in quolibet puncto temporis ipse extra tempus existens, & sic ab æterno videt Sortem sedere; non autem ut futurum sibi, qui est extra tempus, sed ut præsens, futurum autem respectu aliorum quæ tempore præcedunt.* Et ibidem ad 2. *Dicendum*, ait, *quod quamvis contingentia veritatem determinatam non habeant antequam sint, tamen quando jam sunt, determinatam habent veritatem, & sic intuitus divinus in ea fertur.* Ex quibus sic, in tempore quo futurum jam præsentialiter est, physicè existit : sed ab æterno sic Deus illud cognoscit, & futurum 19.

est præsens hoc pacto intuitui divino : ergo est præsens physicè. Idem docet art. 2. ejusd. q. ad 1.

20. Id ipsum repetit in 1. dist. 38. q. 1. art. 5. non semel, sed iterum atque iterum. Et imprimis quidem in c. art. ita habet : *Quædam sunt causæ, quæ se habent ad utrumque, & in istis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem vel determinationem : & ideo contingentia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt. Sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in seipsis esse determinatum : & ideo quando sunt in actu certitudinaliter cognoscuntur, ut patet in eo, qui videt Sortem : quia Sortem currere dum currit, necessarium est, & certam cognitionem habere potest. Dico igitur, quod intellectus divinus intuetur ab æterno unumquodque contingentium, non solùm prout est in causis suis, sed prout est in esse suo determinato* (quo pacto physicè & extra Deum existit) *Cùm enim re existente ipsam rem videat, prout in esse suo determinato est, aliter cognosceret rem postquam est, quam antequam fiat, & sic ex eventibus rerum aliquid accresceret ejus cognitioni. Patet etiam quod Deus ab æterno non solùm vidit ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura : sed ipsum esse rei intuebatur.* Quod qualiter sit, evidenter docet Boëtius *in fine de consol. Omnis enim cognitio est secundùm modum cognoscentis, ut dictum est ; Cùm igitur Deus sit æternus ; oportet quod cognitio ejus modum æternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione. Unde sicut quamvis tempus sit successivum, tamen æternitas ejus est præsens omnibus temporibus una & eadem indivisibilis, ut nunc stans : ita & cognitio sua intuetur omnia temporalia*

5. de consol. pros. ultima.

lia (quamvis sibi succedentia) ut præsentia sibi, nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius: sed unum respectu alterius, unde secundùm Boëtium meliùs providentia, quam prævidentia, quia non quasi futurum: sed omnia ut præsentia uno intuitu procul videt, quasi ab æternitatis specula: sed tamen potest dici præscientia, inquantum cognoscit id quod futurum est nobis, non sibi. Quod ut meliùs pateat, exemplis ostendatur. Sint quinque homines, qui successivè in quinque horis quinque contingentia facta videant: Possum ego dicere, quod isti quinque vident hic contingentia succedentia præsentialiter. Si autem poneretur quod isti quinque actus cognoscentium esset actus unus, posset dici quod una cognitio esset præsentialiter de omnibus illis cognitis successivis. Cum ergo Deus uno intuitu non successivo omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantùm ut habentia esse in cognitione sua. Non enim Deus ab æterno cognovit de rebus se tantum cognoscere ea, quod est esse in cognitione sua, sed etiam ab æterno vidit uno intuitu, & videbit singula tempora, & rem talem esse in hoc tempore, & in hoc deficere. Nec tantùm videt hanc rem respectu præcedentis temporis esse futuram, & respectu futuri præteritam, sed videt illud tēpus, in quo est præsens, & rem esse præsentem in hoc tempore: quod tamen in intellectu nostro non potest accidere, cujus actus est successivus secundùm diversa tempora. Et ita patet quod nihil prohibet contingentium ad utrumlibet certam scientiam Deum habere, CVM INTVITVS EIVS AD REM CONTINGENTEM REFERATVR SECVNDVM HOC QVOD PRÆ-

SENTIALITER EST IN ACTV, QVANDO IAM DETERMINATVM EST, ET CERTITVDINALITER COGNOSCI POTEST. Nescio quid expressius dici possit pro physica rerum præsentia in æternitate. Nam referri illius intuitum ad rem contingentem secundùm hoc quod est præsentialiter in actu, est ferri in eam ut actu extra causas & in propria natura existentem, id enim notat esse in actu præsentialiter apud S. D. ut patet ex opusc.1. cap. 26. ubi ait: *Cùm Angelorum non sit futura prænoscere, sed Dei solius, licet Angeli mysterium nostræ redemptionis à sæculo cognoverint ut August.dicit, tamen aliquas hujus redemptionis circunstantias plenè nesciverunt quandiu erant futuræ, sed eis completis eorum notitiam acceperunt, sicut & aliorum quæ præsentialiter fiunt.* Eandem tradit doctrinam ibid. ad 3. dicens: *Actus divinæ cognitionis transit supra contingens etiam si futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum dum est. Et quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolutè non est necessarium, ideo dicitur quod in se consideratum est contingens, sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium quia ad ipsam non refertur nisi secundùm quod est in esse actuali: Et ideo simile est, sicut si ego videam Sortem præsentialiter currere, quod quidem in se est contingens, sed relatum ad visum meum est necessarium.* Præterea ibid. solut. ad 4. *Si sumatur*, inquit, *Sortem currere, secundùm quod subsistat divinæ scientiæ cui subjicitur, prout consideratur præsentialiter in suo esse actuali.* Nunquid hæc præsentialitas est physica, quæ est rei in suo esse actuali? sic ergo ab æterno est præsens divino intellectui,

intellectui, divinæque subjicitur scientiæ. Insuper solut. ad 6. *Cursus Sortis*, inquit, *subjacet certitudini divinæ scientiæ prout est in actu, & hoc non habuit semper* (nimirum esse in actu) quia quandoque erat in potentia tantùm, & secundùm quod sic tantùm erat, non erat subjicibilis certitudini divinæ scientiæ. Si enim Deus vidisset ipsam causam *ut*, *& non vidisset immediatè effectum in esse suo, sicut nos futura cognoscimus* (nimirum videndo causas) *numquam potuisset istud scire*. Et tandem ad solut. ad 7. *Deus*, inquit, *non tantùm cognoscit ea, quæ sunt nobis præsentia; sed quæ sunt nobis præterita & futura: supra quæ tamen omnia divinus intuitus cadit, secundùm quod suis temporibus præsentia sunt:* sed suis temporibus sunt præsentia physicè: ergo sunt præsentia physicè Deo ab æterno.

Et dictâ quæst. art. 4. in c. hanc elegantem 21.
tradit doctrinam: *Secundum quod aliqua se habent ad esse, ita se habent ad divinam cognitionem. Esse autem rei potest tripliciter considerari: Vel prout est in propria sua natura ex suis principiis educta: vel prout est in potentia alicujus causæ: vel prout est in apprehensione alicujus cognoscentis: Omnia ergo illa, quæ habent esse actu in sua natura secundùm quodcunque tempus, Deus ab æterno scivit, & apprehendendo naturam ipsorum, & videndo ea esse non tantùm in cognitione sua, vel potentia alicujus causæ, sed etiam in esse naturæ. Quod patet, quia re existente cognoscit Deus esse, quod habet in propria natura; si autem ab æterno non cognovisset nisi esse ejus, quod est in cognitione, vel in potentia causæ, cognitio sua proficeret per temporum successiones, & talia dicitur Deus scire scientiâ visionis. Res autem illas,*

quarum esse in nullo tempore est in propria natura, cognoscit esse in potentia causae; vel creaturae deficientis sicut mala; vel in potentia operativa sua sicut bona. Scit etiam ea esse in cognitione sua, inquantum scit se cognoscere, & se posse facere ea, quantùm ad bona, vel posse contingere ex defectu creaturae, quantùm ad mala. Et iste modus cognitionis nominatur simplicis intelligentiae, inquantùm scil. per modum istum cognoscitur ipsa simplex natura rei, quae posset esse; tamen non cognoscitur ipsum esse simplex, cujus propriè est visio, sed secundùm quid tantùm, ut dictum est. Nescio quid expressius dici queat pro hujusmodi physica rerum praesentia in aeternitate.

21. Tandem S. D. *q.16. de malo art.7. c.* hanc veritatem ita expressè & manifestè tradit, ut nullum prorsus reliquerit tergiversationi locum. *Dicendum* inquit, *quòd dupliciter possunt futura cognosci; uno modo in seipsis: alio modo in suis causis. In seipsis quidem à nullo cognosci possunt, nisi à Deo. Cujus ratio est, quia futura, prout futura sunt, nondum habent esse in seipsis: esse autem & verum convertuntur. Unde cùm omnis cognitio sit alicujus veri, impossibile est quòd aliqua cognitio respiciens futura in ratione futuri, cognoscat ea in seipsis. Cùm autem praesens, praeteritum, & futurum sint differentiae temporis, temporalem ordinem designantes, omne quod qualitercumque est in tempore, comparatur ad futurum sub ratione futuri. Et ideo impossibile est, quòd aliqua cognitio subjacens ordini temporis cognoscat futura in seipsis. Talis autem est omnis cognitio cujuslibet creaturae. Unde impossibile est quod aliqua creatura cognoscat futura in seipsis, sed hoc est proprium solius Dei, cujus cognitio est elevata supra totum*

ordinem temporis : ita quod nulla pars temporis comparatur ad operationem divinam sub ratione præteriti, vel futuri, sed totus decursus temporis, & ea, quæ per totum tempus aguntur, præsentialiter & conformiter ejus aspectui subduntur. Et ejus simplex intuitus super omnia simul fertur, prout unumquodque est in suo tempore. Potest autem accipi conveniens similitudo ex ordine locali : sicut enim prius & posterius in motu & tempore consequitur prius & posterius in magnitudine, ut dicitur in 4. Physic. text. 99. ita Deus præsentialiter omnia intuetur, quæ adinvicem comparantur secundùm ordinem præsentis, præteriti & futuri, quod non potest aliquis eorum, cujus intuitus sub hoc ordine temporis cadit; sicut ille, qui est in alta specula constitutus videt omnes simul transeuntes per viam, non sub ratione præcedentis, & subsequentis quoad ipsum, quamvis videat quosdam alios præcedere : tamen quicunque in ipsa via constitutus est in ordine transeuntium non potest videre nisi præcedentes, vel juxta se positos. Et ibid. solut. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod alia ratio est de Deo, qui totum tempus præsentialiter intuetur, eò quòd intellectus ejus est omnino liber à tempore, & sic respicit futurum ut existens, quod non potest dici de Angelo, vel Dæmone.* Quid quæso est respicere futurum ut existens, & in seipso, atque ut habet esse præsens in suo tempore, nisi respicere ipsum ut est præsens physicè, & in propria natura existens.

§. IV.

Probatur conclusio ratione desumpta ex ipsius æternitatis formali constitutivo.

23. PRima ratio ex ipsa æternitatis ratione desumitur, & in hunc modum formari potest: Æternitas est duratio infinita indivisibilis, & tota simul: sed est de ratione infinitæ durationis, quæ est tota simul, & absque ulla successione, quòd contineat actu omnem inferiorem durationem, & subinde omne tempus, nimirum præteritum, præsens, & futurum, & omnia quæ erunt in tempore futura, aliàs infinita, & indivisibilis non esset: ergo omnia tempora, & ea quæ sunt in eis, sunt Deo physicè in æternitate præsentia, seu illi ab æterno in mensurâ æternitatis physicè coëxistunt.

Supra qu. 10. art. 1.

24. Conf. si æternitas esset successiva duratio infinita simpliciter, non est dubium, quin futurum tempus, & ea quæ in ipso existerent, comprehenderet; sed sicut de ratione infinitæ durationis successivæ est continere omnem durationem finitam, ita de ratione infinitæ durationis indivisibilis, & quæ est tota simul, est continere simul actu omnem finitam durationem; ergo, cùm æternitas sit infinita duratio indivisibilis, & tota simul, debet simul & actu futurum tempus, & ea quæ in ipso fiunt, continere, ut sibi coëxistentia, & physicè præsentia pro illo nunc in quo erunt. Maj. patet, quia ultra infinitam illam successivam durationem, nulla alia duratio esset, aut portenderetur, quinimmo ipsa ultra omnem se extenderet, quippe quæ infinita; ergo etiam futurum tempus, quod est

est aliqua finita duratio, comprehenderet: sicut dies complectitur horam, quia est major duratio quam hora, & annus continet diem, & lustrum annos, atque sæculum lustra, quia sunt majores durationes, & quæ ulteriùs se portendunt. Deinde, quia Deus in ratione essendi est infinitus, actu complectitur quidquid est, sive eminenter formaliter, sive virtualiter eminenter: ergo si æternitas esset infinita duratio successiva simpliciter, futurum tempus, & omnia quæ in ipso essent, comprehenderet.

Conf. 2. Futura physicè & realiter æternitati non coëxistunt? ergo ei sunt futura: ergo sunt futura toti æternitati, suntque extra totam æternitatem: sed hoc non est dicendum: ergo asserendum est, quòd futura æternitati Dei realiter coëxistant, & sint Deo in æternitate physicè præsentia. Prima conseq. patet: Secunda verò prob. æternitas est indivisibilis ac tota simul: ergo quæ futura sunt æternitati, futura sunt toti æternitati, & extra totam æternitatem, nulloque modo, etiam inadæquatè sub ea continentur, nec ab illa aliquâ ratione possunt mensurari; sicut illud, quod est futurum ad totum istum diem, nullâ ratione ab isto die continetur, vel ab eo mensuratur. Minor etiam prob. ex SS. Patribus supra adductis, qui manifestè asserunt, Deo nihil futurum esse, quia ejus æternitas omnia ambit. Nam reipsa quidem, si æternitati Dei aliquid futurum admittitur, vel quod extra æternitatem sit actu, convincitur, vel quòd simpliciter infinita non sit, vel quòd non sit indivisibilis, & tota simul. 25.

Hanc rationem, præter jam citatos Patres, adducit D. Petrus Damianus epist.4.cit.dicens: 26.

Constat

Constat Deum omnipotentem sic omnia secula in æternæ sapientiæ suæ thesauro concludere, ut nec ad se quid accedere, nec à se quicquam per temporum momenta valeat transire. In illa igitur ineffabili suæ majestatis arce persistens sic omnia in suæ præsentiæ conspectu constituta uno ac simplici contemplatur intuitu, ut sibi nunquam penitus, vel præterita transeant, vel futura succedant. Cui dum semper esse atque idem esse est per æternitatem, dum omne, quod labitur, circumscribit, intra semetipsum omnium temporum cursus claudit. Eandem rationem insinuat D.Thomas q.2.de verit. art. 12. ubi ait: *Vnde cum visio divinæ scientiæ æternitate mensuretur, quæ est tota simul, & totum tempus includit, nec alteri parti temporis deest, sequitur ut quicquid in tempore geritur, non ut futurum, sed ut præsens videat.* Et 1. contra Gentes c.66. *Rerum*, inquit, *quæ apud nos nondum sunt, Deus videt, non solùm esse, quod habent in suis causis, sed etiam illud, quod habent in seipsis, in quantum ejus æternitas est præsens suâ indivisibilitate omni tempori.* Et in hac q. art. 9. *Quædam*, ait, *licet non sint nunc actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, & omnia ista dicitur Deus scire scientiâ visionis; quia, cùm intelligere Dei, quod est suum esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia quæ sunt in quocunque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter.*

27. Respondent oppositæ sententiæ Patroni, quòd licet æternitas careat successione, & divisibilitate entitativâ, & sibi intrinsecâ; non tamen divisibilitate sibi extrinsecâ, desumptâ ex rebus creatis inter se succedentibus, & coëxistentibus

stentibus successivè æternitati divinæ. Vnde non oportet quod actu & simul contineat omnem durationem creatam, ut sibi actu & physicè præsentem, & ea omnia, quæ in ejusmodi duratione continentur, sed successivè: quod tamen nullam mutationem in ipso Deo arguit, sed in rebus creatis sibi invicem succedentibus. Quod explicare moliuntur exemplo arboris ad ripam fluminis plantatæ, quæ non coëxistit simul & semel toti aquæ fluenti, sed paulatim & successivè, non quidem per sui mutationem, sed ipsius aquæ continuò fluentis, & decurrentis.

Contra primò: Æternitas ut æternitas est formaliter est actus perfectus habens totum suum esse simul, & subinde actu & simul omnia temporalia mensurans secundùm unicum indivisibile nunc: sed impossibile est, quòd æternitas ut æternitas sit divisibilis extrinsecè, seu divisibilitate extrinsecâ desumptâ à creaturis ipsis invicem sibi succedentibus, & coëxistentibus successivè ipsi æternitati divinæ, & sit actus perfectus, nullo modo potentialitati admixtus, habens totum suum esse simul in ratione mensuræ superioris in unico indivisibili nunc, actu omnia continentis: ergo ex se debet esse indivisibilis tam intrinsecè, quam extrinsecè, itaut successivè non coëxistat, creaturis in suo esse & propria natura consideratis, sed simul omnia ambiat, & contineat respectu sui, licet ipsæ res adinvicem consideratæ sibi invicem succedant. Maj. ex ipsius æternitatis definitione fit manifesta; æternitas enim esse non potest tota simul & perfecta possessio, si est in potentia ad aliquid ipsâ non mensuratum actu secundùm esse 28.

pro

proprium; ſicut ille non diceretur habere perfectam poſſeſſionem rei, quam actu non poſſidet, ſed potentiâ tantùm: hinc, eſt quòd tempus non dicitur perfecta omnium temporalium poſſeſſio, quia actu ſecundùm unum indiviſibile nunc minimè continet præteritum & futurum, ſed eſt in potentia ad iſtud: habétque ex eo ſucceſſionem, & eſt in actu potentialitati admixto, quia in ratione menſuræ habet partem poſt partem, cùm ſit numerus motus ſecundùm priùs & poſterius. Min. verò prob. quia æternitas pro hoc inſtanti A v.g. non menſurat actu proprium eſſe & durationem omnem Antichriſti, & poſtea ſuo tempore menſurabit: ergo actu perfecto non poſſidet totum eſſe illius in ratione menſuræ, ſed in potentia eſt, ut menſuret actu illud eſſe in propria natura, propriámque Antichriſti durationem futuram quam pro hoc inſtanti non menſurat: ergo habet intrinſecè ſucceſſionem in ratione menſurandi & diviſibilitatem.

29. Qu. 8. art. 1. Pro majori intelligentia revocanda ſunt in memoriam, quæ ex S. D. ſupra diximus, nimirum quòd in tempore multiplex imperfectio reperitur: prima eſt ratione diviſionis, habet enim partes, cum ſit quantum, & in ſubjecto quanto & diviſibili. Secunda eſt ratione ſucceſſionis, quia una pars non eſt cum alia. Tertia ratione ipſius nunc, quia præteritum & futurum non complectitur. Vnde ad removendam ab æternitate primam imperfectionem, quæ eſt ratione diviſionis, dicitur *tota:* ad auferendam ſecundam, quæ eſt ratione ſucceſſionis, dicitur ſimul, hoc eſt ſine ſucceſſione partium in menſurando, cujus oppoſitum in tempore

pore invenitur, quod habet partem post partem in mensurando, nimirum præsens, præteritum, & futurum. Ad auferendam tertiam imperfectionem, quæ est ratione ipsius nunc, dicitur perfecta, quia quantum ad modum habendi omnem durationem perfectè habet secundùm unum indivisibile nunc.

Si intelligant Adversarij, quod æternitas non habeat divisibilitatem entitativam secundùm esse suum, & ut in Deo, quasi subjecto proprio ipsius durationis interminabilis & infinitæ reperitur, verissimum est, cùm hac ratione sit ipsummet esse Dei, quod entitativè est simplicissimum carens omnino cujusvis generis partibus, tum substantialibus, cùm quantitativis. Sed hoc est considerare ipsam æternitatis rationem quasi materialiter, & in ratione entis; quo pacto de ipsa impræsentiarum non est sermo; sed de illa formaliter sumptâ, & ut habet rationem durationis interminabilis, & mensuræ ipsius esse divini, & omnium temporalium, quo pacto dicimus, quòd oporteat eam esse omnino indivisibilem in mensurando, & successione carentem: quod nequit prorsus habere, nisi res omnes sint physicè in ea præsentes, & secundùm proprium esse, quod in tempore habebunt illi coëxistentes. Quia futurum ut futurum non est actu, & subinde neque durat actu, cum duret aliquid secundùm quod habet actu esse: sed quod actu non est, neque actu durat, non potest actu & præsentialiter mensuræ actualiter mensuranti non coëxistere, nec eâ mensurari; cùm autem actu est, illi secundùm esse proprium dicitur coëxistere: ergo cum futurum habiturū sit actu esse pro duratione sequenti in 30.

illa

illa dumtaxat actu ab ipsa æternitate, ceu mensurâ superiori omnem mensuram inferiorem ambiente, mensurabitur, postquam mensurata non fuit: sed quod modò non mensurat, & postea mensurat, intrinsecè habet prius & posterius in mensurando, nam secundùm prius actu non mensurabat, & secundùm posterius actu mensurat, & subinde habet successionem & divisibilitatem intrinsecè: ergo ipsa æternitas non modò extrinsecè, divisibilitatem & successionem habebit in mensurando, sed etiam intrinsecè. Min. patet in tempore, quod ex eo prius & posterius in mensurando, & subinde successionem in partibus intrinsecè habere dicitur, quia secundùm diversa instantia, per quæ decurrit & fluit, res ipsas successivè durantes mensurat, sicut dies hodiernus mensurat durationem rei existentis in illo, & hesterna dies non mensurat durationem ejusmodi, sed eam quæ fuit heri, & jam præteriit, & ita respicit ut præteritam, & non ut præsentem illam.

31. Contra secundo, licet res ipsæ, quæ sibi invicem succedunt & extrinsecè mensurantur, divisibilitatem habeant in se, tamen respectu æternitatis ut mensurantis neutiquam illam habere possunt: ergo debet æternitas esse omnino indivisibilis, tam intrinsecè, quam extrinsecè & carens successione in mensuratis prout ab ea mensurantur. Prob. antec. debent omnes possideri simul, & perfectè ab ipsa æternitate, nam essentialiter ipsa est tota simul & perfecta possessio, secundum autem modum mensuræ est modus rei mensuratæ: sed quod simul & perfectè possidetur in sua possessione successionem non admittit respectu ejus à quo in

in actu perfecto possidetur, & simul: ergo res successivè durantes & temporales respectu æternitatis ut mensurantis omni successione & divisibilitate carere debent, & subinde ipsa debet esse tam intrinsecè, quam extrinsecè indivisibilis. Min. prob. quia in successivis totum esse non est simul & actu perfecto: sed quod non est non possidetur actu: ergo illud, quod simul & perfectè possidetur in sua possessione successionem admittere nequit respectu illius à quo in actu perfecto, & simul possidetur.

Conf. ex quocunque capite defectus actualis possessionis oriatur, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, seu defectu extrinseci possidendi, non salvatur perfectæ possessionis ratio: sed æternitas in sua ratione perfectam possessionis rationem importat: ergo necessariò debet actu perfecto quodcunque mensuratum ab ea, & simul possidere absque successione in mensuratis, ut ab ea mensurata sunt. Maj. patet, etenim quantumvis aliquis habeat jus, & omnia requisita ad possidendum regnum, si tamen ab extrinseco prohibetur, seu ex defectu alicujus extrinseci impeditur, non dicitur perfectè possidere. Conseq. verò prob. quia quod successivè existit, si modo successivo seu prout successivè existit, tantùm possideatur in actu perfecto non possidetur, quia in actu perfecto non est, seu non existit, sed dum una pars est, alia est duntaxat in potentia. 32.

Conf. 2. res, secundùm quod sibi invicem succedunt, habent in sua successione rationem præteriti, præsentis & futuri: ergo si sic continentur in Dei æternitate & ab ea mensurantur, & non simul actu perfecto secundùm proprium esse, 33.

esse, oportet quod Deo aliquid sit futurum, quod est contra communem Sanctorum Patrum sententiam, ut ex dictis constat. Ex quo sequetur necessariò quod ejus cognitio successiva sit, cum cognoscat nunc futurum sibi, quod postea cognoscet ut præsens, & in propria natura sibi coëxistens. Nec sufficit recurrere ad præsentiam illam objectivam, quâ omnes res temporales dicuntur esse Deo ab æterno præsentes; quia præsentia objectiva est præsentia rei ut habet esse duntaxat in cognoscente, quæ alia est omnino à præsentia rei in se; nec tollit quin res sit cognoscenti futura; cum enim cognosco rosam in hyeme, & dico rosa est flos, habet esse objectivè in meo intellectu, nec tamen in se existit, sed respicitur à me ut extitura, seu futura: & alium modum habebit in se cum existet, quam habeat prout est in cognoscente, cùm in seipsa sit materialiter & physicè, in intellectu verò immaterialiter atque intentionaliter, ut ampliùs ostendemus infra.

34. Conf. 3. temporalia eo pacto ab æternitate mensurantur, quo in illa continentur, & distincto modo quo tempore proprio mensurantur: sed tempore habent mensurari extrinsecè prout adinvicem sibi succedunt, quia tempus habet prius & posterius, & non continet actu perfecto præteritum & futurum, illud enim fuit, & non est simpliciter, istud erit, & actu non est: ergo non mensurantur, nec continentur in æternitate ut sibi invicem succedunt, sed simul & actu perfecto, quia ipsa simul tota est & in perfecto actu indivisibiliter: ergo etiam divisibilitate extrinseca & successiva carere debet in mensurando. Vnde S. Anselmus opusc. de

de concord. liberi arbit. & prædest. ait : *Siquidem quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in omni loco sunt : ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore :* Præsens autem tempus actu & physicè continet actu omnem locum ut sibi coëxistentem in hac duratione præsenti simul : & subinde æternitas præsens secundum Anselmum actu & physicè continet omnes res sibi invicem succedentes simul, & absque successione. Hæc doctrina illustratur omnibus exemplis supra ex D.Thom. adductis.

35. Exemplum autem supra assignatum de baculo, qui invariabilis in aqua consistit, esto ipsa aqua mutetur, ac fluat, est omnino extra rem ; quia prima mensura ejus, quæ est distantia ad polos mundi non mutatur, sed permanet, sicut & ipse in eodem situ, licet diversæ superficies aquæ mutentur, ad quarum mutationes nonnisi materialiter mutatur. At verò cognitio habet formaliter mensurari ab objecto, vel esse mensura ejus ; unde variata mensura, vel objecto, necesse est cognitionem variari.

§. V.

Probatur conclusio ratione desumptâ ex Divinæ cognitionis & scientiæ invariabilitate.

36. Secundò prob. concl. ratione : Oportet scientiam Dei esse omnino immutabilem : sed nisi futura ponantur physicè, & realiter secundùm reales eorum existentias Deo esse in æternitate præsentia, scientiam Dei esse variabilem necesse est : ergo oportet futura in æternitate esse Deo physicè præsentia. Min. prob.

Hic art. 15. & 2. q. 2. de verit art. 13. c.

impossibile est, quod cognitio alicujus rei non mutetur ipsa re mutata secundùm diversam dispositionem, vel esse, quia acceptâ novâ dispositione est novus modus objecti intelligibilis, & subinde novus modus intelligendi ipsam rem, quę debet intelligi sicuti est; v.g. cognitio, quam aliquis habet de Petro sedente, mutatur Petro non sedente, sed stante, vel ambulante, quia jam Petrus non est sub eadem dispositione, & habitudine ad cognoscentem, unde propositio enuncians Petrum sedere dùm sedet, est vera; ipso surgente est falsa, falsitas autem & veritas sunt differentiæ oppositæ, per se non competentes eidem actui cognitionis: sed dùm res futura fit actu existens, mutatur ab eo statu & dispositione, quam habebat, dùm erat tantum in potentia causæ existens, & futura, & subinde se habet in nova habitudine ad cognoscentem: ergo nisi futura ponantur physicè & secundùm reales ipsorum existentias Deo esse in æternitate præsentia, cognitionem sive scientiam Dei oportet esse variabilem. Hanc rationem insinuant Patres supracitati, præsertim D. Augustinus *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 21. *cit.* Immo ex S. Scriptura deducitur Ecclesiastici c. 39. *Opera*, inquit, *omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis ejus; à sæculo, & usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.* Quod notavit ibi Glossa *Præsentia Dei antecedit omnia*, inquit, *& quidquid fit temporaliter, ei sine tempore præsens est. Nihil ergo novum, neque mutabile est in conspectu ejus*, & D. Prosper lib. 2. de vocat. gent. c. 33. *Nec cogitatio ejus*, inquit, (scilicet Dei) *rerum mutabilium inæqualitate variatur, sed cuncta pariter*

ter

ter tempora ac temporalia sempiterno ac stabili comprehendit intuitu, omnibus omnia retribuit, qui quæ sunt futura jam fecit.

Respondent Adversarij variationem hanc contingere solùm extrinsecè, & ex parte objecti, quod pro temporis varietate varias sortitur temporaneas conditiones, futuritionis videlicet, præsentialitatis, ac præteritionis. Non autem accidit variatio in ipsa divina scientia; quia sicut Deus modò cognoscit Antichristum v. g. ut futurum pro illo anno, in quo erit existens; ita etiam cognoscit illum ut præsentem pro illo anno, in quo erit existens, sive præsens: sicut & præteritum pro illo in quo desierit esse: & nunquam cessat Deus à cognitione illius ut futuri in hoc tempore, & ut præsentis in alio tempore, & ut præteriti in alio, sed semper cognoscit illum eodem modo, quantùm est ex parte cognoscentis. 37.

Vt facilius hæc evasio confutari possit notandum est ex D.Thom. quòd cùm scientia sit medium inter cognoscentem, & cognitum, duplex accidere potest in illâ variatio. Vno modo ex parte cognoscentis, alio modò ex parte rei cognitæ. Ex parte cognoscentis accidit in ea variatio tripliciter, primò ex parte ipsiusmet scientiæ, cùm de novo acquiritur scientia alicujus, quod prius nesciebatur: secundò ex parte actus, quando aliquid considerat, quod priùs non considerabat, sicut ille qui fit actu sciens de sciente in habitu, vel quia modò considerat unum, modò aliud; vel denique ex hoc quòd aliquis in considerando de uno in aliud discurrit. Tertiò ex parte modi cognoscendi, quia videlicet nunc aliquid limpidiùs cognoscit, vel 38. Loc. cit.

perfectiùs scit, quam antea. Ex parte autem rei cognitæ scientia variatur secundùm veritatem vel falsitatem, quia videlicet mutatur res & aliam dispositionem accipit, secundùm quam non est eodem modo subjecta eidem cognitioni videntis, seu cognoscentis, eâdem cognitione, seu existimatione remanente de illa, ut in exemplo adducto manifestum est.

39. Quo supposito rejicitur præfata solutio primò: mutatio objecti sufficit ad variabilitatem scientiæ, & cognitionis in se, si varietur objectum prout cognitioni illi atque scientiæ subest: ergo si accidit variatio in objecto divinæ scientiæ, & cognitionis secundùm diversam illius dispositionem, secundùm quam diversimode divinæ cognitioni subest, necessum est Divinam scientiam & cognitionem intrinsecè variari: sed sic est, quod res quatenus est actu & physicè in se præsens habet intrinsecè aliam dispositionem ab ea quam habet ut futura est, & objectivè duntaxat præsens in cognoscente, & non in se: ergo posito quod Divina cognitio ab æterno non fuerit terminata ad rem ut præsentem physicè, & in proprio esse æternitati coëxistentem, sed solùm objectivè, & ut in cognoscente habet esse, oportet necessariò asserere quòd Divina cognitio & scientia intrinsecè varietur. Antec. patet, quia dum cognoscit quispiam Petrum sedere, remanente eadem cognitione, si surgat & ambulet, verè mutatur illa cognitio de vera in falsam per solam extrinsecam objecti mutationem, quia ut supponimus remanet eadem numero cognitio ex parte cognoscentis: in Deo est semper eadem numero cognitio simpliciter & omnimodè invariabilis,

riabilis, & immutabilis: ergo ſi ab æterno objectum non coëxiſtit illi in ſe & in proprio eſſe in menſura æternitatis, ſed ſolum objectivè & ut in cognoſcente, per illam objecti mutationem, quam habet dum phyſicè & actu eſt præſens, & illi coëxiſtit, oportet divinam cognitionem intrinſecè variari per ſolam illam objecti variationem, quia ſub nova & diverſa diſpoſitione ſubeſt divinæ cognitioni in tempore, ſub qua minimè ab æterno non ſubfuit, ſi in æternitate phyſicè præſens ab æterno Deo non coëxtitit. Minor etiam conſtat, quia dum eſt phyſicè præſens habet eſſe ſimpliciter & in propria natura, & de illa abſolutè enunciatur eſt; cum autem eſt in cognoſcente tantùm, vel cauſis ſuis, non habet eſſe ſimpliciter, ſed ſecundum quid, intentionaliter, ſeu in potentia cauſæ; unde falſum eſt de illa abſolutè & ſimpliciter enunciare quod eſt: Neque enim valet, Roſa in hyeme habet eſſe in cognoſcente: ergo Roſa eſt: quia eſt à dicto ſecundùm quid ad ſimpliciter. Eſſe enim in cognoſcente eſt eſſe intentionaliter, & objectivè, & ſecundùm quid; unde ens rationis, quod habet eſſe duntaxat in cognoſcente, ſeu eſt tantùm objectivè in intellectu, non dicitur eſſe ſimpliciter, ſed cum addito & ſecundùm quid.

Ad tollendam æquivocationem præfatæ reſponſionis, ſeu potiùs evaſionis Adverſariorum, 46.
ſciendum eſt, quòd equidem objectum in ſe conſideratum varias illas futuritionis, præteritionis, ac præſentialitatis conditiones ſortitur, & quòd Deus cognoſcit etiam objectum ſecundùm omnes illas ex parte rei cognitæ: verum ſicut realiter ex parte rei cognitæ eſt

ſucceſſio, & prius eſt præſens deinde futurum, quod ſuccedit præſenti, non ita in divina cognitione accidere poteſt,quæ cum ſit ipſummet eſſe Divinum æternitate menſuratum, omnem ſucceſſionem reſpuit, & ſubinde omnia ut ſibi præſentia, & in proprio eſſe reſpicit, quia nihil cognoſcitur niſi verum, & nihil verum niſi ſecundùm quod eſt, quia veritas conſequitur ad eſſe: ergo ſicuti dum res eſt actu & phyſicè præſens in tempore divinus intuitus fertur in illam ut præſentem, ita & in æternitate debet ferri in illam ut actu præſentem, & phyſicè in æternitate illi coëxiſtentem, aliàs ſi reſpicit illam ut objectivè præſentem duntaxat, & ſub habitudine futuræ ſibi, impoſſibile eſt quod cognitio ejus non varietur, dum in tempore fertur in illam ut exiſtentem actu, ac phyſicè præſentem ſibi; Deum itaque cognoſcit futurum cognoſcit ut futurum nobis, vel præteritum, ſed tamen ſibi præſens, ut manifeſtiſſimis Patrum teſtimoniis oſtenſum eſt ſupra.

41. Conf. & explicatur amplius: Divina quælibet cognitio æternitate menſuratur: ergo quæcunque Divina cognitio,quæ aliquando exiſtit, illa eadem ſemper & ab æterno fuit: ſed cum res de facto exiſtit præſens Divinus intuitus illam ut præſentem videt, quia etiam humanus intuitus in illam fertur ut præſentem, ſeu intuitivè cognoſcit: ergo idem Divinus intuitus cognoſcens illam rem phyſicè præſentem ab æterno fuit: aliàs illa cognitio eſſet ſucceſſiva, & temporanea: ergo per ejuſmodi cognitionem Deus ab æterno cognovit rem illam ut ſibi realiter præſentem.

42. Quod ſi dicatur, fuiſſe quidem ab æterno ejuſmodi

ejusmodi cognitionem, sed non sub formali ratione cognoscendi rem ut præsentem, & intuitivè. Contra est, quia jam Divinus intuitus ab æterno non esset, sed cognitio alia, & subinde incepisset in tempore: sed quod in tempore incipit esse per se æternitate non mensuratur, ceu mensurâ propriâ: ergo illa Dei cognitio æternitate non mensuraretur, sed tempore: & subinde aliquid Divinæ cognitioni accresceret, nempe rem præsentem & in se existentem videre, quam ab æterno non videt.

Conf. cùm res actu existit, atque physicè est 43.
præsens, ab hominibus ut præsens cognoscitur: ergo multò magis à Deo cognoscitur ut præsens, quem nulla ratio cognoscibilis latere potest: ergo vel ab æterno cognoscitur ut sic præsens antequam existat, & sic habetur intentum: vel non cognoscitur ut sic præsens ab æterno, & sic in tempore incepit esse in Deo ejusmodi cognitio, quod Deo, & æternæ illius scientiæ repugnat.

Pro majori intelligentia nota, quod quamvis 44.
esse notitiam intuitivam, sit quædam relatio rationis in Deo, quam dicit ejus cognitio ad rem creatam ut præsentem, & in propria natura existentem, quia tamen est relatio consequens operationem Divini intellectus, quæ simpliciter in operante manet, ab æterno debet esse ejusmodi relatio, seu denominatio notitiæ intuitivæ, sicut ab æterno est divina ipsa intellectio, quæ secundùm nullam rationem potest tempore mensurari. Quod non contingit in aliis relationibus rationis, quæ sequuntur ad Dei operationem procedentem in creaturas, secundùm modum nostrum intelligendi,

istæ cum dicuntur de Deo ex tempore ut docuimus supra ex D.Thom. q.13. art.7. ergo sicut in tempore non intelligitur, neque intelligi potest creatio, nisi intelligatur actionem Dei respicere effectum ad extra, & in proprio esse productum, ita nequit intelligi cognitio intuitiva Dei ab æterno, nisi intelligatur ipsius habitudo ad rem in proprio esse præsentem in mensura æternitatis.

45. Ex quibus secundò impugnatur prædicta solutio : Res actu cognoscuntur per hoc quod habent esse actu in cognoscente : ergo eodem modo cognoscuntur, & absque variabilitate cognitionis, per hoc quod eodem modo in cognoscente habent esse : sed aliter habent esse in cognoscente cum actu existunt, & aliter cum actu non existunt, sed sunt futuræ, vel præteritæ : ergo alia esse debet ex parte cognoscentis earum cognitio, cum cognoscuntur ut actu sunt in se, & alia cum cognoscuntur ut futuræ sunt : sed si ab æterno res temporales physicè Deo in æternitate non coëxistant, non sunt illi physicè & secundùm proprium esse præsentes sed futuræ, & cum in tempore incipiunt esse fiunt illi physicè præsentes, & coëxistentes secundùm proprium esse : ergo ex parte cognoscentis alia debet esse cognitio in Deo qua ab æterno recognoscit, ut sibi objectivè duntaxat præsentes, & physicè futuras, & alia quâ cognoscit illas, & intuetur dum actu in tempore habent esse : & subinde cognitio Divina intrinsecè variabitur. Prima minor prob. quia præteritum, futurum & præsens sunt diversæ differentiæ ipsius esse rei temporalis : ergo habent diversas rationes in cognoscente, & non

cognoscitur

cognoscitur eodem modo res futura, præterita, ac præsens : ac subinde nec eodem modo habent esse in cognoscente. Hinc est quod est diversa cognitio, qua enuncio de rosa existente in vere, *Rosa est*, ab illa quâ enuncio, *Rosa erit*, vel, *fuit*, nam si pro eodem tempore proferantur, ista est falsa, illa vera.

Impugnatur tertiò. Respectus rationis, qui consequitur actum Dei simpliciter immanentem debet actum ab æterno denominare, & semper illi convenire: sed actus scientiæ divinæ, atque cognitionis est simpliciter immanens in Deo, & non transiens in effectum etiam virtualiter, sicut actus potentiæ quâ ad extra agit, & res temporaneas producit: ergo debet actum ab æterno denominare, & illi semper convenire: sed respectus quem dicit scientia visionis ad res scitas, est respectus divinæ cognitionis terminatæ ad res physicè præsentes, saltim dum actu in tempore existunt, & proprium esse sortiuntur: ergo debet ab æterno & semper denominare actum divinæ cognitionis ut terminatum ad illud objectum ut physicè præsens sibi, aliàs denominabit in tempore tantùm, & non ab æterno, quia respicit objectum sicuti est. Prob. major, quia actus immanens est perfectio & actus ipsius agentis, & in Deo est ipsummet Divinum esse: ergo debet semper illi convenire, alioquin posset aliqua Divina perfectio illi deesse, & de novo in tempore advenire, quod mutabilitatem in Deo argueret: non autem potest ab æterno intelligi actus sine habitudine ad objectum: ergo habitudo rationis quæ actum ipsius Dei simpliciter immanentem consequitur ab æterno illi convenit, & non in

1.p.q.14. art.7.

tempore

tempore advenit : sed habitudo qua cognitio Divina respicit rem temporalem actu existentem in se est habitudo præsentis ad præsens physicè, & coëxistens ; ergo actus Divinus ab æterno sic respicit ea quæ in tempore accipiunt esse actu, aliàs non conveniet semper illa habitudo,& mutabitur subinde actus,quia mutatur habitudo intrinseca ad objectum.

46. Conf. quia velle Divinum est actus simpliciter immanens non potest omnino intelligi quod terminetur ad objectum in tempore,quod ab æterno non voluit, nec alio modo, quam ab æterno voluit se velle ; quia Dei voluntas esset mutabilis, ut ostendemus infra, & communiter fatentur Theologi : v. g. supposito quòd Deus ab æterno voluit mundum producere, & tali modo producere, non potuit non producere tali tempore, & eo modo quo disposuit & voluit ab æterno se conditurum ipsum, & subinde eadem mansit ab æterno habitudo voluntatis Divinæ seu actus illius ad objectum producendum : sed non minus est actus immanens actus divinæ scientiæ & cognitionis, quâ res temporales ab æterno immutabiliter cognoscit, quam actus volitionis earumdem : ergo habitudo, quam divina cognitio dicit ad res temporales cum sunt actu præsentes, debet illi ab æterno convenire:ergo in æternitate debent illi physicè coëxistere, & in proprio esse præsentialiter adesse.

47. Tertiò prob. concl. cognitionem Dei quâ cognoscit res temporales, & in aliqua temporis differentia extituras oportet intuitivam esse, & ab æterno Deo convenientem,cum sit scientia visionis : sed cognitio intuitiva nonnisi ad

res

res præſentialiter habentes eſſe, & in exiſtentiam in propria natura poteſt terminari: ergo ab æterno divina cognitio debuit terminari ad res temporales ut ſibi phyſicè in menſurâ æternitatis coëxiſtentes. Min. prob. 1. ex D.Thom. q.3.de verit.art.3.ad 8. ubi docet, *quòd viſio addit ſupra ſimplicem cognitionem aliquid extra genus notitiæ, quod eſt exiſtentia rei. Dicendum,* inquit, *quòd ſimplex notitia dicitur, non ad excludendum reſpectum ſcientiæ ad ſcitum, qui inſeparabiliter omnem ſcientiam comitatur; ſed ad excludendum admixtionem ejus, quod eſt extra genus notitiæ, ſicut eſt exiſtentia rerum, quam addit ſcientia viſionis.* Vbi non poteſt eſſe de exiſtentia rei in cognoſcente & objectiva ſermo, quia in ſimplici notitia ejuſmodi etiam exiſtentia requiritur: cum actualis cognitio non fiat niſi per hoc quod cognitum eſt actu in cognoſcente. Et hujus ratio eſt, quia cognitio intellectiva, ut intellectiva eſt, habet pro objecto ipſum quodquid eſt rei, extra cujus conceptum eſt ipſum eſſe rei, unde alia eſt quæſtio quid res ſit, & alia an ſit, ſeu an exiſtat: ergo habitudo ad exiſtentiam extra genus notitiæ eſt, hoc eſt extra propriam illius rationem, quatenus eſt ſimplex notitia. Deinde quia per hoc diſtinguitur cognitio abſtractiva ab intuitiva, quod abſtractiva abſtrahit à rei exiſtentia in re & exercitè terminante ipſam cognitionem intellectivam, quæ habet rationes rerum univerſales reſpicere: intuitiva autem reſpicit rem exercitè in propria natura, ſeu in ſe exiſtentem; unde hâc cognoſcitur res prout habet eſſe à parte rei. Non enim à parte rei habent eſſe & per ſe ſubſiſtere univerſalia, ſeu univerſales

rationes

rationes & naturæ, aliàs darentur ideæ Platonis: & subinde ut cognoscatur res prout habet esse ad extra, & non in cognoscente tantùm, oportet ut terminetur ad rem in propria natura, & physicè existentem, quia sic habet esse, unde dicitur visio rei: abstractiva autem notitia non dicitur visio, nec cognitio rei in se, sed ut habet esse in cognoscente: cognoscere autem futurum, aut præteritum non est cognoscere rem prout habet esse actu ad extra, quia futurum non est actu extra causas, sed intra; præteritum jam desiit esse: ergo ad notitiam intuitivam requiritur ut terminetur ad existentiam rei, non quomodocunque sed in exercitio, & actu denominat rem existentem in propria natura & esse. Sed de his plura infra.

48. Ex quibus conf. secunda ratio supra adducta: Cognitio non potest eadem numero manens transire de intuitiva in abstractivam nisi intrinsecè mutetur: sed si Deo ab æterno res temporales in æternitate non coëxisterent secundum proprium esse, & essent physicè præsentes illa notitia esset abstractiva, dum autem acciperent actu esse, fieret intuitiva, quia esset rei præsentis ut actu præsens est in se, & in propria natura: igitur eadem cognitio Divina intrinsecè mutaretur. Maj. patet, quia esse abstractivam cognitionem, & intuitivam sunt differentiæ oppositæ, vel saltim oppositi modi cognitionis, sumpti ex intrinseca habitudine ad objectum prout habet esse in se, & in cognoscente, vel in cognoscente duntaxat: ergo cognitio quælibet nequit transire de abstractiva in intuitivam nisi intrinsecè mutetur. Conf. quia intuitiva se habet ex additione ad abstractivam: ergo, &c.

§. VI.

Solvuntur argumenta contraria ab authoritate desumpta.

ARg.1. ex D. August. lib.12. de Civit. Dei cap.25. dicente : *Si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus* Deus *subtrabat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt; sed ante dico æternitate, non tempore.* Sentit igitur S. D. nullatenus res in æternitate fuisse. Vnde serm. 11. de verbis Apost. ait : *Elegit nos ante mundi constitutionem. In mundo isto facti sumus, nec mundus erat, quando electi sumus. Ineffabilia mirabilia fratres mei. Quis hoc explicare sufficeret? Quis saltim quod explicet cogitare? Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vanè eligit. Eligit tamen electos, quos creaturus est eligendos: habet autem apud seipsum, non in natura sua, sed in præscientia sua.* Quod autem in præscientia duntaxat est seu habetur, nonnisi objectivè præsens est, & non physicè. Idem asserere videtur D. Isidorus lib. de sum. bono.c.6.dicens: *Si tempora semper essent Deo præsentia, non essent tempora, sed æternitas; quia non mutarentur, sed starent.* 49.

Conf. ex D.Thom. pluribus in locis: Et imprimis in hoc art. ait : *Vnde omnia, quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Hæc autem utraque præsentia est objectiva, tam ea quæ habetur in ideis, quam illa qua fertur intuitus in aliquid. Deinde 1. 2. 50.

q.91.

q.91. art.2. ad 1. ubi ait : *Ea, quæ in ſeipſis non ſunt, apud Deum exiſtunt inquantum ſunt ab ipſo cognita & præordinata.* Quæ autem ut præcognita exiſtunt, nonniſi objectivè exiſtunt. Deinde in hac 1. p. q.16. art.7. c. docet, *Quod res denominantur vera a veritate intellectus. Unde ſi nullus intellectus eſſet æternus, nulla veritas eſſet æterna : ſed quia ſolus intellectus divinus eſt æternus, in ipſo ſolo veritas æternitatem habet.* Ergo ex D. Thom. eatenus æternitati res coëxiſtere dicuntur, quatenus habent eſſe objectivè in intellectu divino. Præterea quæſt.20.art.2.ad 2. ait, *quòd licet creaturæ ab æterno non fuerint niſi in Deo, tamen per hoc quod ab æterno in Deo fuerunt, ab æterno cognovit res in propriis naturis.* Et tandem q.12. de verit. art. 3. c. ait, *Quòd futura contingentia in duobus praexiſtunt antequam ſint; ſcil. in præſcientia divina, & in cauſis creatis, quarum virtute futura illa educuntur in eſſe.* In quibus omnibus videtur D.Thom. ſolam præſentiam objectivam futuris in Deo tribuere.

51. Reſp. ad arg. quòd eo in loco D.Auguſt. intendebat oſtendere omnium naturam, & ſpeciem univerſæ creaturæ nonniſi opere Dei formari, haberéque eſſe actu, itaut ſi Deus potentiam ſuam, quæ cuncta penetrans incommutabili præſentiâ facit eſſe quidquid aliquo modo eſt, in quantumcunque eſt, rebus ſubtrahat, in nihilum decident, & non erunt, videlicet actu & in propria natura exiſtentes, ſicut non fuerunt, nimirum actu, & in propria natura exiſtentes, antequam in tempore fierent. Sed ex hoc non ſequitur, quod non ſint Deo præſentes phyſicè in æternitate, tanquam in menſurâ communi & excedente. Eſto enim ejuſmodi
menſura

mensura respiciat rem etiam in propria natura, non tamen respicit ut coëxistentem sibi physicè, nisi pro eo tempore quo erit extra Deum in propria natura existens, cui correspondet nunc indivisibile ipsius æternitatis ; non autem pro omni nunc seu instanti durationis, aliàs esset æterna. Do verba S. D. *Qualibet igitur corporales, vel seminales causæ gignendis rebus adhibeantur, sive operationibus Angelorum, aut hominum, aut quorumcunque animalium, sive marium, fœminarúmque mixtionibus : quelibet etiam desideria, motusve animæ matris valeant aliquid lineamentorum, aut colorum aspergere teneris, mollibusque conceptibus, ipsas omnino naturas, quæ sic vel sic in suo genere afficiantur, non facit nisi summus Deus. Cujus occulta potentiâ cuncta penetrans incommutabili præsentia facit esse quidquid aliquo modo est, inquantumcunque est, quia nisi faciente illo, non tale, vel tale esset, sed prorsus esse non posset. Et si potentiam suam, &c.*

Resp. ad 2. testimonium, quòd in eo loco D. August. contra Pelagianos agebat, dicentes quod Deus eos fecerit homines, justos autem ipsi se faciunt : quos redarguit dicendo, quòd *ipse fecit nos, & non ipsi nos, ut simus populus ejus, & oves pascuæ ejus. Ipse fecit nos, nam & Pagani nascuntur, & omnes impij, omnes adversarij Ecclesiæ ejus, ut nascerentur ipse fecit eos. Non enim alius Deus creavit eos. Qui de Paganis nascuntur, ab ipso facti sunt, ab ipso creati sunt, & non sunt populus ejus, nec oves pascuæ ejus. Communis est omnibus natura, non gratia. Natura non putetur gratia. Sed & si putetur gratia, ideo putetur gratia, quia & ipsa gratis concessa est. Non enim homo, qui non erat promeruit, ut* 52.

esset ;

esset ; si promeruit jam erat, sed nondum erat. Ergo qui promereretur non erat, & tamen factus est : nec ut pecora factus est, nec ut arbor factus est, nec ut saxum factus est, sed factus est ad imaginem creatoris. Hoc beneficium quis dedit? Deus qui erat. Cui dedit? Homini qui nondum erat. Dedit qui erat, accepit qui non erat. Q. d. sicut homines, cùm nondum essent, à Deo sunt in esse naturæ conditi ut essent ad imaginem Dei, & subinde hanc gratiam sibi promereri non potuerunt ; ita & Deus fecit nos ut essemus populus ejus & oves pascuæ ejus, & hoc non nostris meritis : Et ut ita essemus ab æterno elegit ante mundi constitutionem, cùm nondum aliquid promereri poteramus. Et quia nihil potest eligi nisi quodammodo sit, insinuans quomodo essemus, subdit : *Quis autem hoc facere potuit, nisi qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? De quo dicit Apostolus. Qui nos elegit ante mundi constitutionem. In mundo isto facti sumus, nec mundus erat, quando electi sumus. Ineffabilia mirabilia, fratres mei. Quis hoc explicare sufficeret? Quis saltim quod explicet cogitare? Eliguntur, qui non sunt : nec errat qui eligit, nec vanè eligit. Eligit tamen, & habet electos, quos creaturus est eligendos : habet autem apud seipsum non in natura sua, sed in sua præscientia.* Habet, inquam, in sua præscientia, secundùm fixam, infallibilem, & firmam dispositionem, quâ intuetur res ab æterno ut sibi speciali modo præsentes, nimirum in mensura suæ æternitatis. Et quod sit hæc mens Augustini patet ex Glossa, quæ prædictum Apostoli locum ex eodem S. D. in Psalm. 105. & 118. explicans ita habet : *Vocat ea quæ non sunt, tanquam*

quam ea quæ ſunt, prædeſtinata ſcil. & diſpoſita. Sic enim apud eum jam ſunt, quæ futura ſunt, in quo ſola apparet gratia. Vnde alibi: Qui fecit quæ futura ſunt. Et item: Qui elegit nos ante mundi cõſtitutionem. Eliguntur qui non ſunt, nec errat qui eligit, nec vanè eligit. Eligit tamen & habet electos, creaturus eſt eligendos, quos habet apud ſemetipſum, non in natura ſua, ſed in præſentia ſua. En quomodo apud Auguſt. idem ſonat habere electos in ſua præſcientia, & habere in præſentia, & ut præſentes in menſura æternitatis.

Reſp. ad authoritatem D. Iſidori, quod ipſe ſolùm intendit, quod tempus cum æternitate non fuerit, ſed omnia tempora præcedat æternitas, ſic enim habet: *Omnia tempora præcedit divina æternitas: nec in Deo præteritum, præſens, futurúmve aliquod creditur: ſed omnia præſentia in eo dicuntur, quia æternitate ſuâ cuncta complectitur. Alioquin mutabilis eſt Deus credendus, ſi eis ſucceſſiones temporum adſcribuntur. Si ſemper eſſent aliqua cùm Deo tempora, non eſſet tempus, ſed æternitas: nec mutarentur tempora ſed ſtarent. Præſens, præteritum & futurum, noſtrum eſt habere, non Dei. Verbi cauſa, dicimus pro præſenti, teneo codicem: pro præterito, tenui: pro futuro, tenebo: Vniverſalitatem verò Deus tenet, & pro tenuit, & tenebit, tenet dicitur.* En quomodo hæc D.Th. & noſtra ſententia de coëxiſtentia futurorum in æternitate ſecundùm reales ipſorum exiſtentias eſt conſtans SS. Patrum doctrina. Vnde P. Suarez, non poſſum non demirari, qui *lib. 1. cap. 7. de abſol. ſcient. futur. condit.* affirmare non dubitavit ſententiam, quæ rerum coëxiſtentiam in æternitate conſtituit, adeo ſibi videri difficilem, ut ſuppoſitis certis principiis in do- 53.

ctrina fidei, vix ipse intelligat quid dicere possit ab ea diversum. Nam, si est ipsissima SS. Patrum doctrina, ut manifestè ostendimus, quomodo fidei principiis non consona? Visa equidem fuit difficillima Augustino ingeniorum apici, & Doctorum aquilæ, nec eapropter ab ea discessit, quia capere non poterat. *Qui videt hoc,* (ut aiebat idem S. D. lib.6.de Trinit. cap.9.) *vel per speculum & in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, & sicut Deum honoret, & gratias agat. Qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum.*

54. Ad conf. resp. ejusmodi testimonia, quæ ex D. Thom. coacervantur, nullatenus oppositæ sententiæ favere. Ad 1. dicimus utramque præsentiam esse objectivam; sed illa quæ habetur in ideis est præsentia objectiva duntaxat seu objecti prout est in cognoscente: alia verò, quâ intuitus divinus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate, est objecti in propria natura, secundum quam inadæquatè æternitati coëxistit, & illi physicè præsens est. Nota breviter quod æternitas formaliter non est cognoscitiva, sed est mensura cognitionis divinæ: unde cum Deus aliquid cognoscit ut contentum in mensurâ indivisibili æternitatis mensurantis omnem aliam mensuram, non est cognitio objecti ut in cognoscente, sed ut in propria natura existit, pro suo nunc correspondente æternitati; quemadmodum cum aliquis mediante ulna, ceu mensurâ, certificatur de quantitate panni, cognitio versatur circa objectum non ut habet esse in cognitione præcisè, sed in propria natura, quia ulna

ulna formaliter non est mensura cognoscitiva, licet sit medium cognoscendi, & certificandi cognoscentem de quantitate panni.

Ad 2. testimonium dicimus, ea quæ in seipsis non sunt, in Deo existere, inquantùm sunt ab ipso cognita, ut præsentia in æternitate ejus. Et quod hic sit sensus patet: Nam ad hoc confirmandum adducit locum Apostoli dicens: *Sunt ab ipso præcognita & præordinata: secundùm illud Rom.4. Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Quem locum ipse interpretans, ait: *Vocationem hîc dicit simplicem Dei notitiam, vel cognitionem, quâ cognoscit futura quæ non sunt in actu, sicut præsentia:... Duo enim videbantur obstare ei quod dictum est, Patrem multarum gentium posui te; quorum unum erat, quia ipse idem Abraham erat quasi emortuus præ senectute.... Et contra hoc dicit, Qui vivificat mortuos. Aliud autem est, quia illæ multæ gentes nondum erant. Et contra hoc subdit, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* 55.

Ad 3. testimonium pariter dicimus, quòd manifestè nostram firmat sententiam: illo enim in articulo inquirit D.Thom. utrum Deus omnia amet: & respondet, *quòd Deus omnia existentia amat: Nam omnia existentia, inquantum sunt, bona sunt. Ipsum enim esse cujuslibet rei quoddam bonum est.* Et cùm sibi objecisset: *Amor Dei est æternus: sed ea quæ sunt alia à Deo, non sunt ab æterno nisi in Deo: ergo Deus non amat, nisi secundùm quod sunt in seipso: sed secundùm quòd sunt in Deo, non sunt aliud ab eo: ergo Deus non amat alia à seipso.* Resp. S. D. *Quòd licet creaturæ ab æterno non fuerint nisi in Deo, tamen per hoc quòd ab æterno in Deo fuerint,* 56.

ab æterno Deus cognovit res in propriis naturis, & eadem ratione amavit, (nimirum ut existentes in propriis naturis, quam existentiam habuerunt ab æterno, non quidem in seipsis, sed in mensura æternitatis.) Vnde subdit, *sicut & nos per similitudines rerum, quæ in nobis sunt, cognoscimus res in seipsis existentes:* cùm scil. eas intuitivè cognoscimus, & non prout habent esse objectivè duntaxat in cognoscente.

57. Ad 4. testimonium dicimus, illo quam maximè nostram sententiam stabiliri. Nam ibidem explicans S. D. quomodo futura sint in Dei præscientia, statim subdit: *In divina præscientia omnia futura sunt immobiliter, quia futura subduntur divinæ præscientiæ, non solùm secundùm ordinem causarum suarum ad ipsa, sed etiam secundùm exitum ordinis, vel eventuum.* Et in eadem quæst.art.10. declarans, quid sit esse in divina præscientia secundùm exitum ordinis, vel eventuum, ait: *Circa futurorum cognitionem duo est considerare; scil. ipsum ordinem causarum ad futuros effectus; & exitum, sive executionem hujus ordinis, in hoc quòd effectus actu procedunt ex suis causis. Quæcunque igitur virtus creata aliquam cognitionem habet de futuris, sua cognitio non fertur, nisi ad ordinem causarum; sicut Medicus secundùm hoc dicitur futuram mortem præscire, in quantum scit naturalia principia esse ordinata ad defectum mortis: & eodem modo Astrologus dicitur præcognoscere futuras pluvias, aut ventos. Vnde si sint tales causæ, quorum effectus impediri possunt, non semper evenit, quod sic præscitur esse futurum. Sed Deus non solùm cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed etiam quantùm ad ipsum exitum, vel executionem ordinis. Cujus ratio*

ratio est, quia ejus intuitus æternitate mensuratur, quæ omnia tempora in uno nunc indivisibili comprehendit: unde uno simplici intuitu videt, & ad quid causæ sint ordinatæ, & qualiter ordo ille impleatur. Hoc autem creaturæ est impossibile, cujus intuitus limitatur ad aliquod tempus determinatum. Dicimus itaque, quòd futura sunt in divina præscientia secundùm exitum ordinis, vel eventuum, qui secundùm quòd in aliquo tempore futuri sunt, mensurantur ipso nunc indivisibili æternitatis, & illi physicè coëxistunt: Et illa quidem ut sunt in divinâ præscientiâ, ut dicit cognitionem infallibilem, habere quidem esse objectivè: at verò ut dicit exitum ordinis, vel eventuum, esse illi physicè præsentia in æternitatis mensurâ. Ex his constat tam expressè D.Thomam agnovisse realem futurorum in æternitate præsentiam, ut nullus supersit tergiversationi locus.

§. VII.

Solvuntur argumenta à ratione petita.

ARg.1. argumento Durandi: Quod in se nondum est, nihilque habet sui esse, aut durationem, non potest alienæ durationi coëxistere: sed futura non sunt actu in se, seu in propria natura actu non existunt; v. g. Antichristus futurus neutiquam in se actu existit: ergo futura nequeunt æternitati physicè coëxistere, seu Deo in æternitate esse physicè præsentia. Maj. prob. quia alteri coëxistere supponit existere in se, seu existentiam realem in propria natura habere: ergo quod in se nondum est, nihilque habet sui esse, non potest alienæ durationi coëxistere. 58.

59. Hoc idem argumentum aliis verbis proponit P. Suarez sic : Res, quæ in se non existit, & quando non existit non potest dici in æternitate existere : sed res creatæ ab æterno non extiterunt in seipsis, sive in propriâ naturâ & duratione : ergo nec ab æterno realiter in æternitate coëxtiterunt. Maj. prob. tum quia existere in æternitate supponit existere in se. Tum quia hæc illatio, *existit in æternitate : ergo existit*, est ab inferiori ad superius affirmativè ; neque est à dicto secundùm quid ad simpliciter: quia existere in æternitate non est conditio diminuens ipsum existere in se, sed addit supra illud denominationem, vel relationem ad aliud simul existens. Tum etiam quia esse in extrinsecâ duratione, & quasi communi, sive superiori atque excedente supponit esse in propriâ : sed res creatæ non dicuntur esse in æternitate, tanquam in propriâ mensurâ & duratione, sed veluti in mensura communi extrinsecâ & superiori : ergo ut sint in æternitate, necessariò debent supponi esse in aliqua propria & intrinseca duratione.

60. Maj. prob. quia prius est existere in se, quam in alio sibi extrinseco : ergo esse in extrinsecâ duratione, & quasi communi, supponit esse in propriâ. Secundò, quia locus communis sic se habet ad loca propria, sicut æternitas ad propriam durationem cujuslibet rei creatæ ; sicut enim æternitas est mensura communis & extrinseca, ita & locus : sed esse in loco communi, v. g. Cœlo, supponit rem esse in loco sibi proprio & adæquato : ergo rem esse in æternitate ceu mensurâ communi & extrinsecâ, supponit esse ipsummet in propriâ duratione.

Tertiò,

Tertiò, quia implicat motum sublunarem realiter in duratione communi & extrinsecâ primi mobilis existere, nisi priùs in duratione sibi propriâ & intrinsecâ existat: ergo pari modo repugnat aliquid existere in mensurâ aliena & superiori, nisi priùs existat in propriâ & sibi intrinseca. Quartò, quia repugnat corpus creatum divinæ immensitati coëxistere, aut existere in illa, nisi priùs in se & in loco sibi proprio, & peculiari existat: ergo repugnat similiter creaturam aliquam Deo in æternitate coëxistere, nisi in duratione sibi propria & peculiari existat. Tandem, quia nullum prædicatum rebus in mensura superiori competere potest, quod illis in propria mensura repugnet, aliàs mensura superior rerum naturas mutaret: sed existere ab æterno, & sic Deo coëxistere, rebus temporalibus secundum propriam mensuram repugnat: ergo non poterit eis ratione æternitatis competere, ceu mensuræ communis & extrinsecæ, sive superioris & excedentis.

Conf. quoties aliqua plura simul coëxistunt uni tertio, simul inter se coëxistere debent, secundùm illud axioma: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: sed omnia futura non simul sibi coëxistunt, ut patet: ergo nec simul ab æterno coëxistunt Deo in æternitate, quæ est illud tertium. 61.

Resp. ad arg. dist. maj. Quod in se nondum est actu, non potest alienæ durationi coëxistere, pro illo nunc temporis, in quo nondum est actu, conc. maj. Pro alio nunc temporis, sive pro duratione sequenti, in qua erit verum dicere nunc est, nego maj. Et dist. min. Futura non existunt in se, pro nunc temporis, sive in 62.

ordine ad tempus præſens, in quo futura ſunt, conc. min. Pro alio nunc, ſive in ordine ad æternitatem ambientem illud nunc, in quo erit verum dicere, nunc ſunt, nego min. & conſeq. Ad prob. maj. diſt. antec. coëxiſtere alteri ſupponit exiſtere in ſe, ſi coëxiſtat alteri propter ſe, & adæquatè, conc. antec. Si coëxiſtat alteri propter illud, & inadæquatè, nego antec. & conſeq. Quando enim unum ex coëxiſtentibus dicitur alteri coëxiſtere propter illud aliud, ſimiliter debet exiſtentiam habere propter illud. Cùm igitur coëxiſtentia futurorum ad æternitatem ſit propter ipſam æternitatem, ambientem omne tempus, omnémque temporis differentiam, ſcil. præteritum, præſens, & futurum, pari modo futura exiſtentiam habere debent, non quidem abſolutè & in ſe, ſed in æternitate, vel propter illam. Quod quidem minimè eſt exiſtentiam in propria natura pro omni duratione habere, ſed pro illa duntaxat, in qua de illis verificabitur, nunc ſunt. Sumitur ex D.Thom.in 1.diſt.38.quæſt.1. art.3. ad 2. & 3.

63. Ex quibus ad argumentum P. Suarez, quod inſolubile reputat, facilis patet ſolutio: reſpondetur enim ut ſupra diſt. maj. Res quæ in ſe non exiſtit, & quando non exiſtit, non poteſt dici in æternitate exiſtere, pro illo tempore, quo in ſe non exiſtit, conc. maj. Pro alio tempore futuro, ſeu duratione ſequenti, quæ jam eſt æternitati præſens, & ab ea, ceu menſurâ ſuperiori continetur, nego maj. & conceſsâ minori, nego conſeq. Ad 1. prob. maj. nimirum, quòd exiſtere in æternitate ſupponit exiſtere in ſe, reſpondetur ut ſupra, nimirum quòd

ſupponit

supponit existere futura in se, non pro omni nunc, sed pro eo duntaxat tempore, quo ipsa erunt, per quod quidem esse jam sunt præsentia in æternitatis mensura, ut dictum est.

Ad 2. prob. dupliciter responderi potest: 64.
primò, dicendo illationem quidem esse bonam, & consequens esse verum, non quidem simpliciter & absolutè, sed prout substat antecedenti: itaut sensus sit, quod existit, non quidem pro omni nunc, sed pro duratione sequenti, seu tempore futuro, quia in æternitate adæquatè non existit, & pro omni nunc temporis, sed pro duratione in qua erit; sicut solet dici de ista: *Deus scivit Petrum peccaturum: ergo peccabit*, quod consequens est necessarium, non quidem absolutè & simpliciter; quia sic contingens est Petrum peccare, sed ut substat suo antecedenti; quia cùm scientia Dei sit infallibilis non stat, Deum scire quòd Petrus peccaturus sit, & quòd ipse non peccet: aliàs Dei cognitio, & scientia falleretur.

Secundò respondetur, & meliùs, illationem 65.
hanc esse malam, & neutiquam procedere ab inferiori ad suum superius affirmativè, sed reipsa è converso à superiori ad inferius: quia cùm æternitas sit mensura superior ambiens omne tempus, & respiciens illud ut præsens sibi, & futurum, præteritum, vel præsens nobis, rem esse Deo præsentem in æternitate abstrahit à præsenti tempore nostro, futuro, vel præterito: Vnde cum arguitur, *Res existit in æternitate: ergo existit*, limitatur potestas & ambitus illius mensuræ superioris, ad certam temporis præsentis nostri differentiam, sicut potestas generis per additionem certæ differentiæ restringitur.

tur. Vnde ſicut dùm arguitur à poteſtate generis ad certam differentiam, v. g. *Homo eſt animal: ergo eſt rationalis*, arguitur à ſuperiori ad inferius affirmativè, & non tenet conſequentia; ita cùm arguitur à tota poteſtate, & ambitu menſuræ ſuperioris ipſius æternitatis ad certam temporis differentiam non tenet conſequentia, quia eſt à ſuperiori ad inferius negativè.

66. Ad 3. prob. reſpondent communiter DD. diſt. maj. eſſe in extrinſecâ duratione & communi ſupponit eſſe in propria, ſi talis menſura extrinſeca ſit finita & limitata; conc. maj. ſi ſit infinita, nego maj. tunc enim non eſt neceſſarium ut aliquid ſupponatur priùs exiſtere in propria duratione prout in ſeipſa, licet intelligatur prius exiſtere in propria duratione prout continetur in menſura illa communi & infinita. Et hoc pacto omnes res creatæ in propria duratione ſunt ab æterno, non quidem ut illa duratio habet eſſe in ſe, ſed ut in æternitate continetur. Ex quibus ad 1. prob. maj. patet. Ad 2. Reſp. neg. maj. locus enim communis eſt finitus in ratione menſuræ, ac ſubinde non poteſt ad corpora niſi priùs in ſeipſis exiſtant, ſe in menſurando extendere: at verò æternitas, quippe quæ in ratione durationis infinita, per modum menſuræ res creatas nondum in propriis durationibus exiſtentes continere valet. Ad 3. ſimiliter Reſp. durationem primi mobilis, quamvis ſit durationum inferiorum menſura, quia tamen finita, & limitata eſt, non poſſe illas continere, niſi ſucceſſivè prout in ſeipſis exiſtunt; & ſubinde inferiores motus in propriis durationibus eſſe debent, quam in duratione motus primi mobilis; quod in æter-

nitate

nitate non contingit, quæ est mensura infinita, & indivisibilis tota simul existens.

Resp. ad 4. neg. conseq. ratio discriminis est, quia immensitas solùm est extremum coëxistentiæ creaturarum ad Deum, non autem ratio illas continendi: neque enim creaturæ dicuntur in immensitate existere, sed potiùs Deus per immensitatem dicitur esse in creaturis. Æternitas autem non solùm est extremum cum creaturis Deo coëxistens, sed etiam mensura superior, in qua creaturæ continentur, & physicè Deo coëxistunt. Vnde quæ nondum in propria existunt duratione quoad nos, coëxistunt Deo in mensura superiori, scil. æternitate, in qua continentur. 67.

Resp. ad ult. dist. maj. si sit prædicatum essentiale & absolutè conveniens rei, conc. maj. si sit prædicatum conveniens accidentaliter, vel in habitudine ad mensuram ejusmodi superiorem, nego maj. Coëxistere autem Deo in æternitatis mensura non est prædicatum essentialiter & absolutè conveniens rebus ipsis creatis, sed secundum modum essendi, quem habent in mensura superiori. 68.

Resp. 2. ad 3. prob. dist. Esse in extrinseca duratione supponit esse in propriâ, ut dicente habitudinem mensurati ad mensuram communem, & ut regulatâ per illam, conc. maj. absolutè, & absque tali habitudine nego maj. Et concessâ minori dist. conseq. ut sunt in æternitate, necessariò debent supponi esse in aliqua propriâ & intrinsecâ duratione, ut dicente habitudinem mensurati ad mensuram communem, & ut regulatâ per illam, concedo conseq. absolutè & absque tali habitudine, nego conseq. 69.

Vnde

Vnde non ſequitur quod priùs ſit in propria menſurâ quam communi, ſed quod in eodem nunc ſit in utraque. Itaque ſicut cauſa ſecunda non habet actu eſſe operativam, niſi ut fundatur in habitudine ad primam, & ut mota ab illa, ita nec propria duratio habet menſurare, niſi ut fundat habitudinem ad primam, nimirum æternitatem; quæ quia indiviſibilis eſt, & tota ſimul, habet omnem durationem inferiorem actu continere, & ei coëxiſtere phyſicè & realiter pro illo nunc in quo erit.

70. Ad 1. prob. maj. diſt. antec. prius eſt exiſtere in ſe, quam in alio ſibi extrinſeco: abſolutè tranſeat, in ratione menſurati, & dicentis habitudinem intrinſecam ad illud extrinſecum, nego antec. Et diſt. conſeq. ut ſupra. Ad 2. prob. reſp. tranſeat major, & diſt. min. eſſe in loco communi ſupponit rem eſſe in loco ſibi proprio, ut menſurato, & dicente ſeu fundante habitudinem menſurati ad locum communem, concedo: abſque tali habitudine nego; ſi enim non daretur locus communis, neque proprius, cum ratio loci proprij per ordinem ad commune continens deſumatur: Definitur enim locus: *Superficies corporis continentis immobilis prima.* Videnda quæ diximus tomo 3. clypei Philoſ. quæſt. 12. art. 1. Ad 3. prob. eodem modo reſpondetur. Ad 4. prob. patet ex dictis, tùm hic, tum ſupra q. 8. art. 1. & 2. Similiter ad 5. patet ex dictis.

71. Reſp. ad conf. quòd ſi illa duo uni tertio coëxiſtant, ſicut propriæ & adæquatæ menſuræ utrique communi, etiam coëxiſtunt inter ſe: quo pacto duo homines qui in eodem tempore ſunt, inter ſe coëxiſtere dicuntur, quia coëxiſtunt

stunt uni tertio, scil. huic præsenti tempori, à quo adæquatè tanquam à propria mensura mensurantur. Similiter si illa duo alicui tertio coëxistant, quod respectu unius est propria & adæquata mensura, & respectu alterius inadæquata, continens tamen illius propriam mensuram sub se; quo pacto Deus & creatura simul coëxistere dicuntur: quia cùm Deus & creatura sub ratione existentium comparantur, tempus creaturæ, quod respectu creaturæ est propria & adæquata mensura, respectu æternitatis inadæquata, ad ipsam æternitatem comparatur. Si verò coëxistant uni tertio, quod respectu utriusque est inadæquata, & superexcedens mensura, continens proprias temporis mensuras, sed diversas illorum coëxistentium, tunc illa nequeunt inter se coëxistere; & hoc modo coëxistunt æternitati futura, quæ sunt in diversis temporibus futuris: unde nequeunt simul existere inter se.

Quapropter in forma resp. dist. maj. si coëxistant uni tertio, quòd sit unum re & ratione, & adæquatè respectu utriusque, concedo maj. 72.
si sit unum re tantùm, & diversum ratione sub qua respicit illa coëxistentia à se mensurata, & in se contenta, nego maj. nam illud axioma, *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, solùm verificatur, quando illud tertium est idem re, & ratione, seu adæquatè, ut sæpiùs ex D.Thom. dictum est; licet autem æternitas, quæ est illud tertium, sit eadem re, ratione tamen, & virtualiter est diversa, sive divisibilis & multiplex; & alia ratione respicit rem quæ futura est post mille annos, & quæ futura est post quinque, licet utramque ut præsentem sibi respiciat,

respiciat, & existentem in æternitate, sed tamen ut correspondet diversis temporibus nostris, in quibus non possunt illa futura simul coëxistere.

73. Sed contra doctrinam superiùs traditam instatur primò, quia ex hoc sequeretur omnes res creatas Deo ab æterno in propria rationis mensura coëxistere, quod est absurdum. Sequela prob. Ideo res creatæ Deo in æternitate coëxistunt; quia, cùm æternitas sit tota simul, & partibus careat, necessariò debent hujusmodi res creatæ, vel toti illi coëxistere, vel nulla ratione coëxistere: sed etiam propria rei creatæ duratio, cùm sit ens creatum, æternitati ipsi coëxistere debet, & consequenter toti æternitati: ergo sequetur omnes res creatas Deo ab æterno in propria durationis mensura coëxistere.

74. Instatur 2. Futura in æternitate Deo coëxistere importat existentiam ipsis futuris intrinsecam, & mensuram extrinsecam, nempe æternitatem: sed creaturæ ab æterno non habent existentiam sibi intrinsecam: ergo nequeunt futura æternitati Dei coëxistere, seu esse Deo in æternitate physicè præsentia. Min.prob.quia tunc de illis esset verum dicere,quòd ab æterno existant; etenim quidquid habet existentiam sibi intrinsecam, actu est existens, cum effectus formalis existentiæ sit reddere ipsam rem actu existentem. Hoc autem est absurdum, quia existentia nequit alicui creaturæ communicari nisi mediâ creatione, quæ in tempore est, ut de fide constat.

75. Conf. implicat aliquid creatum habere propriam existentiam intrinsecam, & non habere propriam

propriam durationem; sed res ab æterno non habent propriam durationem: ergo neque propriam existentiam sibi intrinsecam. Maj. prob. quia ex D.Thom.in 1.dist.19.q.2.art.1. Omnis duratio attenditur secundùm quod aliquid est actu, seu existit: tandiu enim res durare dicitur, quandiu actu est, & non dum est in potentia.

Resp. ad 1. inst. dist. sequelam: sequeretur 76.
omnes res creatas Deo ab æterno in propria rationis mensura coëxistere, ut contentâ in ipsa æternitatis mensurâ, & ut in æternitate habet esse, concedo: ut habet esse in propriâ natura & extra causas, nego. Nam sicut æternitas continet res creatas, quæ habent tempore ceu mensurâ propriâ & adæquatâ mensurari, ita & ipsum tempus; immo res ipsas nonnisi mediante tempore continet, & sic jam ab æterno dicuntur existere in propria mensura, non quidem secundum quod habet esse extra, sed ut in ipsa æternitate jam ab æterno continetur.

Ad 2. instant. respondet Illustriss. Godoy dist. 77.
min. non habent existentiam intrinsecam in propria duratione, concedo: in mensura æternitatis, nego min. Et dist. conseq. eodem modo. Neque ex hoc sequitur verum esse, de illis dici, quòd ab æterno absolutè existant: quia verbum *existere* absolutè prolatum unit pro mensura durationis propria. Bene tamen sequitur, quòd ab æterno in mensura æternitatis existant. Nec tamen ex hoc infertur, creationem in tempore non incepisse in propria mensura; sed solùm non incepisse in mensura æternitatis: ad hoc autem ut futura æternitati Dei, seu Deo in æternitate coëxistant, sufficit creatio,

Hic tr. 4. disp. 41. §. 5. n. 53.

tio,

tio, prout in æternitate continetur. Ad conf. respondet similiter concessâ majori dist. min. res ab æterno non habent propriam durationem in nunc nostri temporis, conc. min. in nunc æternitatis, nego min. & dist. conseq. eodem modo.

78. Dices, hanc propositionem esse falsam, *Futura ab æterno in æternitate creantur* : ergo & ista erit falsa : *Futura ab æterno in æternitate existunt*. Conseq. patet, existentia enim creaturæ in quocunque statu consideretur, nonnisi mediâ creatione haberi potest. Antec. verò prob. Nam creari est transire de non esse ad esse : ergo futura in æternitate creari, seu produci, est in æternitate transire de non esse ad esse : sed hoc est absurdum, quia si in æternitate transeunt de non esse, non esse illorum præcedet eorum durationem & existentiam, & subinde jam ab æterno futura Deo in æternitate non coëxistent.

79. Resp. idem author, neg. antec. Nec ad veritatem dictæ propositionis exigitur, inquit, quòd aliquando ipsa futura in æternitate non extiterint, sive fuerint : Tum quia de essentia creationis solùm est, quod ejus terminus ex nihilo fiat, non autem quod habeat esse post non esse in aliqua durationis mensura, ut constat ; nam Deus verè ab æterno aliquid creare potuit, in quo casu illud non habuisset esse post non esse. Tum etiam, quia licet esset de ratione creationis, ut illius terminus esse post non esse reciperet, deberet tamen intelligi, post non esse in tempore, vel alia duratione creatâ ; non autem post non esse respectu æternitatis : in qua cùm non detur successio, nec in esse entis,
neque

neque in esse mensuræ, nequit aliquod ens creatum habere esse post non esse in illa, licet habeat esse, & etiam non esse.

Resp. 2. dist. maj. futura in æternitate Deo coëxistere importat existentiam ipsis futuris intrinsecam pro omni nunc, seu pro omni duratione, nego: pro illo nunc, sive pro illa duratione, in qua de illis erit verum dicere, nunc sunt, conc. maj. Nam ut rectè probat argumentum, de illis esset verum dicere, quòd ab æterno existerent. Et concessâ min. nego conseq. Neque enim ut creaturæ dicantur æternitati Dei coëxistere, seu ab æterno Deo in æternitate coëxistere, exigitur ut habeant existentiam sibi intrinsecam pro omni nunc nostri temporis, sed quod in tempore illam habitura sint, quod quidem tempus ab ipso indivisibili nunc æternitatis continetur, ratione cujus dicuntur esse Deo ab æterno physicè præsentia, licet ab æterno in se non existant. Vnde illa existentia in tempore habenda est pro omni nunc æternitatis in æternitate præsens Deo, sed non est pro omni nunc intrinseca creaturæ, quia sic intrinsecam habere existentiam respicit propriam durationem absolutè loquendo. Eapropter docet S. D. quod ordo exitus seu eventus est actu, licet ipsæ res sint in se futuræ. 80.

Ad instantiam dicimus, hanc propositionem, *Futura ab æterno in æternitate creantur*, absolutè falsam esse: tum quia quasi duplex insinuatur rerum productio, altera per anticipationem in æternitate; altera in tempore, quod fuit Molinæ commentum: tum etiam quia videtur in illa propositione significari, quòd adæquatè sicut in propriâ mensurâ sunt res in æternitate 81.

productæ, cum tamen res esse productas non æternitatem respiciat, sed propriam temporis mensuram. Tandem, quia creari in sua ratione importat respectum temporalem ad res ipsas in propriâ mensurâ, & extra Deum existentes, quod repugnat ei, quod est ab æterno produci, seu accipere esse, seu in æternitate creari. Hæc tamen est vera, *Futura ab æterno in æternitate existunt*, quia sic existere non importat respectum temporalem ad res ipsas in propria mensura existentes, sed existentes in Deo, seu in aliena mensura correspondente tempori futuro in quo erunt. Vnde debet ad auferendam omnem æquivocationem prima propositio sic formari: *Res futuræ in suo tempore producendæ, jam sunt productæ in ordine ad æternitatem*; itaut productio rerum, quæ in tempore nobis futura est, jam æternitati coëxistat, quemadmodum & res productæ mediante tempore in quo erunt. Et hoc pacto in sacra Scriptura dicitur Deus fecisse quæ futura sunt. Ad prob. conseq. dist. antec. Existentia creaturæ in quocunque statu consideretur, nonnisi mediâ creatione haberi potest: existentia in propria natura & duratione, concedo: existentia in aliena mensurâ & communi, nego. Quia hæc non est existentia absolutè & simpliciter conveniens rei, sed in ordine ad aliud, nimirum æternitatem, quæ cum infinita sit, ambit illud tempus in quo res creabitur, seu per creationem habebit esse, aut producetur, ut jam sibi præsens, & in se futurum, ratione cujus dicitur res in æternitate ipsa existere. Sicut enim existere in loco non est existere absolutè & simpliciter, sed in ordine ad aliud, unde ab ipso loco habetur ut à mensurâ

surâ extrinseca esse in loco, & non per rei productionem in seipsa, ita & existere in æternitate ab ipsa æternitate habetur ceu mensura extrinsecâ, & non per ipsam rei productionem, vel creationem. Sumitur ex D. Thom. in 1. dist.35. q. 1. art.5. ad 3. ubi ait : *Deus non dicitur fecisse res ab æterno sicut scivit ab æterno, quia operatio significatur ut exiens ab operante in operatum, vel factum : Et ideo non potest dici Deus esse faciens, nisi quando aliquid fit : sed scire etiam quamvis exteriorum sit : non est tamen eorum, nisi secundùm quod sunt in sciente per sui similitudinem : & ideo secundùm conditionem scientis, & non sciti dicitur Deus ab æterno scivisse etiam quæ ab æterno non fuerunt.* Quod si Deus non dicitur res ab æterno fecisse, neque ipsæ dicentur ab æterno creari in æternitate.

Adversus hæc omnia supra tradita instari potest : ly *ab æterno* dicit æternitatem, ut coëxistentem omni tempori vero, vel imaginato, protracto ab ipsius æternitatis initio, quemadmodum ly *in æternum* eandem dicit æternitatem, ut æquivalentem seu coëxistentem omni tempori vero, vel imaginato versùs finem sine termino protrahendo : sed res futuræ v.g. *Anti-Christus futurus* non coëxistunt Deo physicè in æternitate pro nunc nostri temporis, nec pro tempore vero, vel imaginato protracto ab ipsius æternitatis initio : ergo nec coëxistunt physicè Deo in æternitate ab æterno. 82.

Resp. Illustriss. Godoy notando, ly *ab æterno* dupliciter usurpari posse, nimirum identicè & formaliter : in priori sensu idem sonat *ab æterno*, atqui *æternitas* : quapropter idem est creaturas ab æterno coëxistere Deo, atque illi in 83. Loco cit. n. 58. & 59.

æternitate coëxiſtere ; ac proinde eâdem veritate, quâ hoc ſecundum defenditur, primum etiam ſuſtineri debet. In poſteriori autem ſenſu, nempe formali, ly *ab æterno* dicit æternitatem ut æquivalentem omni tempori vero vel imaginato ſine fine. Secundò advertit ly *ab æterno* ſumptum formaliter poſſe in propoſitione importari, vel ut menſurans coëxiſtentiam extremorum, vel ut menſurans veritatem propoſitionis. Quibus ſuppoſitis in forma reſpondet diſt. min. futura non coëxiſtunt phyſicè Deo pro nunc noſtri temporis, ut menſurante illorum coëxiſtentiam ad Deum, conc. min. ut menſurante veritatem propoſitionis, in qua uniuntur extrema pro nunc æternitatis, nego min. & diſt. conſeq. Ergo non coëxiſtunt phyſicè Deo in æternitate ab æterno, ſi ly *ab æterno* ſumatur identicè, nego conſeq. Si ſumatur formaliter, ſubdiſt. conſeq. Si accipiatur ly *ab æterno* ut menſurat exiſtentiam extremorum, conc. conſeq. ut menſurat veritatem propoſitionis enunciantis talem coëxiſtentiam, nego conſeq. Quod idem eſt, ac dicere, nullum tempus verum, vel imaginarium præceſſiſſe, in quo propoſitio enuncians phyſicam coëxiſtentiam extremorum ad Deum pro nunc æternitatis vera non fuerit; ac proinde quòd eſt vera ab æterno, & uſque in æternum, & nunquam incepit veritas illius, nec unquam deſinet eſſe vera.

84. Reſp. 2. diſt. maj. ly *ab æterno* dicit æternitatem ut coëxiſtentem omni tempori vero, vel imaginato ſecundùm exigentiam verbi conſignificantis, & talem modum exiſtendi rei ſignificatum per ly *in æternitate*, concedo maj. abſolutè & ſimpliciter, nego maj. v. g. cum dicitur

citur Antichristus futurus ab æterno in æternitate existit, ly *ab æterno* significat nullum fuisse tempus, vel instans, in quo Antichristus tali modo existendi, nimirum in æternitate ceu mensurâ superiori, non exstiterit, quia modificatur verbi significatum quod est existere de præsenti, per ly *in æternitate*. Et dist. min. Antichristus futurus non coëxistit Deo physicè in æternitate pro nunc nostri temporis, nec pro tempore vero, vel imaginato protractó ab initio ipsius æternitatis, ad tale nunc temporis nostri designatum in quo nondum est Antichristus, concedo min. protracto ad totum tempus futurum, vel illud tempus in quo Antichristus erit, nego min. Illa enim protractio est solum secundum actum animæ, designantem & notantem infinitam extensionem ipsius nunc indivisibilis æternitatis : unde si notet solùm tempora antecedentia realem existentiam ipsius Antichristi, verum erit dicere, quod pro toto illo tempore per actum animæ designato Antichristus æternitati physicè ab æterno non existit; non tamen erit verum dicere quod ab æterno in æternitate non existat pro duratione alia sequenti designanda per actum animæ protrahentem infinitam æternitatis durationem ad illam, & alias quascunque durationes absque fine. Et hoc patet in simili adducto: Quemadmodum enim cùm dicitur, *Angelus duraturus est in æternum*, ly *in æternum*, non significat ipsam æternitatem ut protractam ad omnem durationem antecedentem absque initio, quia Angelus in tempore incepit durare; ita, cùm dicitur *ab æterno* res existere in æternitate, ly *ab æterno* non significat ipsam æternitatem ut

protractam ad omnem durationem etiam sequentem absque fine, sed absque initio protractam usque ad tale spatium temporis designatum per actum animæ, vel consignificatum per verbum quod rei existentiam tali modo, & cum tali temporis differentia significat.

§. VIII.

Solvuntur alia argumenta à ratione petita.

85. ARg.3. Si res futuræ physicè æternitati coëxisterent, maximè quia est mensura indivisibilis & tota simul, atque infinita; sed hæc ratio est nulla: ergo futura æternitati Dei physicè non coëxistunt. Min. prob.quia etiam ævum, quo substantiæ incorruptibiles & spirituales mensurantur, est mensura indivisibilis, & tota simul, atque à parte post infinita: sed tamen res temporales physicè & realiter ipsi ævo non coëxistunt, nisi quando sunt actu præsentes: ergo similiter quamvis æternitas sit mensura indivisibilis infinita, non sequitur, quòd contineat, & mensuret omnes res creatas ut sibi physicè præsentes, & realiter coëxistentes. Min. patet, nam si res temporales ipsi ævo realiter coëxisterent, essentque physicè præsentes, Angelus futura contingentia intuitivè & certò cognoscere posset, cùm ejus cognitio mensuretur ævo; quod tamen esse falsum expressè docet D.Thom. Infra q. 57. art. 3.

86. Quòd si dicatur ævum mensurare substantiam Angeli, non autem ejus cognitionem: hæc enim tempore discreto mensuratur. Vnde ex hoc non sequitur, quod futura contingentia intuitivè & certò cognoscat: Contra est primò:

primò : quia aliqua est cognitio in Angelo, quæ mensuratur ævo, illa nimirum, quâ seipsum cognoscit : ergo saltem secundùm hanc poterit futura cognoscere. Deinde quia qualibet cognitio Angeli tota simul durare potest, sicut Angelus voluerit : ergo per illam poterit saltem cognoscere certò futura illa, quæ erant tempore illo.

Conf. sicut se habet immensitas ad loca, ita æternitas ad tempus, & ea quæ in tempore continentur : sed immensitas, esto sit mensura indivisibilis infinita, non continet actu ea loca quæ non sunt, sicut spatia imaginaria : ergo neque æternitas actu continebit tempora quæ non sunt, aut quæ in ejusmodi temporibus continentur, neque physicè illis coëxistet : sed tempus futurum, & quidquid in illo continetur non est actu ab æterno : ergo illi physicè non coëxistit. 87.

Resp. ad arg. neg. min. ad cujus prob. dist. 88. maj. Ævum quo substantiæ spirituales & incorruptibiles mensurantur, est mensura indivisibilis & tota simul, atque infinita à parte post, subordinans sibi tempus creatum, & continens ipsum ut mensura prima illius, nego maj. Non subordinans sibi tempus creatum, nec continens illud, concedo maj. Et concessâ minori nego conseq. Nam æternitas est mensura simpliciter prima, continens & subordinans sibi quamlibet aliam durationem creatam : Vnde, cùm sit simpliciter indivisibilis & tota simul, cuilibet physicè coëxistit, & respicit illam ut physicè coëxistentem sibi : Dixi, ævo substantias spirituales Angelicas mensurari : etenim earum cognitio tempore discreto

mensuratur. Vnde licet ævum sit indivisibile, & totum simul, attamen non respicit futura, ut sibi physicè coëxistentia. Quòd si mensurat ævum solam illam cognitionem, quâ Angelus seipsum intelligit; cùm non mensuret cognitiones alias, quibus cognoscit creaturas, multominus cognitionem futurorum mensurare potest, aut eis realiter coëxistere, ut docet S. D. infra q. 57. art. 3.

89. Resp. ad conf. ut supra dist. maj. Sicut se habet immensitas ad loca, ita æternitas ad tempus & illa quæ in tempore continentur, æqualiter & quantùm ad omnia, nego maj. Secundùm quandam proportionem, concedo maj. Hoc est, sicut æternitas per se respicit præsens, præteritum, & futurum, (quæ sunt per se differentia temporis) tanquam prima mensura simpliciter indivisibilis & tota simul omnem inferiorem durationem continens & mensurans: ita immensitas locum, qui per se locus est, respicit, & omnes differentias per se illius, videlicet sursum & deorsum, dextrum & sinistrum &c. Non tamen sicut æternitas habet per se respicere futura tempora, illáque continere, ita immensitas habet respicere futura loca, eáque replere: quia loca futura non sunt loca verè & realiter, neque futurum est per se differentia loci. At verò tempus futurum est verè tempus, seu differentia per se ipsius temporis; quod cum sit ens successivum non petit suas partes in actu completo & non immixto potentiæ, seu potentialitati, sicut locus, qui est ens permanens; sed ipsum existit in actu incompleto, & potentiæ permixto, quemadmodum alia successiva. Vnde concessâ minori negatur consequentia.

Qu. 8. art. 2. c. 3. n. 52.

Resp. 2. negando maj. Ratio disparitatis, quæ communiter assignari solet, est, quia Deus secundùm immensitatem dicitur replere loca omnia, quæ sunt in seipsis extra Deum: repletio enim loci importat actionem virtualiter transeuntem, per quam in loco Deus esse dicitur, unde importat rem esse ad extra. At verò Deus secundùm æternitatem non dicitur esse in tempore, quod sit in seipso extra Deum; quin potius in Dei æternitate tempus esse dicitur. Vnde immensitas Dei præsupponit loci productionem, ut ipsum repleat; æternitas autem non præsupponit temporis productionem, ut ipsum contineat & mensuret. 90.

Arg. 4. pluribus inconvenientibus, quæ ex nostra sententia deduci videntur: quorum primum est, bis quamcunque creaturam produci, nam in æternitate est producta ab æterno; in propria autem mensura temporaliter existit & producitur: ergo bis producetur, si æternitati Dei coëxistat. 91.

Secundum est, non posse Deum rem creatam in nihilum redigere, quod absurdum est, & ipsi divinæ omnipotentiæ injuriosum. Supposito namque quod res sit futura, in æternitate non potest non existere: sed nec de sua potentia absolutâ potest Deus facere, ut res futura, si semel extitit, præterita non sit: ergo cùm præteritum nullo modo possit non fuisse, aut futurum æternitati coëxistere, non poterit Deus sua absolutâ utens potentiâ rem in nihilum redigere.

Tertium est, dari multitudinem actu infinitam, quam repugnare omnino asserit D.Thom. Etenim multitudo cogitationum hominum, aut

Angelorum successivè futura est infinita: sed tota hæc multitudo existit simul physicè in æternitate: ergo datur in æternitate actu & simul infinita multitudo, seu infinitum secundùm multitudinem.

Quartum inconveniens est, quod nihil à divino intellectu cognosceretur ut futurum, nec unum tanquam prius alio: nam in æternitate nihil est futurum, nec unum alio prius; sicut si duo corpora cognoscantur ut perfectè penetrata inter se, unum non cognoscetur alio prius esse in loco, quia simul continentur ab illo, & ipsa toti loco correspondent.

Quintum est, duas contradictorias simul in æternitate de eadem re verificari, quod est impossibile, quia destrueretur illud primum principium, naturali lumine notum: *Quodlibet est, vel non est.* Sequela prob. nam de Antichristo futuro v. g. verificatur, quod in æternitate existit: & simul de illo verum erit dicere, quòd in æternitate non existit: ergo sequetur, duas contradictorias simul & semel de eadem re in æternitate verificari. Antec. prob. hæc est bona consequentia *Antichristus est non existens in æternitate: ergo Antichristus in æternitate non existit:* sed antecedens est verum: ergo & consequens. Maj. prob. quia juxta regulam Dialecticorum, ab affirmativâ ad negativam variato prædicato penes finitum & infinitum bona est consequentia; v. g. lapis est non homo: ergo lapis non est homo.

92. Resp. ad 1. inconveniens nullo modo sequi, ex eo quòd futura æternitati physicè coëxistant, quòd res bis producantur, semel in æternitate, & deinde in seipsis. Sicut enim res sunt

sunt in æternitate pro illo nunc, vel secundùm illud tempus, in quo sunt existentiam habitura; ita produci dicuntur pro illo nunc, vel secundùm illud tempus quo producuntur in esse (dato quòd in æternitate produci dicantur.) Quapropter sicuti non est duplex esse rerum, esse in tempore, & esse in æternitate, sed unicum duntaxat; ita neque duplex productio esse potest. At forsitan duplex illa productio rerum in esse locum haberet, si admitteretur ipsa futura per quandam anticipationem in æternitate existere: tunc enim in propria mensura existerent in suo tempore, quia priùs per anticipationem quandam in æternitate extiterunt. Quem dicendi modum nullatenus probamus.

Resp. ad 2. inconveniens communiter dist. sequelam: Non posset Deus aliquid in nihilum redigere respectivè ad æternitatem, concedo: respectivè ad tempus præsens, in quo res creata, ut in propriâ mensura habet existere, nego seq. Nam respectivè ad tempus nostrum potest Deus suspendere concursum suum, quo suspenso res in nihilum deciderent, ut ait D.Gregorius *lib.* 16. *Moral. c.* 18.

Resp. 2. ex D.Thom. dist. antec. non posset Deus rem creatam in nihilum redigere, absolutè consideratâ creaturâ, nego antec. ex suppositione suæ ordinationis & præscientiæ, quâ ordinavit & præscivit, ut res tale tempore haberent esse, & in æternum durarent, concedo antec. Ex tali autem suppositione habet res quod in æternitatis mensurâ existat, ut explicatum est supra. Quod si determinasset rem productam annihilare, tunc cessaret ordo ad talem effectum, quia voluntas Dei esset ut cessaret; 93. Qu. 5. de pot. art. 3. c.

cessaret;

cessaret; unde nec ejus voluntas, nec scientiâ mutaretur. *Ad 6.* inquit, *dicendum, quòd in actione Dei, quâ res producit, duo est considerare, scil. ipsam substantiam operationis, & ordinem ad effectum. Substantia quidem operationis, cùm sit divina essentia, æterna est, nec potest non esse. Ordo autem ad effectum dependet ex voluntate divina: ex qualibet enim actione facientis non sequitur effectus nisi secundùm exigentiam principij actionis: secundum enim modum caloris ignis calefacit. Vnde cùm principium factorum à Deo sit voluntas, secundùm hoc in actione divina est ordo ad effectum, prout voluntas determinat. Et ideo quamvis actio Dei cessare non possit secundùm suam substantiam; ordo tamen ad effectum cessare posset, si Deus vellet.* Videndus S.D. ibid.art.4.c.

94. Resp. ad 3. nullum esse inconveniens admittere infinitam multitudinem simul præsentem, & existentem in mensura æternitatis. Nec tamen ex hoc sequetur, quòd possit dari actu infinita multitudo in rebus, v.g. infinita multitudo cogitationum per totam æternitatem, quia æternitas non respicit illas cogitationes ut sibi correspondentes nisi pro illo nunc sive tempore, in quo erunt, & secundum quod sibi succedent, non autem prout simul existentes, ut ex dictis patet. Vnde, cùm secundùm successionem existentes, nequeant simul actu existere, non potest dari infinitum in actu, sed solùm in potentia, & syncathegoremmaticè.

95. Resp. ad 4. inconveniens communiter, quod nihil à divino intellectu cognosceretur ut futurum respectu æternitatis; bene verò respectu propriæ durationis, respectu cujus etiam unum dicitur esse alio prius. Ad exemplum de pene-
tratione

tratione corporum dicitur disparem esse rationem ; quia duo corpora inter se perfectè penetrata occupant eundem locum tam formaliter quam virtualiter ; subindéque nulla prioritate gaudere possunt, nec diversitate locali. Æternitas autem, cùm sit multiplex virtualiter continens omnem durationem creatam, secundùm diversas virtualitates cuilibet coëxistit. Vnde illa, quæ in æternitate continentur, inadæquatè illi coëxistunt : possúntque diversis durationibus propriis ab æternitate contentis mensurari, & respectivè ad illas præsentia, præterita, & futura ; vel priora & posteriora dici.

Resp. ad 5. inconveniens negando sequelam. Ad prob. Respondent quidam illas propositiones non esse formaliter & propriè contradictorias, quia non verificantur formaliter secundùm idem, sed secundùm diversa temporis instantia, quibus correspondet idem indivisibile nunc æternitatis, eaque continet. Vnde sensus est : Antichristus existit in æternitate, non quidem pro isto nunc, in quo futurum est, sed pro alio nunc seu duratione sequenti, in qua erit verum dicere, Antichristus est. Et è contra Antichristus non existit in æternitate pro isto nunc sed pro duratione sequenti, inadæquatè correspondenti toti æternitati ; sicut ista non sunt contradictoria : Petrus nunc sedet, Petrus post horam non sedebit : quia non sunt pro eodem nunc temporis. Quod autem faciunt in nobis diversæ temporis mensuræ ; id totum præstat idem nunc æternitatis indivisibile, & totum simul existens. Ad prob. antec. eodem modo respondent, quòd hæc propositio, Antichristus est non existens in æternitate, est 96.

vera ;

vera; si debitè intelligatur, nimirum pro hoc nunc temporis; falsa autem, ut simpliciter profertur.

97. Respondent alij secundo quòd si illæ propositiones sumantur formaliter, & ut absolutè prolata sunt absque aliqua determinatione, & modificatione, negativa absolutè est falsa; affirmativa autem vera. Quia negatio est malignantis naturæ destruens totum quod post se invenit. Vnde hæc propositio: Antichristus non est, seu non existit in æternitate; significat quòd Antichristus nullo modo est præsens & existens in illa; quòd est omnino falsum, ut ex dictis patet.

98. Resp. 3. Illustriss. Godoy, hanc Dialecticorum regulam esse intelligendam, quando propositio affirmativa de prædicato infinito enunciat mediante cogulâ uniente pro duratione indivisibili, tam formaliter, quam virtualiter: ut in hac *Petrus est non legens: ergo Petrus non legit*, tunc namque nullum in hoc modo arguendi vitium committitur; secus autem si copula uniat pro mensura aliqua, quæ quamvis sit indivisibilis, & una formaliter, est tamen divisibilis & multiplex virtualiter; tunc enim arguitur à non distributo ad distributum ex parte copulæ; cùm etenim in propositione affirmativa, negatio infinitanter accepta non cadat in copulam non distribuit illam: in negativa autem copulam distribuit, quia super illam cadit. Et quia æternitas est hujus conditionis, ut constat ex dictis; ideo in propositionibus, quarum copulæ uniunt pro illa, non tenet Dialecticorum regula; nam perinde est, ac si ita argueremus: *Antichristus habet non esse in aliqua*

qua

qua virtualitate æternitatis : ergo in nulla virtualitate illius habet esse, quod est falsum. Hæc solutio, ut patet, in idem recidit cum præcedentibus. Instantiæ, quæ contra prædictas solutiones adduci possunt, §. seq. adducentur, & dissolventur.

§. IX.

Alia argumenta dissolvuntur.

ARg. 5. Licet æternitas non sit formaliter extensa & successiva, est tamen successiva & extensa virtualiter: ergo datur in illa præteritum & futurum virtualiter: ergo licet Antichristus non sit futurus æternitati formaliter sumptæ, neque in illa formaliter sumptâ, est tamen futurus virtualiter in æternitate. 99.

Conf. Antichristus non est præsens æternitati, ut æquivalenti huic nunc nostri temporis: ergo sumptâ æternitate, ut huic nunc æquivalenti Antichristus est futurus. Patet conseq. Antichristus enim aliquam habitudinem ad æternitatem, ut æquivalentem huic nunc dicit; sed non habitudinem præsentis ad illam prout sic: ergo habitudinem futuri.

Resp. D. Godoy, concedendo conseq. nimirum dari in æternitate præteritum & futurum virtualiter; nec in hoc aliquod esse inconveniens, immo necessariò hoc admittendum esse: tum quia juxta qualitatem extensionis durativæ debet concedi successio: sed successio consistit in præsenti, præterito, & futuro: ergo extensio virtualis dicit præsens, præteritum, & futurum virtuale. Tum etiam quia distantia in duratione est penes præteritum, præsens, 100.

&

& futurum: sed Antichristus distat duratione ab æternitate, ut æquivalenti huic nunc nostri temporis: ergo non est præsens illi prout sic, sed vel præteritus vel futurus. Minor prob. 1. quia non est simul duratione ut æquivalenti huic nunc nostri temporis, aliàs esset simul duratione cum nostro tempore: ergo distat duratione ab illâ sic inadæquatè sumptâ. Secundò, quia existens Romæ distat loco ab existente Bononiæ, & virtualiter ab immensitate secundùm virtualitatem, quâ est præsens Bononiæ; aliàs existens Romæ esset præsens toti immensitati, nedum sumptæ formaliter, sed etiam omni illius virtualitati: ergo pariter Antichristus non existens in hoc nunc nostri temporis distat duratione ab æternitate, ut æquivalenti, & præsenti huic nunc nostri temporis. Tandem quia Antichristus est futurus nostræ durationi præsenti: ergo etiam est futurus æternitati, ut æquivalenti huic nunc.

101. Resp. 2. ex dictis supra dist. antec. æternitas est extensa, & successiva virtualiter, secundùm suam substantiam & esse quod habet in Deo, nego antec. secundùm actum animæ extendentis ipsam æternitatem ad omne tempus in propria mensura, vel relationem ad omnes res creatas in propria mensura, concedo antec. & dist. conseq. ergo datur in illa præteritum, & futurum virtualiter, si sumatur æternitas secundum esse, & substantiam ipsius nunc indivisibilis & per se stantis, nego conseq. si sumatur secundum acceptionem animæ referentis ipsam ad omne tempus præsens, præteritum, & futurum absque fine, vel secundum relationem ad omne tempus, & res creatas in

propriâ

propriâ mensurâ, secundum quam rationem sunt nobis præsentes, præteritæ & futuræ, concedo conseq. itaque absolutè loquendo Antichristus æternitati sumptæ secundùm esse, & substantiam ipsius indivisibilis nunc, & per se stantis, sive formaliter sive virtualiter sumatur, semper dicendus est præsens, & nullatenus futurus, sed est futurus nostro tempori, vel nobis extendentibus ipsum nunc indivisibile æternitatis ad omne tempus nostrum absque fine.

Resp. ad conf. similiter dist.antec. Antichristus non est præsens æternitati, ut æquivalenti huic nunc nostri temporis, in propriâ mensurâ accepti, & existentis, transeat: non est præsens æternitati ut æquivalenti huic nunc nostri temporis, ut contenti & existentis in ipsa æternitate, tanquam in mensura superiori, nego antec. Ergo sumptâ æternitate, ut huic nunc æquivalenti, Antichristus est futurus, in ordine ad propriam mensuram in se existentem, concedo; in ordine ad æternitatem continentem ut præsens omne tempus, & quidquid est in ipso tempore, nego conseq. Ad cujus prob. nego min. habitudo enim æternitatis ad futurum est præsentis ad præsens, ut docet D. Thom. quæst. 2. de verit. art. 12. ubi ait: *Aliquid cognoscitur ut futurum, quando inter cognitionem cognoscentis, & rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum. Hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam & quamcunque rem contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcunque est sicut ordo præsentis ad præsens.* 102.

Contra solutionem à se traditam instat D. 103.

Godoy ſic : Ergo Antichriſtus futurus non poteſt in hoc nunc noſtri temporis verè dici, & enunciari præſens Deo in æternitate. Conſeq. prob. Non poteſt in hoc nunc noſtri temporis enunciari præſens Deo in æternitate ut æquivalente huic nunc, nec in æternitate, ut æquivalente durationi Antichriſti futuræ : Ergo nequit in hoc nunc noſtri temporis ullo modo dici præſens Deo in æternitate. Antec.quoad 1. part. patet. Quoad 2. prob. æternitas ut æquivalens durationi Antichriſti non eſt præſens ſed futura : ergo non poteſt nunc enunciari præſens in æternitate, ut æquivalente durationi futuræ ipſius.

104. Reſpondet ipſe negando antec. pro ſecunda parte. Ad cujus prob. diſt. antec. ſic : dicta æquivalentia non eſt præſens in æternitate ut æquivalenti huic nunc, conc. antec. Non eſt præſens in æternitate ſumptâ formaliter, neg. antec. & conſeq. Nam licet æquivalentia ad durationem futuram non ſit ſimul cum æquivalentia ad durationem præſentem reduplicativè, & ſimultate virtuali, utraque tamen æquivalentia ſumpta formaliter eſt præſens,& neutra eſt futura æternitati ſumptæ formaliter. Et ſic verum eſt de Antichriſto in hoc nunc noſtri temporis enunciare, quod exiſtit in æternitate, verbo uniente pro nunc temporis ſumpto formaliter ; quamvis non ſit verum, quod exiſtit in æternitate ut æquivalenti huic nunc noſtri temporis.

105. Reſpondetur 2. diſt. conſeq.Antichriſtus futurus non poteſt in hoc nunc noſtri temporis verè dici, & enunciari præſens Deo in æternitate, pro iſto nunc, concedo : pro duratione

ſequenti,

sequenti, vel tempore futuro, quod ut præsens in mensura æternitatis coëxistit physicè, nego conseq. Ad cujus prob. dist. antec. quoad 1. part. Non potest in hoc nunc nostri temporis enunciari præsens Deo in æternitate, ut æquivalente huic nunc reduplicativè, & in propria mensurâ accepti, concedo antec. ut æquivalente huic nunc, & cuilibet alteri durationi in propria mensura acceptæ, & coëxistentis illi, nego antec. pro prima parte: Et dist. illud pro secunda parte: neque in æternitate ut æquivalenti durationi futuræ, ut futuræ sibi concedo: ut futuræ nobis & sibi præsenti, nego anteced. Ad cujus prob. nego antec. Æternitas enim ut æquivalens durationi futuræ Antichristi non respicit illam ut futuram sibi, sed nobis: sibi autem præsentem, & subinde etiam ut illi æquivalet, est præsens & non futura, ut ex dictis constat.

Sed ulteriùs ipse instat: Ergo non est concedendum absolutè, quod in hoc nunc nostri temporis in æternitate existit, sed quod existet. Conseq. prob. quia Paternitas Divina, ut virtualiter distincta ab essentia non communicatur Filio, quamvis sumpta realiter & secundùm esse communicetur Filio, hæc propositio est absolutè vera: *Paternitas non communicatur:* hæc autem est absolutè falsa: *Paternitas communicatur:* Ergo licet Antichristus sit præsens æternitati sumptæ formaliter, quia tamen non est præsens æternitati sumptæ virtualiter, prout æquivalet huic nunc nostri temporis, non est absolutè asserendum, *In hoc nunc nostri temporis Antichristus est præsens æternitati*; sed absolutè dicendus est futurus. 106.

107. Respondet idem Author negando utramque conseq. Ratio disparitatis est, quia nomine Paternitatis divinæ significatur entitas Divina, ut virtualiter ab essentiâ distincta. Et quia prout sic non communicatur, ideo absolutè dicitur, *Paternitas non communicatur.* Nomine autem æternitatis non significatur distinctio virtualitatum, sed æternitas secundùm suum esse formale: & ideo absolutè asseritur. *Antichristus est præsens Deo in æternitate:* & ut negetur, addendus est terminus explicans virtualitatum distinctionem, v. g. dicendo: *Antichristus non est præsens æternitati, ut æquivalenti huic nunc nostri temporis.* Nam per hujusmodi additamentum denotatur virtualitatum distinctio, secundùm quas Antichristus non existit Deo in æternitate.

108. Sed insistendo in nostra solutione respondetur dist. conseq. ergo non est concedendum absolutè, quòd in hoc nunc nostri temporis in æternitate existit, pro hoc ipso nunc, concedo; pro alio nunc, seu duratione sequenti, quæ est ut futura isti nunc nostri temporis, nego conseq. Ad cujus prob. concesso antecedenti dist. conseq. est dicendus futurus respectu ipsius æternitatis secundum suam substantiam & esse acceptæ nego: respectu hujus nunc nostri temporis, quod ipsi æternitati coëxistit in propria mensura, concedo conseq. Nam, ut dictum est supra, æternitas simpliciter est mensura indivisibilis secundùm substantiam & esse, & eatenus dicitur divisibilis, quatenus correspondet diversis temporibus sibi invicem succedentibus, quorum unum est ut futurum respectu alterius. Vnde dispar est ratio; quia paterni-

tas

tas secundum propriam rationē formalem non est essentia; sed est duplex ratio; at verò in æternitate est una simplex & indivisibilis ratio, & multiplex illa virtualitas est in ordine ad diversa tempora sibi invicem succedentia. Vnde omnia uni rationi indivisibili correspondent, sed tamen non eodem modo, ut in se considerantur. Sed & præterea instat: Ergo ad minus concedendum est, dari aliquam formalitatem in æternitate, cui Antichristus non coëxistat, quod non est à Thomistis admissum, vel admittendum. Conseq. prob. quia enim Paternitas, & essentia Divina virtualiter distinguuntur hæc est vera: *Aliquà Divina formalitas non communicatur Filio*, nempe Paternitas: Sed æternitas ut correspondens huic nunc nostri temporis, virtualiter distinguitur à seipsa, ut æquivalet tempori futuro Antichristi: ergo concedendum est dari aliquam formalitatem in æternitate, cui Antichristus non coëxistat.

Resp. idem author negando utramque conseq. Ratio discriminis est: nam inter Paternitatem & essentiam Divinam datur virtualis distinctio formalitatum; itaut quamvis distinctio sit virtualis, extrema tamen sunt formalitas, & formalitas. Et ideo verificatur unam formalitatem non communicari, & alteram communicari. Æternitas autem non dividitur adhuc ratione nostra in plures formalitates, sed est una & indivisibilis, tam formaliter quam virtualiter, propter sui eminentiam continens omnes temporum differentias, & illis æquivalens; sicut unica omnipotentia continet omnes creaturas, & unica scientia in Deo attingit 108.

omnia ſcibilia. Et ideo non datur in æternitate formalitas, cui Antichriſtus non coëxiſtat, ſicut in omnipotentia non datur formalitas non cognita ab intellectu beato, licet adæquatè non cognoſcatur.

109. Reſp.2. diſt. conſeq. datur aliqua formalitas in æternitate, cui Antichriſtus non coëxiſtat, ſi ſumatur æternitas ſecundùm ſuã ſubſtantiam & eſſe, nego conſeq. ſi ſumatur ſecundùm actum animæ extendentis ipſam æternitatem ad omne tempus in propria menſura acceptum, concedo conſeq. Ad prob. datâ maj. diſt. min. æternitas ut correſpondens huic nunc noſtri temporis, virtualiter diſtinguitur à ſeipſa, ſumptâ ſecundùm ſubſtantiam & eſſe ipſius menſuræ æternitatis, nego: ſecundum actum animæ extendentis ipſam ad omne tempus, quod eſt cum quadam ſucceſſione, & ordinatione conc. min. & conſeq. ut ſupra.

110. Contra: Diſtinctio virtualis, aut rationis formalitatum probatur ex verificatione duarum contradictoriarum, quia non poſſunt de illo, quod eſt idem re & ratione, verificari: Vnde quia iſtæ ſunt veræ: *Eſſentia communicatur:* Et Paternitas non communicatur, inferimus Paternitatem & eſſentiam Divinam ſaltim ratione diſtingui: ſed iſtæ ſunt veræ, *Æternitas ut continens durationem hodiernam, non continet Antichriſtum nec illi coëxiſtit: Æternitas ut continens durationem Antichriſti futuram coëxiſtit Antichriſto, & eſt illi præſens:* ergo inter æternitatem, ut continet durationem hodiernam, & ipſam ut continet durationem futuram, eſt diſtinctio ſaltim rationis ratiocinatæ.

111. Reſp. diſt. min. pro prima parte, Æternitas, ut

ut continens durationem hodiernam, non continet durationem Antichriſti futuram, ſi ly *ut* cadat ſupra rectum continentiæ ſumptum formaliter, neg. min. Si cadat ſupra rectum & obliquum, conc. min. & neg. conſeq. Quemadmodum enim quilibet beatus per viſionem beatificam attingit omnipotentiam, & illius continentiam ſumptam formaliter. Vnde videt omnipotentiam, ut continet equum, reduplicato eo, quod continentia equi in recto dicit: non tamen omnis & quælibet viſio attingit omnipotentiam ut continet equum, ſi ly *ut* cadat ſupra rectum, & obliquum: ita duratio futura coëxiſtit æternitati, ut continenti durationem hodiernam, ly *ut* cadente ſupra id, quod continentia durationis hodiernæ in recto importat; non tamen ſi cadat ſupra rectum & obliquum. Et ſicut hæc eſt vera: Omnipotentia ut continens hominem continet equum, ly *ut* cadente ſupra rectum; falſa autem ſi ly *ut* determinet, vel ſpecificet rectum & obliquum: ita ſimiliter de æternitate ut continente durationem hodiernam, & durationem futuram eſt diſcurrendum.

Reſp. 2. concesſâ maj. diſt. min. iſtæ propoſitiones ſunt veræ, Æternitas ut continens durationem hodiernam non continet Antichriſtum, ut præſentem ſibi phyſicè, nego: ut præſentem durationi hodiernæ phyſicè, concedo: nam reſpectu hujus durationis eſt futurus ſimpliciter Antichriſtus; non tamen eſt futurus æternitati Dei ambienti omnem durationem ſecundùm unum & idem eſſe ſimplex & indiviſibile. Similiter hæc alia propoſitio, 112.
Æternitas ut continens durationem Antichriſti

futuram coëxistit Antichristo, & est illi præsens, est distinguenda: nam si ly *futurum* respiciat æternitatem mensurantem, omnino supponit falsum: non enim ordo æternitatis ad tempus Antichristi est ordo præsentis ad futurum, sed præsentis ad præsens, ut ex D.Thom. diximus. Si autem respiciat durationem præsentem nostri temporis futura est nobis, sed non Deo, vel ejus æternitati, cui præsens est, & secundùm hoc coëxistit.

113. Contra 1. solut. instatur: Ergo quamvis duratio hodierna, & crastina inter se non coëxistant, utraque tamen coëxistit æternitati toti, & totaliter. Conseq. prob. nam utraque toti æternitati coëxistit secundùm omnem continentiam sumptam in recto, & solum utraque illi non coëxistit secundùm adæquatam continentiam pro eo quod continentia in obliquo importat: sed obliquus continentiæ durationis hodiernæ est hodierna duratio: ergo duratio crastina coëxistens æternitati, ut continenti durationem hodiernam secundùm id quod in recto dicit, non autem pro eo quod in obliquo importat, coëxistit toti æternitati, & totaliter, quamvis non coëxistat omni durationi creatæ in obliquo importatæ.

114. Respondet dist. conseq. coëxistit toti æternitati & totaliter, totalitate formali, conc. conseq. Totalitate eminentiali, nego conseq. Nam licet duratio crastina coëxistat æternitati ut continenti durationem hodiernam, continentiâ durationis hodiernæ sumptâ formaliter: non tamen coëxistit illi continentiæ eminentiali eminenter, id est, prout est in Deo ratio coëxistendi durationi hodiernæ; sicut beatus

videns

videns omnipotentiam videt omnem continentiam activam omnipotentiæ sumptam formaliter; & consequenter videt illam adæquatè & totaliter totalitate formali, non tamen videt omnem continentiam eminentialem eminentialiter: quia non videt omnipotentiam, ut est ratio videndi & cognoscendi omnem creaturam, sed aliquam. Et sicut nihil recti omnipotentiæ latet videntem, sumptâ omnipotentiâ formaliter, latet tamen continentia aliqua eminenter sumpta; quia non attingitur, prout est ratio cognoscendi omnem creaturam sed aliquam: ita nihil recti æternitatis formaliter non coëxistit durationi crastinæ, eminenter tamen non omnis virtualitas æternitati illi coëxistit, quia æternitas, ut est Deo ratio continendi durationem hodiernam, & illi coëxistendi, durationi crastinæ non coëxistit.

Arg. 6. Si Antichristus esset physicè præsens 115.
æternitati Dei, sequeretur posse Deum absolutè affirmare, Antichristus nunc est præsens physicè: sed hoc est falsum: ergo futura contingentia non sunt Deo ab æterno physicè in æternitate præsentia. Min. patet. Nam aliàs hæc propositio etiam à nobis prolata esset vera; cùm non varietur propositionum veritas ex distinctione proferentium: sed est falsa ut à nobis prolata: ergo etiam ut à Deo prolata. Maj. verò prob. Si Antichristus esset physicè præsens æternitati Divinæ, posset ipse Deus hodie absolutè affirmare: Ego sum præsens Antichristo: sed idem est, Deum esse præsentem Antichristo, & Antichristum esse Deo præsentem: ergo hæc absolutè erit vera: Antichristus mihi est præsens physicè: ergo etiam ista,

Anti

Antichristus est præsens. Patet consequentia, primò; nam hæc consequentia tenet: Est præsens Deo: ergo est præsens: ergo similiter si hæc propositio, Antichristus est præsens Deo, est vera absolutè prolata, hæc etiam: Antichristus est præsens; absolutè à Deo prolata erit vera. Secundò, quia illa propositio est vera absolutè, cujus extrema existunt in duratione proferentis propositionem: sed Antichristus existit, & est præsens in duratione Dei: ergo hæc propositio, Antichristus est præsens, vel Antichristus est existens, absolutè à Deo prolata est vera. Tertiò, nam à coëxistentia duorum ad illorum existentiam valet consequentia: ergo si hæc, Antichristus mihi coëxistit, vel mihi est præsens, à Deo prolata absolutè est vera; hæc etiam, Antichristus est præsens vel est existens, à Deo prolata absolutè est vera.

116. Resp. neg. sequelam. Ad cujus prob. resp. 1. negando maj. Nam Deum esse præsentem Antichristo propriè loquendo importat, Deum esse in prospectu ipsius Antichristi, vel illi adesse per operationem virtualiter transeuntem, quorum utrumque falsum est. Similiter neg. min. Nam Deum esse præsentem Antichristo importat quòd intuitus Antichristi feratur in Deum, & è contra Antichristum esse præsentem Deo importat quod sit in prospectu Dei, quorum primum falsum est, secundum autem verum. Resp. 2. dato toto syllogismo neg. secundam conseq. nimirum, Antichristus est præsens: quia absolutè loquendo importat, quòd in propria natura adsit, & existat: quod non est absolutè concedendum, sed quod existat in æternitate

nitate ceu mensurâ superiori, non quidem pro omni nunc, sed pro eo tempore in quo erit. Vnde cùm arguitur, Antichristus est Deo præsens, videlicet in mensura æternitatis; ergo est præsens, non valet, quia in antecedente importatur præsentia cum tali modo, & cum quadam restrictione, in consequente autem absolutè, & siletur talis modus. Per quod ad 1. prob. patet. Ad 2. nég. conseq. quia absolutè prolata non importat modum præsentiæ vel existentiæ, sicut importatur in minori. Ad 3. dicimus, quod à coëxistentia duorum in propria mensura valet consequentia simpliciter ad illorum existentiam: sic autem res ab æterno non coëxistunt Deo, sed in mensura superiori: ex quo solùm sequitur, quod existant in ista, & non in se, seu in propria natura ab æterno.

Arg. Septimò: quando primò Antichristus 117.
extra causas existet, primò æternitati Dei coëxistet: ergo nunc non coëxistit Deo in æternitate; aliàs tunc primò illi non coëxisteret, quia jam antea ipsi coëxistebat. Prob. antec. Aliter coëxistit Antichristus æternitati, quando extra causas existit, ac nunc, quando futurus est: sed hæc alietas in nullo alio consistere potest, quam in eo quòd extra causas existens coëxistit de præsenti æternitati, modò verò non de præsenti sed de futuro: ergo quando primò Antichristus extra causas existet, primò æternitati physicè coëxistet.

Resp. Illustris. Godoy dist. antec. Aliter 118.
coëxistit verbo uniente pro nunc æternitatis, ut mensura utriusque extremi invicem coëxistentis, neg. maj. verbo uniente pro nunc nostri temporis, & mensurante Christi existentiam, conc.

conc. maj. & sub eadem distinctione minoris neg. conseq. Si namque verbum uniat pro nunc æternitatis, nulla est differentia in hoc nunc, & in tunc Antichristi existentis: bene tamen verbo uniente pro nunc nostri temporis. Nam verbo sic uniente falsa est propositio enuncians nunc Antichristi coëxistentiam ad Deum, & existente Antichristo erit vera. Hoc autem non probat inceptionem in coëxistentia ad Deum in æternitate, sed in coëxistentia prout mensuratâ per nunc nostri temporis ex parte Antichristi.

119. Resp. 2. neg. antec. Ad cujus prob. dist. maj. aliter coëxistit, in ordine ad ipsam æternitatem, nego maj. aliter in ordine ad nostrum tempus, conc. maj. Nam æternitas est tota simul, & perfecta possessio secundùm idem indivisibile esse omnia ambiens & continens, quapropter in ordine ad ipsam mutatio accidere nequit, sed in ordine ad nostrum tempus, & res in eo existentes. Vnde negatur min. & conseq. Vide supradicta.

CAPVT VI.

An & quomodo physica rerum in æternitate præsentia ad intuitivam earum notitiam desideretur.

§. I.

Relatis variis dicendi modis deciditur quæstio.

120. QVòd ad intuitivam, quam de rebus temporalibus Deus habet notitiam, physica ipsarum

ipsarum in æternitate præsentia minimè desideretur, asserunt omnes Authores docentes ejusmodi res Deo in æternitate physicè non coëxistere, quos ipse Molina, nobiscum physicam illam præsentiam admittens sequitur. Oppositum asserunt communiter Thomistæ.

Prima concl. Præsentia rerum in æternitate 121.
per realem ipsarum coëxistentiam, ex parte ipsarum rerum est ratio objectiva, ut illa scientia, quam Deus de illis habet, sit intuitiva, & dicatur scientia visionis. Hanc efficaciter conclusionem ostendunt Patrum, ac D. Thomæ testimonia *cap. praced.* adducta. Deinde prob. rat. Ad notitiam verè intuitivam, prout ab abstractivâ distinguitur, omnino requiritur, quòd terminetur ad objectum physicè & realiter existens, seu præsens, & non solùm ut præsens objectivè, seu ut habet actu esse in cognoscente: sed futura ab æterno in propria durationis mensurâ non existunt: ergo ut ab æterno notitiam Dei intuitivam terminent, exigitur ut ab æterno in mensura æternitatis existant, & sint Deo physicè præsentia in illa. Maj. prob. primò ex D. Thom. *q. 3. de verit.* art. 3. ad 8. ubi ait: *Dicendum quòd simplex notitia dicitur non ad excludendum respectum scientiæ ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendum admistionem ejus, quod est extra genus notitiæ, sicut existentia rerum, quam addit scientia visionis.* Quod intelligi nequit de existentia rei objectiva, seu rei prout habet esse actu in ipso intellectu cognoscentis, hæc enim est intentionalis, & nullatenus extra genus notitiæ existens: ergo debet intelligi de existentia reali & physica, seu ipsius

ſius rei in propria natura exiſtentis : & ſubinde de ratione notitiæ intuitivæ eſt, quod terminetur ad objectum phyſicè præſens, & realiter in propria natura pro aliqua duratione exiſtens. Idem habetur ex eodem S. D. q.2. de verit. art. 9. ad 2. ubi ait: *Dicendum quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ & viſionis nullam differentiam important ex parte ſcientis, ſed ſolùm ex parte rei ſcitæ. Dicitur enim ſcientia viſionis in Deo ad ſimilitudinem viſus corporalis, qui res extra ſe poſitas intuetur. Vnde per ſcientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quæ ſunt extra ipſum, quæ ſunt vel præſentia, vel præterita, vel futura:* quæ autem ſunt extra Deum, habent phyſicè & realiter eſſe in ſe ſeu in propria natura : ergo ſcientia intuitiva ſeu viſionis reſpicit res prout realiter extra Deum habent eſſe, ſeu in ſeipſis & propria natura exiſtere.

122. Conf. ex dictis ; notitia intuitiva ſupra notitiam abſolutè dictam aliquid addit : ſed nonniſi terminari ad objectum actu & phyſicè ſeu in propria natura exiſtens, & ut ſic intellectui ut cognoſcenti præſens : ergo de ratione cujuſlibet notitiæ intuitivæ eſt ut terminetur ad objectum actu & phyſicè præſens, & in ſeipſo, ſeu in propria natura exiſtens. Prob. min. quia nulla cognitio fit niſi per hoc quod objectum eſt actu aliquo modo præſens intellectui intentionaliter, quia objectum ſe habet ut actus ipſius potentiæ actu informans, & perficiens illam mediante ſua ſpecie : ergo ſi notitia intuitiva ſupra notitiam ut ſic, & abſolutè dictam addit aliquid, nimirum præſentiam objecti, hæc præſentia debet eſſe phyſica, & rei in propria natura exiſtentis, & non ſolùm ut actu habet

eſſe

esse in cognoscente, aliàs omnis notitia esset intuitiva, quia in omni cognitione debet esse objectum actu præsens intellectui, ex objecto enim & potentia paritur notitia.

Tripliciter conantur Adversarij hanc rationem infringere, aut eludere: primò dicentes, 123.
sufficere ad rationem notitiæ intuitivæ, quod terminetur ad objectum non modò ut præsens est, sed etiam ut futurum, vel præteritum, quia quolibet ex his modis semper circa rei existentiam versatur. Contra, quia cognitio quæ respicit objectum ut futurum, non respicit ipsum ut existens, nisi in causis suis ut ordinatis ad effectum: sicut medicus secundùm hoc dicitur futuram mortem præscire, inquantùm scit naturalia principia esse ordinata ad defectum mortis, & eodem modo Astrologus dicitur præcognoscere futuras pluvias, aut ventos: sed effectus ut existens in sua causa non est simpliciter & in propria natura, seu in se existens & præsens: ergo cognitio ad ipsum ut sic terminata non est rei simpliciter præsentis, & in propria natura existentis, ac subinde non est simpliciter intuitiva. Qu.12. de verit. art.10.c.

Secundò aiunt, sufficere ad conceptum intuitionis, quod terminetur ad rem in seipsa, 124.
licet præsens physicè non sit. Contra, quia implicat cognitionem terminari ad rem in seipsa, seu in propria natura, & non terminari ad illam prout physicè præsentem, & realiter existentem: ergo si notitia intuitiva exigit terminari ad rem in seipsa, omnino requirit terminari ad illam, ut physicè præsentem, & actu in propria naturâ existens. Antec. prob. nam tripliciter duntaxat, ut diximus supra, contingit

tingit rem habere eſſe, nimirum in cauſis ſuis, in cognoſcente, & in ſeipſa, ſeu in propria natura: prout habet eſſe in cognoſcente nonniſi intentionaliter, & non phyſicè eſt præſens: ſimiliter prout habet eſſe in cauſis ſuis non exiſtit exiſtentia diſtinctâ ab exiſtentia ipſius cauſæ: ergo ut habet eſſe in ſeipſa, ſeu in propria natura, habet per ſe ſtare, ſeu exiſtere phyſicè: ergo ſi verſatur cognitio intuitiva ad rem in ſcipſa, verſatur ad eam ut phyſicè præſentem, & realiter exiſtentem.

125. Tertiò aiunt, cognitionem intuitivam non diſtingui ab abſtractiva per hoc,quod intuitiva terminetur ad objectum præſens & exiſtens; abſtractiva autem ab ipſius reali præſentia, & phyſica exiſtentia abſtrahat, ſed per hoc ſolùm quòd notitia intuitiva ſit cognitio ipſius objecti per propriam ſpeciem claram & diſtinctam moventem ipſum intellectum ad rem cognoſcendam ſecundùm eſſentiam, exiſtentiam, & alia accidentia; & quia Dei cognitio ſic terminatur ad objecta creata, idcirco intuitiva eſt, quamvis ab æterno non ſint in menſura æternitatis ei phyſicè præſentia, & coëxiſtentia.

126. Contra primo, quia exiſtentia & cætera accidentia etiam diſtinctè poſſunt & per propriam ſpeciem cognoſci prout habent eſſe in cognoſcente, vel in cauſis ſuis; ſed ut ſic nequeunt cognitionem intuitivam terminare: ergo ad cognitionem intuitivam non ſufficit, ut ſit cognitio objecti per propriam ſpeciem quomodocunque diſtinctam, & moventem ad ipſam exiſtentiam & accidentia cognoſcenda; ſed omnino requiritur ut verſetur circa ob-

jectum

jectum in se, seu in propria natura existens, & physicè præsens. Maj. patet, quia supposito quod futura physicè non coëxistant in æternitatis mensura, sed sint in Deo sicut in cognoscente, vel sicut in causa efficiente, finali, & ideali, tamen perfectè & distinctè per essentiam suam, ceu speciem omnium rerum, ea cognoscit propria cognitione, & subinde quoad essentiam, existentiam, & omnia accidentia. Minor verò ex dictis probata relinquitur.

§. II.

Solvuntur argumenta.

ARg. 1. notitia intuitiva non exigit necessariò terminari ad aliquod objectum physicè & realiter præsens, atque in aliqua duratione existens: ergo realis & physica ipsorum futurorum in æternitate præsentia, non exigitur necessariò, ut Deus de illis notitiam habeat intuitivam. Antec. prob. primò, notitia rei habita per propriam speciem, terminata ad ejus essentiam, existentiam, durationem, cæteraque accidentia est verè intuitiva, licet existentiam ipsius objecti antecedat; sed ejusmodi notitia potest haberi absque physica præsentia objecti extra causas in aliqua duratione existentis: ergo non est de ratione notitiæ intuitivæ, quòd terminetur ad objectum physicè & realiter præsens, atque in aliqua duratione existens. Maj. prob. ejusmodi notitia non est abstractiva, cùm ab objecti existentia non abstrahat: ergo intuitiva. 127.

Secundò prob. idem antec. ejusmodi notitia 128.

perseverare potest usque dum objectum ipsum sit physicè præsens, & in propria duratione existens, cùm nullam habeat cum physica illius præsentia repugnantiam, utpote illam durationem repræsentans: sed ipso objecto reddito præsenti erit intuitiva: ergo etiam ante illius præsentiam intuitiva erat. Conseq. prob. nam eadem notitia de abstractiva in intuitivam transire nequit, cùm divisio notitiæ in duo ista membra sit essentialis, & subinde per oppositas rationes & differentias.

129. Conf. primo cognitio quâ Prophetæ futura cognoscunt, est intuitiva; sed hujusmodi cognitio terminatur ad res physicè & realiter absentes, cùm futurum ut futurum non existat in se, & subinde cognitioni Prophetarum non coëxistit: ergo non est de ratione notitiæ intuitivæ, quòd terminetur ad objectum physicè præsens, atque realiter existens. Prob. maj. ex D. Thom. quæst. 12. de verit. art. 6. ubi docet, quòd cognitio prophetica est quædam participatio divinæ præscientiæ, sive cognitionis, quâ Deus res in æternitate intuetur: sed cognitio, quâ Deus res in æternitate intuetur, est intuitiva: ergo cognitio, quâ Prophetæ futura cognoscunt, est intuitiva. Conseq. à paritate rationis manifestatur: nam quia charitas creata est quædam amicitiæ divinæ participatio, est formaliter & essentialiter amicitia: ergo si cognitio prophetica est participatio Divinæ intuitionis, nequit non esse cognitio formaliter intuitiva.

130. Conf. 2. cognitio infusa Petro existenti Romæ de Paulo existente Venetiis repræsentans illum quoad existentiam & cætera accidentia

foret

foret intuitiva, quamvis non esset objecti localiter præsentis: ergo pariter cognitio rei sic ad illam terminata erit intuitiva non obstante distantia, seu non coëxistentia in eadem duratione.

Conf. 3. quia res in hoc mundo sublunari existentes intuitivè ab Angelo cognoscuntur, cui sunt physicè absentes: ergo ad notitiam intuitivam non exigitur necessariò, quòd terminetur ad objectum physicè præsens, & realiter existens. 131.

Resp. ad arg. neg. antec. Ad cujus 1. prob. negatâ maj. dist. antec. non abstrahit à duratione objecti, & existentia illius, prout habet esse in cognoscente, concedo anteç. prout habet esse in se seu in propria natura, & in exercitio ad extra, nego antec. & conseq. Notitia enim intuitiva non respicit rei existentiam quomodocunque, sed prout actus est rei in propria natura, & ad extra in exercitio existentis, & non prout habet esse in causis suis, vel in cognoscente. Cujus ratio ex D.Thom. est, quia notitia intellectualis intuitiva dicitur sic denominatione accepta ab ipso visu corporali, qui cum sit potentia passiva habet moveri ab objecto, & actuari ab ipso; ejusmodi autem motio non fit, nisi objectum ipsum ad extra sit physicè præsens, ut patet. Unde & ad notitiam intellectualem intuitivam idipsum necessariò requiritur, & non sufficit sola præsentia objectiva, quæ est objecti ut in cognoscente, quam habere potest ipse intellectus, etiam ipso objecto absente, formando idolum, vel speciem ipsius, quod sensibus exterioribus non competit, ut ostendimus tom. 5. clyp. Philos. 132.

133. Resp. 2. neg. antec. Ad cujus prob. dicimus implicare quod talis rei notitia habeatur per propriam speciem, & res ipsa non existat; nihil enim cognoscitur nisi sit, quia verum est objectum intellectus, verum autem cum ente convertitur. Vnde oportet ut habeat esse vel in se, vel in sua causa. Quod si cognoscatur ut habens esse in causa, jam non per propriam speciem ab ipsa acceptam cognoscitur, sed per speciem causæ. Quapropter notitia habita per propriam speciem debet esse ab ipsa re, considerata in se & in propriâ naturâ, accepta. Vnde Deus non habet propriam cognitionem de rebus per species ipsarum proprias ipsis non existentibus, sed per essentiam suam, quæ cum sit suum esse æternum, & æternitate mensuratum, quæ omnia circumscribit tempora, ut actus perfectus habet mensurare ab æterno illa, ut dictum est, & sic Deus habet propriam cognitionem intuitivam de rebus in propria natura existentibus ratione ipsius æternitatis mensurantis illarum durationem sub unico indivisibili & perfecto esse.

134. Ad 2. prob. resp. Illustriss. Godoy concessâ majori negando minorem: nam quamvis objectum sit præsens, si tamen cognitio ad illud ut præsens non terminetur, intuitiva non erit; ut constat in notitia intellectuali, quam Petrus clausis oculis habet de Paulo sibi coëxistente & præsente, quæ intuitiva non est, eò quòd, licet objectum sit præsens, est tamen materialiter duntaxat præsens, secus formaliter respectu notitiæ. Quod si teneamus, inquit, divisionem notitiæ in intuitivam & abstractivam esse accidentalem; & denominationem intui-

tionis

tionis extrinsecam esse à præsentia objecti desumptam, tunc concessâ majori, & minori negatur consequentia, nimirum prædictam divisionem esse essentialem.

Resp. 2. dist. maj. talis notitia perseverare potest, formaliter eadem manens, nego maj. manens eadē materialiter, & formaliter distincta, concedo maj. & concessâ min. neg. conseq. licet enim illa cognitio sit ejusdem objecti materialiter, sed non formaliter, & sub eadem ratione formali terminandi potentiam: Sicut etiam si dum video Petrum sedere, me continuante visionem ipse surgat, non erit eadem cognitio formaliter propter diversam objecti dispositionem, ratione cujus aliter se habet nunc, quam antea. Et inde probavimus cognitionem Dei fore variabilem, nisi res ipsæ ab æterno essent ei physicè præsentes in æternitatis mensura: quia variaretur conditio objecti, & fieret ei præsens in propria natura, de non præsente in propria natura, sed in cognoscente tantùm. 135.

Resp. ad 1. conf. communi solutione neg. maj. Ad cujus prob. dicitur cognitionem Propheticam dici quandam participationem divinæ præscientiæ propter infallibilitatem cognitionis, cui falsum minimè subesse potest: non autem intuitionem. Quemadmodum fidei cognitio supernaturalitatem & infallibilitatem Divinæ cognitionis participat, non tamen illius evidentiam & claritatem. 136.

Resp. 2. concessâ maj. nimirùm quòd Prophetica cognitio sit quodammodo intuitiva, dist. min. terminatur ad res absentes in propria natura, & durationis mensura inferiori, conc. 137.

Absentes in mensura æternitatis, neg. min. Nam species illæ infusæ menti Prophetæ, cum æternitatem repræsentent, in qua futura sunt physicè præsentia, efficiunt ut ratione æternitatis repræsentatæ Prophetæ intuitus sic in illa ut præsentia feratur. *Ex hoc*, inquit, *Deo competit futura certitudinaliter ut præsentia cognoscere, quia ejus intuitus æternitate mensuratur, quæ est tota simul; unde ejus aspectui subjacent omnia tempora, & quæ in eis geruntur. Inquantùm igitur ab isto Divino aspectu resultat in mente Prophetæ futurorum scientia per lumen propheticum, & per species in quibus Propheta videt, ipsæ species simul cum lumine prophetico speculum æternitatis dicuntur; quia Divinum intuitum repræsentant, prout in æternitate futurorum eventus præsentialiter inspicit.* Et clariùs solut. ad 2. ostendens cur prophetica cognitio sit privilegiata. *Dicendum*, inquit, *quod quamvis omnis cognitio à Divina præscientia derivetur, non tamen omnis cognitio repræsentet eam, ut ratione æternitatis etiam futura præsentialiter intueatur. Vnde non potest dici qualibet scientia speculum æternitatis, sed in hoc privilegiata ostenditur cognitio Prophetarum.*

138. Resp. ad 2. Conf. neg. conseq. ratio discriminis est, quia illa prima cognitio non obstante locali rerum distantia ad objectum physicè præsens, & in seipso exercitè existens terminaretur, & subinde necessariò intuitiva esset. At verò dato quod cognitio ad objectum in aliqua duratione distans, seu exercitè non existens terminetur, necessariò abstractiva debet esse, & non intuitiva, de cujus ratione est ut supra genus notitiæ existentiam rei addat, ut docet S. D. q. 3. de verit.

Resp. ad 3. similiter, quod esto res in hoc mundo sublunari existentes videantur ab Angelo distantia locali abesse, in ratione tamen objecti visibilis sunt ei physicè præsentes; quia cùm ejus intuitus sit purè spiritualis non indigens corporali medio ad videndum, nihil prorsus officit distantia localis, nec prohibet quin res quantumvis localiter distantes intueatur ut sibi physicè præsentes.

Arg. 2. Cognitio quâ Deus causat res creatas, & illas de nihilo ad existentiam deducit, est intuitiva: sed non terminatur ad objectum, ut exercitè existens, & physicè præsens: ergo non est de ratione notitiæ intuitivæ, quòd hoc modo ad suum objectum terminetur: & subinde absque hujusmodi physica in æternitate præsentia poterit Deus de rebus intuitivam habere notitiam. Min. prob. quia illa cognitio est prior ipsis rebus: ergo non respicit illas ut existentes. 140.

Conf. 1. cognitio Dei respectu futurorum contingentium est intuitiva ab æterno adæquatè, & secundùm omnem ipsius æternitatis virtualitatem: sed futura non sunt physicè præsentia æternitati adæquatè sumptæ, & secundùm omnem ejus virtualitatem: ergo realis & physica objecti in æternitate præsentia necessariò ad notitiam intuitivam non exigitur. 141.

Conf. 2. quemadmodum ad notitiam intuitivam physica objecti præsentia requiritur, ita ad abstractivam absentia illius, sed potest notitia abstractiva ad objectum physicè præsens terminari: ergo etiam intuitiva ad objectum physicè & realiter absens. Prob. min. si aliquis 142.

non attenderet actualiter ad præſentiam objecti realiter præſentis, ſolùm abſtractivè illud cognoſceret, non obſtante reali & phyſica præſentia talis objecti: ergo cognitio abſtractiva terminari poteſt ad objectum realiter & phyſicè præſens cognoſcenti.

143. Reſp. ad arg. communi ſolutione conceſsâ maj. neg. min. Ad cujus prob. diſt. antec. Eſt prior prioritate naturæ, ſive cauſalitatis, concedo: prioritate temporis, ſive durationis, nego antec. nam in eodem inſtanti in quo, ſeu in eadem menſura durationis, in qua verificatur exiſtentia cognitionis intuitivæ Dei, ſimul verificatur coëxiſtentia creaturarum; & hæc ſimultas ſufficit inter cognitionem intuitivam, & exiſtentiam ſui objecti: cùm ratione ejuſmodi ſimultatis abſolutè verificetur objectum cognitioni Divinæ coëxiſtere, quamvis effectivè ab illa pendeat. Licet enim ſpecificativum cognitionis purè ſpeculativæ ſit prius ipſa, non tamen ſpecificativum cognitionis practicæ, cujuſmodi eſt cognitio reſpectu exiſtentiæ creaturarum.

144. Reſp. 2. conceſsâ maj. neg. min. Ad cujus prob. diſt. antec. cògnitio eſt prior rebus, inquantùm intuitiva eſt, nego antec. inquantum practica & cauſativa rerum, conc. antec. Vnde ut practica reſpicit exiſtentiam rerum ut quid poſterius, ut ſpeculativa quodammodo ſupponit, vel ſimul cum ea eſt. Nec enim eſt inconveniens, quod ille reſpectus viſionis, quo Divina ſcientia denominatur viſionis, ſive intuitiva, ab ipſis rebus, ſicut ab objecto quodammodo proveniat, ut habet repræſentari in Divina eſſentia, cum ſpecie intelligibili repræſentante

sentante illud secundum esse physicum, quod habet in propriâ naturâ. Similiter nec est necesse ad notitiam intuitivam, quod ipsam præcidat duratione aliquâ objectum præsens, ut patet de cognitione intuitivâ Patris, quâ generat Verbum, quæ est intuitiva ipsius Verbi. Sed sat est quod sint simul naturâ cognitio intuitiva & objectum præsens. Sic ergo scientia visionis in Deo est simul cum objecto præsenti, quod causat verum; est tamen priùs natura si consideratur, ut productiva objecti præsentis, quam ut intuitiva illius. In quo sensu dicitur, quod ideo res futuras Deus præsciat, quia ipse futuræ sunt nobis, ut diximus supra ex S. D. hic art. 8. ad 1.

Ad 1. conf. resp. communiter Thomistæ majorem esse veram in sensu specificativo; non autem in sensu reduplicativo: hoc est, licet Divina cognitio, quatenus intuitiva est, æternitate mensuretur, ut coëxistente omni durationi veræ, aut imaginariæ, non tamen habet, quòd sit intuitio ex illa coëxistentia ad omnem durationem, sed solùm ad illam in qua res erit physicè præsens & existens. Iuxta quam distinctionem admissâ majori & minori negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia præsentia objecti physica solùm est necessaria pro illa duratione, in qua habet intuitionis rationem, sed non ex illa: & quia Dei cognitio non habet ex æternitate secundùm omnem sui virtualitatem, quòd intuitiva sit, sed secundùm aliquam ipsius virtualitatem tantùm, hinc fit quòd non requiratur physica futurorum in æternitate præsentia secundum omnem sui virtualitatem, sed secundùm aliquam duntaxat. 145.

Vndę

Vnde licet cognitio, quâ Deus cognoſcit v. g. Antichriſtum ut præſentem in nunc ſuæ æternitatis, ſit intuitiva illius ſecundùm quod tale nunc ratione ſuæ infinitatis virtualiter ſe extendit ad illam temporis differentiam, in qua Antichriſtus erit aliquando præſens & exiſtens; non tamen eſt intuitiva ſed abſtractiva, quatenus illum cognoſcit, in nunc æternitatis, ut correſpondet tempori præſenti; quia ſub illa æternitatis virtualitate Antichriſtus, cùm non ſit præſens ſed futurus, nequit cognitionem Dei intuitivam terminare, ſed ſolùm abſtractivam.

146. Contra primo creata cognitio nequit eſſe intuitiva alicujus objecti in duratione, ex qua non habeat conceptum intuitionis: ergo pariter cognitio Divina; & ſubinde ſi in omni virtualitate æternitatis eſt intuitiva reſpectu creaturarum, ex omni æternitatis virtualitate conceptum intuitionis habere debet.

147. Contra ſecundo in omni virtualitate æternitatis, in qua conceptum intuitionis Divina cognitio obtinet, debet ei correſpondere objectũ, ad quod terminetur: ergo vel ſecundum eſſe cognitum, & objectivum tantùm, & ſic erit abſtractiva cognitio; vel ſecundùm eſſe phyſicum & reale, & ſic obtinere non poterit conceptum intuitionis, quin pro omni æternitatis virtualitate futura Deo in æternitate ab æterno coëxiſtant.

148. Reſp. ad 1. Illuſtriſſ. Godoy conceſſo antecedenti neg. conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia duratio menſurans creatam cognitionem continere nequit anticipatè objectum, ad quod ipſa cognitio terminatur, & ideo nequit eſſe intui

intuitiva in duratione aliqua niſi reſpectu objecti ſibi in eadem duratione coëxiſtentis. Eò autem ipſo quòd in eadem duratione creata objectum, & cognitio coëxiſtant, obtinet cognitio conceptum intuitionis ex tali duratione; Et quia duratio menſurans cognitionem Divinam infinita eſt, anticipatè durationes creatas ſecundùm diverſas ſui virtualitates continet. Quapropter eo ipſo quod ſecundùm unam, alicujus rei creatæ durationem contineat, divina cognitio in omni æternitatis virtualitate ad illud intuitivè terminatur: Vnde fit ut in aliqua virtualitate obtinere poſſit conceptum intuitionis, quin ex tali virtualitate ei competat, quòd ſit intuitiva, ſed ex alia, ratione cujus talis rei durationem continet, & illi coëxiſtit.

Ad 2. reſp. idem Author conceſſo antecedenti diſt. conſeq. ſecundùm eſſe objectivum correſpondet ei objectum pro illa virtualitate, & phyſicum pro alia ejuſdem durationis, conc. Secundùm eſſe objectivum tantùm in tota illa duratione, nego conſeq. Ex quo non infertur, quòd Divina cognitio, adhuc pro illa virtualitate ſit abſtractiva. Quia ad hoc exigebatur, quòd non eſſet præſens ſecundùm eſſe phyſicum in æternitate nec ſecundùm unam virtualitatem, nec ſecundùm aliam. 149.

Reſp. 2. ad eandem 1. Conf. quod equidem cognitio Dei reſpectu futurorum contingentium eſt intuitiva ab æterno adæquatè, & ſecundum omnem ipſius æternitatis virtualitatem. Cognitio enim fit per hoc quod cognitum eſt in cognoſcente, ab æterno autem eſt futurum ut præſens Deo in menſura ſuperiori ipſius æternitatis ſumptæ ſecundum omnem 150.

ipsius virtualitatem, & quatenus per actum animæ distenditur ad omne tempus, & ultra tempora, quæ supergreditur æternitas. Vnde dist. min. Futura non sunt physicè præsentia in æternitate adæquatè sumptâ & secundum omnem ejus virtualitatem, ex parte cognoscentis, nego min. Nulla enim nec modica æternitatis duratio, vel virtualitas est, in qua Deus non intueatur rem ut physicè præsentem cùm ejus cognitio æternitate mensuretur. Ex parte rei cognitæ, conc. min. Certum enim est quod futurum non coëxistit in se æternitati adæquatè sumptæ, aliàs æternum esset, sed inadæquatè & pro illa duratione duntaxat, in qua erit verum dicere nunc est, ut supra toties inculcavimus. Tamen semper divina cognitio fertur in illud præsentialiter, & in præsentialitate sua ipsum intuetur, cum non sit ejus cognitio successiva.

151. Resp. ad 2. Conf. neg. min. Ad cujus prob. dicimus ad notitiam intuitivam non sufficere quamlibet physicam objecti præsentiam, sed requiri præsentiam rei, quâ sit præsens cognoscenti ut cognoscens est, & qua dicitur res esse in prospectu cognoscentis. In eo autem casu objectum non esset præsens physicè cognoscenti, ut cognoscens est, in propria natura, & secundum seipsam. Vnde illa notitia non esset propriè & formaliter intuitiva. Quia objectum esset absens à cognoscente, ut cognoscens est actu, licet esset physicè indistans entitativè, & in ordine ad locum. Ad illud, quod de ævo Angelico objici solet, nimirum quod illi omnia futura sint physicè præsentia, cùm sit duratio omnino indivisibilis, nec tamen in eo cognoscan

noscantur, patet ex dictis cap. præcedenti. Quia licet ævum Angelicum successione careat, attamen non habet continere omnem ejusmodi virtualem durationem. An autem præsentia hæc physica rerum in æternitate ad certam, & infallibilem futurorum contingentium cognitionem omnino necessaria sit, necne, infra commodiùs discutiemus.

CAPVT VII.

Vtrum Deus certò & infallibiliter cognoscat futura contingentia conditionata.

§. I.

Quibusdam prænotatis deciditur quæstio.

FVturum conditionatum est illud, quod significatur per enunciationem conditionalem, seu in qua sive formaliter, sive virtualiter aut æquivalenter hæc conditio *si* constituitur, formaliter quidem & explicitè, v.g. *Si Petrus currit, movetur*; æquivalenter autem sive virtualiter, v.g. *Raptus est puer ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius*: Sap. 4. c. Quæ enunciatio æquivalet huic: Si puer diutiùs maneret in hac vitâ, malitia mutaret intellectum ejus, & fictio animam illius deciperet. De quo Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 14. *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum ejus: Dictum est secundùm pericula vitæ ejus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat:* 152.

erat : non quod futurum non erat ; id est , quod ei mortem immaturam fuerat largiturus ut tentationum subtraheretur incerto , non quòd peccaturus esset, qui in tentatione mansurus non esset.

153. Enunciatio conditionalis duplex est , sive dupliciter sumitur ; alia est , in qua hæc dictio conditionalis *si* sumitur illativè, & vim consequentiæ habet nullo alio extrinseco adhibito vel supposito ; v. g. *Si Petrus volat , habet alas : Si currit , movetur* ; quæ conditionales simul sunt enunciationes , & argumentationes. Veritas conditionalis sic acceptæ stat in consequentia terminorum, qui sunt in consequente , ad terminos qui sunt in antecedente ; v.g. quia animal necessariò sequitur ad hominem , certum est quod si aliquid fuerit homo , erit animal ; & quia ad currere sequitur moveri , necessariò & rectè infertur quod quidquid currit , movetur. Ea propter dicitur , quòd ad veritatem conditionalis hoc pacto sumptæ requiritur , ut antecedens non possit esse verum sine consequente ; quia tanta est necessitas consequentis ad antecedens , quòd sicut se habet ipsum antecedens , ita & consequens. Et inde est quòd omnis conditionalis vera est necessaria ; falsa autem impossibilis. Et sic patet,quòd conditionalis potest esse vera , utraque ejus parte existente falsâ , vel impossibili ; dummodo adsit consequentia terminorum , & non sola consequentia.

154. Alia est conditionalis , in qua conditio *si* non infert ex vi illationis & consequentiæ intrinsecè , & ex ratione terminorum , sed tantùm dicit concomitantiam seu illationem fundatam in aliqua promissione , seu proposito

to alterius, vel in quacunque aliâ causâ superadditâ, quâ tamen appositâ antecedens infert consequens; ut si dicatur, *Si oraveris pro me ad Regem, dabo tibi librum*; dare enim librum non habet intrinsecam aliquam connexionem cum hujusmodi oratione; & termini positi in consequenti non sequuntur necessariò ad terminos in antecedente positos. Vnde ad veritatem hujusmodi conditionalium nihil aliud requiritur, nisi quòd homo, cùm hæc promittit, habeat propositum dandi quod promittit; & per oppositum ad falsitatem earum sufficit, quòd sic promittens non habeat propositum dandi quod promisit. Quapropter istæ conditionales non sunt necessariæ seu impossibiles sicut primæ, sed contingenter variantur, & aliquando veræ, aliquando falsæ redduntur, secundùm quòd hominis propositum variatur.

Ex quo sequitur, quòd cùm Dei voluntas, 155.
seu promissio, ac propositum sint omnino invariabilia, certaque, firma, & infallibilia perseverent, veritas conditionalium, quæ fundatur in proposito seu promissione Dei, firma, certa, & infallibilis est, seu consequens ad antecedens infallibiliter sequitur. Idcirco hujusmodi conditionalis necessaria efficitur, non quidem absolutè & ex ratione terminorum, sicut in conditionalibus primi generis contingit, sed ex suppositione divini propositi, seu promissionis firmæ & immutabilis Dei: & consequens sequitur necessariò ad antecedens non absolutè, sed ut stat sub tali proposito, & promissione divina: objectaque illarum propositionum, videlicet futura ipsa conditionata, habent infallibilem veritatem.

156. Notandum est quod cum hæc conditionalis
Quod- *si* possit importare ordinem causæ vel principij,
lib. 5. & ordinem consequentiæ, ad veritatem & ne-
art. 4. c. cessariam illationem cujuslibet conditionalis, sive primi, sive secundi generis, non est necessarium ut hujusmodi conditionalis, quæ exprimitur, dicat propriè ordinem causæ & principij ad terminos consequentis, sed sufficit ut sit aliquando effectus necessariò connexus, vel conditio, quâ positâ aliud apponitur, quod propriè illud consequens inferat. Exempla sunt manifesta in conditionalibus primi ordinis, *Si Petrus est risibilis, est rationalis*, quæ est absolutè necessaria, & tamen conditio non importat ordinem causæ vel principij in antecedente ad consequens, sed effectus duntaxat necessariò connexi. Similiter in hac conditionali, *Si ignis applicetur ligno, seu passo disposito, comburet*: conditio præcisam habet rationem conditionis, & non causæ propriæ. Exemplum secundi generis habetur Lucæ 10. Matth. 11. *Si in Tyro & Sydone facta fuissent virtutes &c. Ipsi conversi fuissent, & credidissent*, quæ fuit conditionalis verissima, atque certissima, cùm tamen conditio in ejusmodi conditionali expressa non denotet, aut denotare possit causam propriè causantem illum effectum. Exemplum manifectius habetur in eo quod dixit Elisæus ad Ioam Regem Israël, *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Lib. 4. Reg. cap. 13. Vbi certissimum est conditionem illam de percutiendâ quinquies, sexies, aut septies terrâ, nullatenus denotare ordinem

ordinem propriæ causæ illius devastationis, quæ certissimè futura erat, si sic percussisset.

Notandum est 2. quòd præter hujusmodi conditionata, quædam alia sunt, quæ non important infallibilem connexionem, sed tantùm probabilem seu moralem cum conditionibus suis, v. g. si Petrus duxerit choreas cum hac vel illâ muliere, peccabit. Alia sunt, quæ ex meritis propriorum objectorum disparatam omnino conditionem important; sicut est illud, *Si Petrus perrexerit ad campum, Paulus in civitate morietur.* 157.

Notandum est 3. quod ut aliquid sit verè futurum conditionatum, impertinens omnino est quòd postea in re ponatur, & in aliquâ temporis differentiâ verificetur: hoc enim ex accidenti illi advenit, vereque erit conditionatum futurum, si supradicta serventur, quamvis postea in re ponatur: quia in his attendenda venit propositionis conditionalis forma, non autem quid postea rei producat eventus; v. g. futurum conditionatum, hoc est, *Si veneris ad me hora matutinâ, invitabo te*; licet postea eveniat, quod ipse adveniat, & de facto invitetur. Similiter illud *Si in Tyro & Sydone*, &c. apud omnes pro futuro conditionato habetur, & tamen non desunt Doctores graves, & magnæ authoritatis, qui dicant illud tempore Apostolorum fuisse impletum, cùm ejusmodi populi per Apostolos ad fidem conversi sunt. Ita Rabanus in cat. D. Thom. Matth. 11. c. dicens: *Impletum hodie videmus dictum Salvatoris, quia scil. Corozaïm & Bethsaïda præsente Domino credere noluerunt, Tyrus autem & Sidon postea evangelizantibus discipulis crediderunt.* Idem

asserunt Beda in cat. ad cap. 10. Lucæ. Theophilactus, Lyranus, & alij.

358. Certum est Deum per scientiam simplicis intelligentiæ certò & infallibiliter cognoscere omnia conditionata, quæ accipiuntur ex vi illationis & consequentiæ tenentis ex vi terminorum, cujusmodi sunt, *Si Petrus est homo, est animal rationale; Si Paulus currit, movetur: Si Deus efficaciter aliquid voluerit, illud erit: Si Deus efficaciter moverit voluntatem creatam ad aliquid liberè operandum, ipsa liberè operabitur: Si Petrus habuerit donum perseverantiæ, ipse perseverabit*, & alia similia, in quibus est intrinseca, & infallibilis connexio, etiam ex vi illationis & consequentiæ, nullâ factâ, vel præsuppositâ liberâ divinæ voluntatis determinatione. Ratio est manifesta: quia omnis conditionalis vera debet esse necessaria: sed ad veritatem & necessitatem conditionalis solùm requiritur necessaria habitudo antecedentis & consequentis, ut passim docet S. D. ergo cùm omnes ejusmodi enunciationes conditionales, quæ accipiuntur ex vi illationis, & consequentiæ tenentis ex vi terminorum sint veræ, erunt necessariæ, & subinde per scientiam simplicis intelligentiæ, seu necessariam à Deo cognoscuntur. Ex quo sequitur, quòd antecedens potest esse absolutè liberum, & tamen conditionalis necessaria, ut ista: *Si Deus dederit alicui auxilium efficax ad liberam sui conversionem, ille liberè convertetur.* Immò potest esse antecedens impossibile, & simul consequens, & tamen conditionalis vera & necessaria: v. g. *Si homo est equus, est irrationalis: Si viginti sunt minus quam duo, sunt minùs quam decem*, ut docet S. D.

Opusc. 48. c. ult. q. 24. de verit. a. 1. ad 13. 1. cont. gent. c. 67. & 6. Metaph. lect. 3. 1. p. q. 25. art. 3. ad 2. in 1. d. 42. q. 2. a. 3. dist. 12. q. 1. art. 1.

1. cont. gent. c. 13. c. 20. & q. 1. de pot. art. 6.

Certum

Certum etiam eſt, futura conditionata habentia conditiones omnino diſparatas, ſi in vi conſequentiæ & illationis accipiantur, non poſſe ab intellectu certò cognoſci, eſto aliunde infallibilem eorum cognitionem habere poſſit, ut infra dicetur. Ratio eſt, quia termini conſequentis non ſunt ex vi illationis neceſſariò connexi cum terminis antecedentis: ſed quod non habet veritatem neceſſariam, non poteſt certò cognoſci: ergo illa ex vi illationis certò cognoſci nequeunt. Similiter certum eſſe debet, futura conditionata, quæ tantùm probabilem ſeu moralem, aut conjecturalem, & non intrinſecam connexionem important, ex vi illationis non poſſe certò cognoſci, propter eandem rationem; ſed aliunde mutuare certitudinem & infallibilitatem, ut à Deo ſciri poſſint. Quomodo autem certò cognoſci poſſint à divino intellectu infra dicetur. Impræſentiarum ſat nobis ſit oſtendere Deum certò infallibiliter futura contingentia cognoſcere, etiam ea quæ infallibilem, & intrinſecam connexionem conſequentis cum antecedenti ex vi illationis non important. 159.

Hæc veritas plurimis Sacræ Scripturæ teſtimoniis ſuaderi poteſt, ex quibus urgentiora ſeligemus, & adducemus. Prima habetur lib.1. Reg. cap.23. de Davide conſulente Dominum: *Si tradent me*, inquit, *viri Ceïla in manibus ejus, & ſi deſcendet Saul, ſicut audivit famulus tuus? Domine Deus Iſraël indica ſervo tuo. Et ait Dominus, deſcendet. Dixitque David, ſi tradent me viri Ceïla, & viros qui ſunt mecum in manu Saul? Et dixit Dominus, tradent.* Vbi, ut manifeſtum eſt, Dominus reſpondit, non quidem 160.

id quod poſſibile erat ; neque enim illum de hoc David interrogaverat, ſed quod certiſſimè eventurum erat : cognoſcit igitur certè & infallibiliter Deus ejuſmodi futura conditionata, quæ infallibilem, & intrinſecam connexionem non habent, nec enim infallibilis erat traditio Davidis in manus Saul cum manſione illius in Ceila ex natura rei. Sed hanc veritatem manifeſtiùs demonſtrat illud quod legitur lib.3.Reg. c.11. Quod nimirum *Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël : Non ingredimini ad eas, nec de illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim avertent corda veſtra ut ſequamini Deos earum.* Vbi certò prænunciat Dominus, quod mulieres alienigenæ à cultu Dei filios Iſraël averſuræ eſſent, ſi ad eas ingrederentur, cum tamen non ſit ibi niſi moralis certitudo ex vi illationis. Similiter lib.4. Reg.cap.13.refertur, quod dixit Eliſæus ad Ioas : *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem.* Vbi certiſſimè prædicitur Syriæ devaſtatio ſi appoſita fuiſſet illa conditio, quæ tamen diſparatè ſe habet ex natura rei ad hujuſmodi eventum : nec umquam appoſita fuit, & neutiquam dicit infallibilem connexionem devaſtationis Syriæ cum percuſſione illa terræ.

161. Sed præ cæteris manifeſtiùs hanc veritatem oſtendit illud de Tyriorum & Sidoniorum converſione futurâ, ſi in Tyro & Sydone (quæ ſunt urbes Phœnicis) factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt à Chriſto Domino in Bethſaida, & Corozaim, (quæ ſunt civitates Galileæ ſitæ in littore maris, ut obſervat Rabanus

in cat. D. Thom.) de quo habetur Matth. 11. c.& Lucæ 10. *Væ tibi Corozaim*, inquit, *væ tibi Bethsaïda, quia si in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent:* cognovit igitur certò & infallibiliter Dominus futuram illorum conversionem, & pœnitentiam in cinere & cilicio agendam, si hujusmodi conditio opposita fuisset. Vnde S. Prosper ad excerpta Genuensium cap. 8. exponens prædictum locum, *Nos*, ait, *etiamsi rationem facti, & profunditatem judicij ejus penetrare non possumus, manifestè tamen scimus & verum esse, quod dixit, & justum esse quod fecit.* Quam doctrinam desumpsit ex D. Augustino lib. de dono persever. c. 9. ubi ait: *Nunquid possumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cùm eis ipse Dominus attestetur quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum.* Sunt alia plurima S. Scripturæ testimonia, quæ hanc veritatem apertè demonstrant, à quibus brevitatis gratiâ abstinemus.

Ex his & similibus hæc ratio breviter deducitur: Revelatio Dei non est de aliquo incerto & dubio, sed omnimodam certitudinem & infallibilitatem habet: sed Deus revelavit multa futura fore, si talis, vel talis conditio apponeretur, quæ apposita non fuit: ergo Deus illa omnia certò & infallibiliter cognovit, & non conjecturaliter tantùm: cum conjecturalis cognitio maximam dicat imperfectionem, & falsitati subesse possit, quod omnino scientiæ Dei repugnat. 162.

163. Conf. quod habet determinatam veritatem certò à Deo cognoſcitur : ſed ejuſmodi futura conditionata determinatam habent veritatem : ergo Deus ea certò cognoſcit. Prob. min. ejuſmodi futura ſub conditione futuritioně determinatam habent, quia ſi purificaretur conditio, actu eſſent : ſed quod habet determinatam futuritionem, determinatam etiam veritatem habet, quia eſt determinatum ad hoc ut ſit in aliqua temporis differentia : ergo futura conditionata determinatam habent veritatem. Argumenta, quæ hanc reſolutionem infringere videntur, infra diſſolventur.

CAPVT VIII.

Referuntur varij dicendi modi, quibus Deus futura contingentia, præſertim libera, tam abſoluta, quàm conditionata certò, & infallibiliter cognoſcere à Theologis aſſeritur.

§. I.

Modi dicendi circa abſolutorum conditionem recenſentur.

SVpra conſtituimus, Deum certò & infallibiliter futura quælibet contingentia & libera, tam abſoluta, quam conditionata cognoſcere. Impræſentiarum diſcutiendum venit, quænam ſit veluti prima radix ejuſmodi certitudinis in Divina cognitione, cùm futura contingentia, quippe quæ indeterminata in ſe,

&

& ad utrumlibet se habentia, cognitioni certæ ac scientificæ obstare videantur.

Circa cognitionem futurorum absolutorum omissâ eorum opinione, qui hujusce difficultatis ingenti mole oppressi modestè senserunt, Deum equidem futura omnia contingentia absoluta, etiam libera, certò & infallibiliter cognoscere; modum verò ejusmodi cognitionis imbecillitatem humani ingenij omnino effugere (quod sensisse feruntur Ocham, Gabriel, Gregorius in 1. distinct. 38. & Marsilius *ibid.* dist. 40.) ad rem hanc explicandam varios dicendi modos Theologi adinvenerunt: prout futura diversam subire considerationem possunt. 164.

Quidem ad illa attendentes, ut in suis causis esse habent, asseruerunt, futura contingentia sciri in suis causis impedibilibus, non quidem absolutè sumptis, sed cognoscendo omnia illa, quæ ipsas impedire, vel determinare possunt, & insuper ea, quæ illas impedient, vel non impedient, sed determinabunt. Quia sicut ex causa necessaria sequitur effectus necessarius infallibiliter, sic ex causa impedibili determinatâ ad unum, si non sit impedita, sequitur effectus contingens infallibiliter, infallibilitate quidem non absolutâ, sed suppositionis. Quapropter sicut in causa necessaria certâ cognitione effectus necessarius præcognoscitur, sic cognitâ causâ impedibili, & omnibus, quæ eam impedire possunt, vel non impedire, & insuper illa, quæ eam impedient, vel non impedient, potest infallibiliter cognosci, quis effectus eveniet. Deus autem non solùm cognoscit causam contingentem in se, & absolutè, 165.

quia ſic in ea vel per eam non cognoſceretur infallibiliter aliquis effectus, niſi tantùm conjecturâ probabili: ſed cognoſcit omnia quæ eam determinare poſſunt, & quæ impedient, vel non impedient; & ſubinde in cauſa contingente ſic cognita futurum contingentem effectum certitudinaliter cognoſcere poteſt. Ita Durandus in 2 diſt.38. q.3. num.9. Thomas de Argentina in 2. diſt.40. art.3. An autem inter determinantia cauſam proximam computanda ſit divina voluntas efficaciter decernens, ut volunt Thomiſtæ quidam ſentientes cum Durando in hac parte (ſi fides habenda ſit P.Suarez lib.1. de ſcient. futur. conting. abſolutor. cap.3.n.9.) non ſatis conſtat. Videtur inſinuare Durandus ibid. rat.2.

166. Ab hoc dicendi modo non procul abſcedere videtur P. Molina aſſerens, quod ejuſmodi futura cognoſcat Deus in altiſſima ſui Divini intellectus comprehenſione, quâ liberum arbitrium comprehendit, & in illo quid ſit acturum, ſi in tali occaſione, talibuſque circumſtantialis conſtituatur. Cui ex Patribus Societatis adhæret Decanus: P. autem Valentia hîc diſput.1. puncto 5. ait futurum contingentem eventum à Deo certò cognoſci, non quidem in circunſtantiis illis antecedentibus creatam voluntatem determinantibus, ſed in actuali ipſius determinatione ad aliquem effectum.

167. Alij attendentes ad modum quo futura iſta in cognoſcente habent eſſe, affirmarunt Deum cognoſcere illa in ſuis ideis, tanquam in proximo objecto divinam eſſentiam determinante ad judicium de hujuſmodi futuris. Hanc ſententiam inſinuat Alenſis 1.p.quæſt.23.memb.3.

art.4.

art.4. & memb.4. art.5. communiterque tribuitur D.Bonaventuræ in 1.dist.39. art.2. quæst.3. pro eadem sententia adducit Corduba lib.1. q.55.dub.8.Henricum Gandav.Tribuitur etiam à P. quibusdam Recentioribus Ægidio Romano *in* 1. *distinct.*38. ubi profectò nihil tale vel per somnium, asserit, sed ut ingenuus S.Thomæ Discipulus docet, ex eo Deum certam & infallibilem cognitionem de ejusmodi futuris contingentibus habere, quia ejus intuitus in ea fertur ut præsentia sibi in mensura æternitatis; præsentia, inquam, Physicè, & ut habent esse in seipsis. Quod ut pateat, adducam ipsissima insignis hujus Doctoris verba: *Deum esse æternum ratione omnium approbatur. Æternitas autem est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio: quæ ergo tempore, vel mensurâ variabili mensurantur, non totum eorum esse simul possident: est enim proprium solius Dei, ut interminabilis vitæ totam pariter completam præsentiam absque successione, & protensione possideat. Si igitur judicium non attenditur secundùm naturam scitorum, sed scientis, cùm Deus æternus sit, & in æternitate prius & posterius esse non possit, nec in ea protensio aliqua inveniri valeat, totus status rerum temporali variatione subjectus à Deo præsentialiter cernitur. Non est ergo inconveniens, Deum contingentium habere scientiam: cum contingentia relata ad cognitionem Divinam, præsentia sint, & ut præsentia sunt secundum esse, determinata existant. Licet ergo futura contingentia secundùm sui naturã indeterminata sint; tamen quia Deus ea præsentialiter videt, cùm ejus scientia æternitate mensuretur, contingentium & secundùm sui naturam indeterminatorum*

naturum Deus certam cognitionem habebit. Et quia hæc physica rerum in æternitate præsentia videtur à rebus contigentiam auferre, statim ostendit quomodo illa rerum contingentiam minimè à futuris tollat, dicens: *Licet omnia relata ad Divinam cognitionem ei existant præsentia: quia tamen videt contingentia contingenter accidere, & necessaria necessariò evenire, à rebus necessariis non tollitur necessitas, nec à contingentibus contingentia. Et hoc est, quod Boëtius ait in declarando veritatem quæstionis proposita dicens, quòd divina prænotio rerum naturam proprietatemque non mutat; talia enim apud se præsentialiter videt, qualia in tempore olim futura prævenient.... Quod autem unum & idem secundùm sui naturam acceptum possit dici contingens; ad cognitionem tamen Divinam relatum quandam necessitatem contrahat, sic ostendi potest: nam quodlibet contingens, cùm præsentialiter est, quodammodo necessarium est, quia secundùm Philosophum in 1. Periherm. Omne quod est, quando est, necesse est esse: consideratum tamen ut futurum non necessarium est, cùm indeterminatum sit; & causa, à quibus habet oriri, impediri possint. Cùm igitur contingens futurum secundùm suam naturam futurum sit: relatum autem ad Divinam cognitionem præsentialiter existat, in se acceptum contingens erit, ut tamen à Deo scitur, quandam necessitatem contrahit.*

168. At verò in suo defensorio loquendo de cognitione futurorum contingentium ita de hac re fatur: *Deus novit (prout Thomas 1. part. q.14. art.13. in responsione docet) non solùm cognoscit res in seipso esse, sed per illud idem quod in se continet species rerum, cognoscit eas in propria*

propria natura, quæ licet sint successivè in propria sub actuali existentia, non tamen subduntur successivæ cognitioni Dei, quæ mensuratur æternitate, in qua non cadit successio, sed est tota simul cum temporis cujuscunque differentia, non quod partes temporis omnes simul existentes æternitati coëxistant (ut ipsi putant & falsò, Thomam sensisse: sed quia ipsa æternitas est tota simul cum singulis partibus temporis non simul existentibus, sed sibi invicem succedentibus. Illud docet Thomas lib.1. cont.gent. cap.66. tali exemplo. Punctus quicunque signatus in circunferentia circuli sic se habet quod nullo modo potest esse simul cum alio puncto signato in ipsa prior vel posterior secundùm situm: omnes verò puncti in circumferentia signati ad centrum, quod est extra circumferentiam, directam habent oppositionem & consimilem habitudinem; sicut ergo punctis in circũferentia quibuscunque secundum situs ordinem se habẽtibus, & se cõsequentibus punctus centralis extra ipsam existens directè & uniformiter objicitur, sic æternitas simplex & indivisibilis extra temporis successionem existens omnia ejusdem sibi succedentia invicem, uniformiter respicit sub præsentialitate quam habent in se successivè; actus ergo cognitionis mensuratus æternitate præsentialiter respicit omnia sibi invicem succedentia in tempore, ipsam eorũ præsentialitatem, quam habent in se successivè, simul æternaliter intuendo; non quòd ipse à rebus quas sic intuetur, æternaliter sibi semper coexistentibus cognitionem accipiat, sed omnium rerum rationes, quas in seipso simul intuetur, per quod ejus intuitus perfectissimè fertur super ipsas, non solùm eorum quidditates, sed etiam præsentialitates, præsentialiterque æternaliter intuendo. Ex his patet,

quod

quod Thomas (prout isti imponunt illi & falsò) non intendebat, quod omnia, quæ sibi invicem succedunt in tempore in natura propria Deo coexistunt in æternitate, licet ab eo eorum præsentia æternaliter intueatur, & sic omnia sibi dicantur præsentia. Et quando dicunt, quòd res non possunt esse Deo præsentes nisi dupliciter, scilicet in ratione causali, vel in sua existentia actuali: Dicendum, quòd res sunt Deo præsentes ab æterno non in sua existentia actuali, sed quia ipse intuetur earum præsentiam æternaliter per hoc quòd omnium rerum rationes exemplares in seipso cognoscit, quas videt in seipso, & omnia per ipsas perfectè cognitas cognoscit in natura propria, quarum scilicet per rationes causales invenitur causa. Et sic habet intelligi quod dicit Thomas, quod intuitus Dei fertur æternaliter super omnium sibi in tempore succedentium præsentialitates, non solùm quia habet rationes eorum apud se, ut quidam dicunt, sed intuendo ea æternaliter in sua præsentialitate, quam simul à Deo, ut dictum est, cognita successivè habent in naturâ suâ. Et solut. ad 5. ait: *Cùm dicit Thomas, quod omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo præsentia prout sunt in sua præsentialitate, intendit dicere & satis clarè, quòd divinæ notitiæ præsens est omnium quæ sunt successivè in tempore præsentialitas, & actualis existentia ab eo æternaliter cognita.*

169. Ex quibus habemus duo sensisse Ægidium: Primum est, quòd Deus certò futura contingentia cognoscat, ex eo quod sunt sibi in æternitate præsentia in propria natura, non quòd in sua actuali existentia Deo ab æterno coexistant pro omni æternitatis duratione, sed quia intuitus Divinus ab æterno fertur super ea

ut

ut præsentialiter in sua præsentialitate pro eo tempore quo erunt, quia æternitas utpote simplex & tota simul existens comprehendit omne tempus. Itaque egregius iste D.& S.Thom. Discipulus ejusdem præsentiam objectivam futurorum admittit, sed objecti in se & in propria natura, & præsentialitate, & non prout habet esse in cognoscente tantùm. Quæ est ipsissima S.Thom. Doctrina,quæst.12. de verit. art.12. ut dictum est supra,& repetere non erit superfluum: *Circa futurorum*, ait, *cognitionem duo est considerare, scilicet ipsum ordinem causarum ad futuros effectus, & exitum sive executionem hujus ordinis in hoc quòd effectus actu procedit ex suis causis....Deus non solùm cognoscit futura ratione ordinis causarum: sed etiam quantùm ad exitum, seu executionem ordinis. Cujus ratio est, quia ejus intuitus æternitate mensuratur, quæ omnia tempora in uno nunc indivisibili comprehendit. Vnde uno simplici intuitu videt, & ad quid causæ sunt ordinatæ, & qualiter ordo ille impleatur.* Secundum, quod docet ipse Ægidius est, Deum præsentiam rerum ab æterno intueri per hoc quòd omnium rerum rationes exemplares,seu ideas in seipso cognoscit, quas in seipso videt, & omnia per ipsas perfectè cognitas in natura propria cognoscit, quorum scilicet per rationes causales invenitur causa. Futura itaque contingentia, de quibus ibi sermo illi erat, cognoscit Deus in suis ideis, ut non quomodocunque, sed ut determinatis ad productionem rei per decretum divinæ voluntatis, quia per eam Deus operatur omnia, secundùm illud Psalm. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit.* Sed de his plura infrà.

Alij

170. Alij ad efficacitatem Divinæ ſcientiæ hanc cognitionis certitudinem reducunt. Aiunt enim Deum ſuâ efficaci ſcientiâ, ut voluntatem ejus antecedit, determinare, & efficere, ut ex effectibus contingentibus contradictoriis hic potiùs, quam ille futurus ſit: & hoc modo, hacque ratione cognoſcere illud certò, quod futurum eſt, quia facit ut illud futurum ſit. Ita docuit Palatius in 1. diſtinct. 38. quæſt. 2. diſput. 2. dub. penult.

171. Tandem alij attendentes ad futura in ſeipſis conſiderata affirmarunt, ante quodlibet Divinæ voluntatis decretum, per quod verè poſſibile ad ordinem producendorum, ac futurorum abſolutè transferatur, in illo priori naturæ ipſum futurum contingens objectivè in ſeipſo conſideratum habere determinatum eſſe, ac ſubinde veritatem determinatam, ſecundùm quam eſt certò cognoſcibile à Divino intellectu per ſimplicem intuitum. Quod quidem eſſe objectivum, nil aliud eſſe dicunt, quam ipſummet eſſe, quod tali tempore ipſa res habitura eſt. Ita P. Suarez lib. 2. de ſcient. futur. conting. cap. 6. & 8. Quam opinionem ut explicet, varia prioritatis rationis, & cauſalitatis ſigna diſtinguit dicens, quod primò omnium Deus per ſcientiam illam mediam, ſeu conditionatam cognoſcit illud futurum tali tempore fore, ſi ipſo eodem ſub talibus circunſtantiis & conditionibus cauſa ejus, v. g. voluntas creata conſtituatur. In ſecundo rationis ſigno vult voluntatem creatam in tali tempore, & ſub talibus circunſtantiis, atque conditionibus collocare. Poſtea in tertio ſigno Divinus intellectus ſimplici intuitu cognoſcit illud futurum

futurum contingens absolutè fore, non quidem intuendo ex æternitate propriam futuri existentiam, Deo in ipsa æternitatis mensura physicè coexistentem, sed intuendo illam objectivam & determinatam illius veritatem. Vnde absolutè negat primam certitudinis rationem, ob quam futurum illud sit certò cognoscibile à Deo, esse decretum, & determinationem efficacem Divinæ voluntatis. Quam dicendi modum Recentiores Societatis frequentiùs amplectuntur. Displicuit tamen valde P. Molinæ utpote contrarius Philosophorum Principi, communique Doctorum sententiæ. Ita docet in Concord. disp. 52. dicens: *Quidam contendentes in futuris contingentibus semper alteram partem, antequam eveniat, esse ex æternitate veram determinatè & alteram determinatè falsam, eaque ratione ex natura rei unam esse cognoscibilem futuram determinatè, & alteram non futuram determinatè, ex eo capite quod quidquid est ex natura rei cognoscibile Deus ante omnem actum suæ voluntatis naturaliter cognoscat, arbitrantur Deum ante omnem actum liberum suæ voluntatis scire, non solùm quid per liberum creatum sit ex quacunque hypothesi futurum, sed etiam quid ipsemet Deus posteriùs naturâ, seu nostro intelligendi more cum fundamento in re liberè voliturus, eò quòd similiter, antequam à Deo statuatur, sit determinatè verum. Veruntamen contingentia futura ex naturâ rei esse determinatè vera, & cum Aristotelis doctrina, communique Doctorum sententia, & cum naturâ ipsa contingentium pugnat, quippe quæ eo ipso ex ipsorummet natura indifferentia sunt, ut unumquodque eorum sit vel non sit, ut ad caput ultimum primi de interpretatione ostendimus.*

P. Vasquez

172. P. Vaſquez mediâ quadam inter has viâ incedens aſſerit, Deum equidem ex decreto ſuæ voluntatis cognoſcere futura, non tanquam ex cauſa proxima, ſed remotâ, licet ex decreto habeant, quod certò cognoſcibilia ſint. Ait enim propriam, & proximam rationem certitudinis ſcientiæ Divinæ ſumendam eſſe ex infinitate Divini intellectus, & veritate futurorum. Vnde ſi per impoſſibile Deus illorum futurorum cauſa non eſſet, adhuc certò ea omnia cognoſceret, ſi intellectus Divinus infinitæ virtutis eſſet.

173. Communis Thomiſtarum ſententia affirmat, Deum ab æterno futura contingentia certò & infallibiliter in decreto & determinatione efficaci ſuæ Divinæ voluntatis cognoſcere, quo attingit, non ſolùm ſubſtantiam ipſius futuri contingentis, ſed etiam modum, quo eſt in eſſe ponendum, ſeu modum contingentiæ & libertatis in rebus contingentibus & liberis, illaſque transfert à ſtatu meræ poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis determinatæ; & ſubinde illas præſentes phyſicè in menſurâ æternitatis conſtituit, quæ cùm ſit infinita & tota ſimul, habet, ut diximus, omne tempus, omnemque illius differentiam complecti. Ita S. D. infra citandus, quem ſequuntur communiter illius diſcipuli. Eidem ſententiæ adhærent Henricus quodlib.8. q.2. ubi triplicem hujuſmodi cognitionis futurorum contingentium cauſam aſſignat, nimirum determinationem Divinæ voluntatis, rationes ideales in mente Divina exiſtentes, & phyſicam rerum in æternitate præſentiam: Scotus *in* 1. *diſt.*38. *diſt.*39. §. *viſo. diſt.*41. & *in* 2. *diſt.*37. Et quòd ita

ita senserit Doctor subtilis fatetur imprimis P. Azor è Societate Iesu lib.1. institut. moral. immò ipse P. Molina id apertè testatur *in Concord.* disp.52. ubi Scoti sententiam, quæ dubio procul verissima est, in fide periculosam, & libertatis arbitrij destructivam nuncupat. Insuper P. Suarez *disp.22. Metaphys. sect.* 4. censet Scotum videri sentire quòd causa prima determinet secundam quoad exercitium actus, etiã si libera sit, & quòd Deus definiat suum concursum ad unam tantùm rem. Tandem hoc ipsum de mente Scoti esse vulgarunt Duaci Societatis Patres in quodam libello de hac materia à se edito: in quo Thomistis objecerunt, & improperarunt, quod in prædeterminatione, & prædiffinitione efficaci asserenda, non equidem Angelicum Doctorem D. Thomam, sed potiùs Doctorem subtilem Scotum sequerentur, cui ejusmodi prædeterminationes ex intrinsecâ Dei voluntate efficaces, à discipulis suis, & aliis tribuuntur. Sic & Scotum interpretantur & intelligunt discipuli illius, præsertim antiqui, inter quos Basolus *lib.1. sent. dist.*38.

Quòd autem ad Modernos Scoti discipulos 174. attinet, in asserendo modo, quo Deus futura contingentia certò cognoscat, minimè inter se conveniunt. Quidam enim apertissimis Scoti testimoniis, infra adducendis, convicti asserunt, Deum certitudinaliter ejusmodi futura contingentia nosse in determinatione suæ voluntatis, quæ est omnino immutabilis, & inimpedibilis, anteceditque liberum nostræ voluntatis usum, vel futurum eventum. Alii è contra affirmant, quòd futura hujusmodi certò cognoscat in determinatione seu decre-

to ſuæ divinæ voluntatis, non quidem antecedente, ſed concomitante; non quidem præſupponente in Divina ſcientia prævifionem illius futuræ determinationis, ſi voluntas creata in tali, vel tali occaſione, vel talibus circunſtantiis conſtituatur, quam prævifionem ſequatur decretum abſolutum Divinæ voluntatis de concurrendo cum voluntate creata, ſed omnem ſuam determinationem reſpectu eventuum interventu creatæ voluntatis futurorum eſſe cum determinatione illius; quaſi non determinet Deus voluntatem creatam hoc voliturам ſed cum illa determinet hoc volendum fore abſque ullâ prævi ſione effectus ab ea futuri, ſaltim conditionatè ex ſola ejus infinitate in genere potentiæ volitivæ. Vnde Divinæ voluntatis decretum, & determinatio creatæ poſſunt dici ſimul & intelligi, quia non comparantur adinvicem ſecundùm ordinem alicujus cauſalitatis, ſed puræ concomitantiæ, propterea quod prioritas illa decreti, quod aliquo modo antecedere dicitur, eſt prioritas à quo, verè compatiens ſimultatem in quo. Ita rem explicat Maſtrius *in* 1. *ſent. diſp.*3.*quæſt.*3.*art.*8. huncque dicendi modum aliis Scotiſtis tribuit, omneſque conatus adhibet, ut probet ejuſmodi ſententiam eſſe de mente Scoti, quod quam falſum ſit, infra oſtendemus.

§. II.

§. II.

Referuntur Theologorum sententiæ de modo, quo Deus infallibiliter & certò futura contingentia conditionata, præsertim libera, cognoscere dicitur.

RECentiores Societatis decreta quælibet Divinæ voluntatis ex se efficacia, prædiffinitiva, atque prædeterminativa creatæ voluntatis aversati, quippe quæ illius in operando libertatem, vel auferre, vel non parùm lædere videantur, & ex alia parte coacti certam in Deo de operationibus humanis, vel aliis sub conditione futuris cognitionem ex æternitate constituere, quandam scientiam, quam ipsi mediam nuncupant, admittunt, quâ Deus certò sciat quid liberum arbitrium ex sua innatâ libertate operaturum sit, si in tali, aut tali occasione, & rerum ordine constituatur. De qua P. Molina in sua concordia quæst. 14. art. 13. disp. 50. (in impressione Vlissiponensi) & disp. 52. (in impressione Antuerpiensi) ita scribit. *Triplicem scientiam oportet distinguamus in Deo, nisi periculosè in concilianda libertate cum Divina præscientia hallucinari velimus. Alteram merè naturalem, quæ proinde nullâ ratione potuit esse aliter in Deo, per quam ea omnia cognoscit, ad quæ divina potentia, sive immediatè, sive interventu causarum secundarum se se extendit, tùm quoad naturas singulorum, & complexiones eorum necessarias; tùm etiam quoad contingentes: non equidem quòd futuræ essent, vel non essent determinatè, sed quòd indifferenter esse vel non esse possint, quod eis necessariò competit, atque adeo sub scientiam Dei naturalem etiam cadit. Alteram* 175.

merè liberam, quâ Deus post actum liberum suæ voluntatis absque hypothesi, & conditione aliqua cognoscit absolutè & determinatè ex cōplexionibus omnibus cōtingentibus, quænam reipsâ essent futura, quæ non item. Tertiam denique mediam, quâ ex altissima, & inscrutabili comprehensione liberi arbitrij cujuscumque in sua essentia intuitus est, quid pro innata sua libertate, si in hoc vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cùm tamen possit, si vellet, facere, reipsa oppositum. Ex quo sequitur apud illum, *Quòd res libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum & circumstantiarum collocetur, in unam aut alteram partem se flectat, non provenire ex præscientia Dei; quin potiùs Deum ideo id præscire, quia ipsa res libero arbitrio prædita liberè idipsum agere debet, nec provenire ex eo quòd Deus velit id ab ea fieri, sed ex hoc quòd ipsa id liberè velit facere.*

176. Ea propter hanc mediam scientiam, seu futurorum sub conditione præscientiam præsupponere atque ordinare videtur prædictus Author ad aliam de futuro absoluto, quâ Deus ipse præsciat, ac prævideat, quod liberum arbitrium creatum jam constitutum sub tali ordine rerum, sub quo de facto est, operabitur quidquid operabitur ex sua innata libertate, & non ex Deo volente, ac decernente, quòd sic operetur. *Accedente* (inquit loc. cit.) *determinatione liberâ voluntatis Divinæ, non quâ liberum arbitrium determinet ad alteram contradictionis partem (ut Scotus & alij volunt) sed quâ relinquendo illud liberum & omninò indifferens, ut ad quod voluerit, porrigat manum, statuat creare hunc vel illum ordinem re-*

rum

rum, & cauſarum ac circunſtantiarum, in quo ſint hæ, vel illa cauſa liberæ operaturæ, certò cognoſcit complexiones omnes contingentes ſecundùm eſſe futurum abſolutè, & ſimpliciter, & ſine ullâ jam hypotheſi & conditione. Itaque apud illum, illiuſque ſectatores voluntas illa Divina ante poſitam conditionem non eſt abſoluta, ſed conditionalis: poſitâ autem illâ conditione tranſit in abſolutam, & ſimul influit in opus. Et licet aliqui eorum admittant hanc voluntatem abſolutam eſſe quendam actum abſolutum & efficacem, quo Deus poſt illam mediam ſcientiam vult hominem illum abſolutè facere, quod ipſum ſub conditione facturum prævideral; tamen alij communiter aſſerunt non eſſe opus novâ aliquâ voluntate abſolutâ, quâ rurſus illud opus velit, quæque reſpectu illius operis habeat ſe per modum principij effectivi; quia hoc ſuperfluum eſſe reputant. Nam conditionata illa voluntas, quæ liberi arbitrij determinationem præcedit, poſitâ illâ conditione abundè ſufficit; quemadmodum cùm quis cum altero verbis de præ ſenti ſub conditione contrahit, voluntas illa ſe obligandi eſt conditionata: poſitâ autem conditione in abſolutam tranſit, vim illius ſortitur, & abſque novo actu ſuum effectum parit.

Hanc mediam ſcientiam, ſive conditionatorum præſcientiam amplectuntur omnes Societatis authores, & qui doctrinam eorum ſequuntur (ſi aliquos dempſeris) reputantes eam maximè utilem ad conciliandam humanæ voluntatis libertatem cum infallibilitate divinæ præſcientiæ, ac prædeſtinationis, divinæque vo- 177.

luntatis, & gratiæ efficacia: & eodem ferè modo eam explicant. Non tamen conveniunt in constituendo & assignando modo, quo Deus per eam hujusmodi conditionata futura cognoscat.

178. Molina, ut vidimus, modum hunc ait esse super comprehensionem quandam altissimam & inscrutabilem cujuscunque liberi arbitrij creati, quâ Deus infallibiliter ab æterno cognovit, & intuitus est, quid hujusmodi liberum arbitrium creatum pro suâ innatâ libertate acturum esset, si in tali, vel tali ordine rerum constitueretur. Qui quidem dicendi modus uni Becano ex suis omnino placuit, & à cæteris omnibus rejectus fuit: præsertim verò à P. Suarez *lib. 2. de Scient. condition. c. 7.* ubi alium modum explicandi adducit, dicens Deum cognoscere futura conditionata libera per scientiam illam mediam in veritate objectivâ, quam ipsa futura in se habent independenter à decreto efficaci divinæ voluntatis de eorum futuritione. Etenim sentit ex duabus contradictoriis, pro priori antecedenti ad hujusmodi decretum, necessariò alteram earum debere esse veram determinativè, & alteram falsam: & subinde veram ut veram à Deo certò cognosci, & eam quæ falsa est cognosci itidem ab eo quòd falsa sit per hujusmodi scientiam. Ab hoc dicendi & explicandi modo non longè abest P. Herice *hîc disp. 7. cap. 8.* dicens ex hujusmodi propositionibus contradictoriis de futuro contingente conditionato alteram esse determinatè veram; & alteram determinatè falsam, non quidem pro omni signo rationis, sed pro omni instanti reali complectente signum posterius rationis,

rationis,in quo jam intelligitur existere in voluntate creatâ actum ejus determinante, aut negationem ipsius. Vnde asserit, ut accipiant existentiam hæc futura, semper præsupponi debere ex parte Dei voluntatem,& concursum sufficientem ad hanc,non quidem ex se efficacem ac prædeterminativam, sed attemperatam naturæ voluntatis creatæ, cum quâ cooperatur, eumque adjuvat, admittimus consortium principij indifferentis in opus.

Alij ejusdem Societatis Theologi apud M. Ferrè,olim hujusce Collegij S. Thomæ de Vrbe meritissimum regentem, *tract.6.de Scientia media quæst.6.* §.5. asserunt, Deum per hujusmodi scientiam mediam intueri quid liberum arbitrium facturum sit, si in tali vel tali occasione ponatur, & his vel illis auxiliis juvetur ex se indifferentibus, non quidem antecedenter ad consensum, vel dissensum ipsius voluntatis creatæ, sed quia de facto liberum arbitrium cum assensu conjunctum,vel ab eo disjunctum intuetur. Et cum ab eis inquiritur, in quo principio determinato cognoscat Deus, quid facturum sit liberum arbitrium creatum cum solis illis auxiliis ad conversionem indifferentibus, nam & voluntas cum illis composita adhuc remanet de se indifferens, respondent, Deum id certò cognoscere in ipsa creatæ voluntatis determinatione, id est,quia videt liberum arbitrium hujusmodi auxiliis consensurũ, & cum aliis dissensurum: & hoc ante omne decretum absolutum & efficax existens in Deo de consensu hujusmodi vel dissensu ipsius voluntatis creatæ. In Deo enim solummodo constituunt decretum nescio quod conditionatum, 179.

quod his verbis explicare moliuntur. Volo concurrere cum voluntate creatâ ad consensum, si ipsa voluerit consentire: & volo permittere dissensum, si ipsa voluerit dissentire. Et hic modus applicandi valdè communis & familiaris est apud illos.

180. Novissimè P. Esparza *tom.*1. *in* 1.*part. q.*18. *art.*13. alium adinvenit modum explicandi quo pacto per hujusmodi scientiam mediam Deus futura conditionata noscat. Asserit enim Deum in solâ suâ essentia divina, omni semoto divinæ illius voluntatis decreto, intueri quid liberum arbitrium de facto acturum, seu electurum sit, si in tali, vel tali rerum ordine, vel occasione ponatur, & illi auxilia sufficientia præbeantur. Sed ipse animadvertens essentiam divinam se solâ esse indifferentem, & similiter liberum arbitrium & auxilia sufficientia, ait divinam essentiam objectivè determinari, non quidem ab ipso libero arbitrio prout in seipso, sed prout contento in ipsa essentia divina cum omnibus actibus sibi possibilibus, & liberè à se eliciendis, in quacunque occasione inveniatur. Antequam enim liberum arbitrium creatum sub hac, vel illa hypothesi se determinet in exercitio, jam ut in Deo præcontentum, cum omni actu conjunctum intelligitur ad quem in seipso determinandum est: & ipsa essentia divina per modum speciei expressæ habet repræsentare ipsi intellectui divino illum actum liberum, ad quem voluntas creata in tali vel tali occasione constituta se determinatura est. Ex hoc ait divinam essentiam objectivè determinari ad repræsentandū unam partem præ alia: & sic divinum intellectum

unam præ alia cognoscere per scientiam illam mediam ante omne decretum, sive omnem determinationem suæ voluntatis.

Sed sive his, sive aliis modis hæc scientia Media, & modus per eam cognoscendi futura ejusmodi conditionata explicetur, ab his authoribus in substantia & reipsa asseritur, dum illorum futurorum certa cognitio in Deo ponitur ante quodlibet divinæ voluntatis decretum volentis vel permittentis, quod hoc vel illud fieret, si talis vel talis conditio apponeretur. Vnde sive in comprehensione liberi arbitrij, sive in determinatione actuali voluntatis creatæ liberæ ab ea solâ elicitâ, & non à Deo effecta vel in eorum unitate objectivâ, illa divinus intellectus intueri dicatur, semper convincitur, quod Deus certò & infallibiliter hujusmodi futura cognoscat accipiendo à creatura, & dependenter ab ea suam cognitionem. 181.

Communis Thomistarum sententia ejusmodi scientiam Mediam ad certò cognoscenda futura illa conditionata, ceu prorsus inutilem, ac supervacaneam constanter rejicit, statuitque, ipsa à Deo certò & infallibiliter cognosci in Decreto efficaci & prædeterminativo divinæ voluntatis, subjectivè quidem absoluto, conditionato autem objectivè seu ex parte objecti. Quam sententiam esse de mente SS. Patrum, & D. Thomæ infrà ostendemus. 182.

CAPVT

CAPUT IX.

Quòd Deus futura contingentia libera, in proximis illorum causis, vel super comprehensione eorum non cognoscit.

183. EXposuimus supra varios Authorum dicendi modos, quibus asseritur futura contingentia libera certò & infallibiliter à Deo cognosci. Superest modò ut ad eos, qui veritati minùs consonant, refellendos & confutandos secundùm ordinem, descendamus. Accedendo ad primum illorum.

184. Dicendum est, quòd Deus futura contingentia libera, & ad utrumlibet se habentia certò & infallibiliter non cognoscit in causis eorum proximis, seu in super comprehensione illarum. Sumitur ex D. Thom. *q.8. de verit. art.13.* ubi ait: *Vnumquodque hoc modo cognoscitur in aliquo, quo est in eo. Quædam igitur futura in suis causis proximis determinata sunt hoc modo, ut ex eis necessariò contingant, sicut Solem oriri cras: & tales effectus futuri in suis causis cognosci possunt. Quidam verò futuri effectus in causis suis non sunt determinati, ut aliter evenire non possint: sed tamen eorum causæ magis se habent ad unum, quam ad alterum, & ista contingentia sunt, quæ ut in pluribus vel paucioribus accidunt, & hujusmodi effectus in causis suis non possunt cognosci infallibiliter, sed cum quadam certitudine conjectura. Quidam autem effectus futuri sunt, quorum causæ indifferenter se habent ad utrumque, hæc autem vocantur contingentia*

ad

ad utrumlibet, ut sunt illa præcipuè, quæ dependent ex libero arbitrio; sed quia ex causa ad utrumlibet, cùm sit quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam magis determinetur ad unum, quam ad aliud, ut probat Commentator in 2. *Phys. com.* 12. *Ideo hujusmodi effectus in causis quidem ad utrumlibet nullo modo cognosci possunt per se acceptis: sed si adjungantur causæ illæ, quæ causas ad utrumlibet inclinant magis ad unum, quam ad aliud, potest aliqua certitudo conjecturalis de effectibus prædictis haberi: sicut de his, quæ ex libero arbitrio dependent aliqua futura conjicimus, ex consuetudinibus, & complexionibus hominum, quibus inclinantur ad unum. Omnes autem hujusmodi effectus, qualescunque sint eorum causæ proximæ, tamen in causa prima omnes sunt determinati, quæ suâ præsentiâ omnia intuetur, & suâ providentiâ omnibus modum imponit.* Duo habentur ex D. Thom. Primum est, quòd complexionibus & circunstantiis illis, occasionibusque solùm possit haberi cognitio fallibilis & conjecturalis. Secundum est, quod effectus sint determinati in prima causa ordinante res omnes, & eis modum præscribente, quod non est sine ipsius voluntatis decreto; & etiam ut præsentialiter ei in æternitate coëxistunt. De quibus infra. Idem docet S. D. innumeris aliis in locis, quorum plura adducemus infra.

Prob. ratione hîc insinuatâ: Deus ejusmodi 185.
contingentia futura in suis causis proximis cognoscere nequit, nisi eo modo quo in eis continentur: sed non continentur in suis causis proximis, etiam ut considerantur sub talibus, & talibus circumstantiis secundùm aliquod esse

esse certum, & determinatum: ergo in eis, vel in earum supercomprehensione certò & infallibiliter à Deo cognosci nequeunt, sed ut sunt in seipso determinata, & præsentialiter præsentia. Maj. patet, quia cognitio quælibet sequitur naturam medij in certitudine, vel incertitudine, in evidentia vel inevidentia: unde si medium est probabile conclusio nequit esse demonstrata, prout in tali medio continentur: & si medium non continet perfectè aliquid, non potest nisi deficienter, & obumbratè repræsentare; sic Deum creaturæ manifestant obscurè, & secundum quandam resonantiam, quia sunt deficientes à perfectione ipsius Divini esse. Min. verò prob. causæ contingentes præsertim liberæ ex natura sua se habent ad opposita, nec magis ex se determinantur in unam partem, quam in aliam, adhibitis etiam illis conditionibus & circunstantiis, sive complexionibus, absque determinatione causæ primæ, adhuc non sunt ita determinatæ ad unum, ut effectus necessariò & naturaliter sequatur, sed deficere potest: ergo non continentur in suis causis proximis, etiam ut considerantur sub talibus & talibus circunstantiis, secundùm aliquod esse certum & determinatum, absque determinatione primæ causæ. Antec. prob. quia hæc est differentia inter causam necessariò operantem, & liberè operantem, quòd ad illam necessariò sequatur effectus; libera autem est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest etiam non operari. Quam rationem etiam insinuat S.D. hic art. 13. c. dicens: *Potest considerari contingens, ut est in sua causa, & sic consideratur ut futurum & ut contingens*

tingens nondum determinatum ad unum: quia causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantùm, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. Ex quibus conf. præcedens ratio: nam positis quibuslibet conditionibus & circunstantiis adhuc ipse effectus futurus continetur in sua causa proxima ut futurus contingenter, & liberè, & non se habet ut in actu, quo pacto ex suppositione quandam necessitatem induit; ratione cujus certò & infallibiliter cognosci potest: ergo positis quibuslibet circunstantiis, nisi adsit determinatio primæ causæ, non habet esse determinatum in sua causa proxima, sed ad utrumlibet se habet ipsa, & deficere potest: ergo ut sic nequit esse medium in quo certò & infallibiliter futurus effectus contingens cognoscatur.

Explicatur ampliùs hæc ratio: omnia illa, 186.
quæ adjunguntur & circunstantiare dicuntur voluntatem liberam, illamque in actu primo determinare, ut jam certò, ante omnem divinæ voluntatis determinationem, possit in ea effectus contingens cognosci, vel sunt suapte naturâ infallibilia ex se necessariò & infallibiliter inducentia effectum, vel fallibilia, & contingentia, atque potentia deficere ab ordine effectus? Si hoc secundum admittatur solùm conjecturalem cognitionem de se parere valent, quatenus videlicet ut in pluribus hoc accidit; v. g. si ponatur Petrus in illis circunstantiis, nimirum Societate mulieris pulchræ, & blanditiis allicientis ipsum, peccaturus prævidetur non nisi conjecturaliter, quia hoc ut plurimum

accidere

cui ipse subordinatur, itaut omnino deficere non possit ab effectu: quo pacto in sensu composito dicimus; si Deus scivit aliquid, illud erit, quia effectus, ut subordinatur Divinæ scientiæ, non potest non esse, licet absolutè possit; etenim illa est omnino infallibilis: cujus oppositum eveniret, si ab ea scitum non esset ut sic omnino immutabile: sed nulla ex illis circunstantiis, & conditionibus, quæ ponuntur in actu primo voluntatem determinare est causa infallibilis & necessariò inferens effectum, cùm non sit causa prima, nec naturaliter seu per modum naturæ voluntatem determinet; aliàs ejus libertatem causaret: ergo sic applicata non operatura est infallibiliter, nec necessariò ex suppositione futurus effectus contingens ex illa sequetur: ergo non potest in illa sortiri determinatum esse, & subinde neque certam & infallibilem cognitionem.

Respondet P. Molina, quòd cùm Deus non 188.
modò comprehendat, sed etiam supercomprehendat voluntatem creatam, vel quamlibet causam contingentem, eò quòd intellectus Divini lumen in infinitum excedit propriam cujuslibet creatæ voluntatis cognoscibilitatem, idcirco non modò cognoscit ea, quæ suapte natura in subjecto cognoscibilia sunt, cujusmodi sunt, quæ determinatum esse sortiuntur, sed etiam quælibet alia quæ superexcedunt, ut est determinatio liberi arbitrij antequam sit, & universaliter quodlibet futurum contingens.

Sed contra primò: Quod non habet deter- 189.
minatum esse certò & infallibiliter à quocunque intellectu minimè cognosci potest: quia determinatam veritatem non habet, cùm veritas

tas

tas sequatur ad esse: sed futura illa contingentia libera nullatenus in sua causa proxima, etiam ut circunstantiatâ & positâ in actu primo sub talibus circunstantiis, habent determinatum esse: ergo ab intellectu Divino, etiam ut supercomprehendente liberum arbitrium creatum minimè cognosci valent. Min.prob.quia de natura contingentis futuri est quod ad utrumlibet se habeat, quandiu contingens est; sed quandiu ut futurum in sua causa proximâ continetur, & nondum est actu (quo pacto ex suppositione est necessarius) est futurum contingens formaliter: ergo quandiu continetur in sua causa proxima etiam ut circunstantiatâ, nullo modo determinatum esse sortiri potest.

190. Conf. illa supercomprehensio Divini intellectus, vel est cognitio merè speculativa, vel practica de se? Si est cognitio merè speculativa, nihil præstat in objecto, sed quodammodo supponit illud: ergo si objectum ex se & ex propriis non habet determinatum esse, sed ad utrumlibet se habet, respectu etiam supercomprehensionis illius ad utrumlibet se habere debet, aliàs illud non attingeretur sicuti est in re: sed quod ad utrumlibet se habet non est actu determinatum ad unum esse actu, sed est potentia ad utrumque; & subinde determinatam veritatem non habet: ergo per supercomprehensionem illam nequit certò & infallibiliter cognosci. Quòd si præsupponatur ex se determinationem habere, jam non erit futurum contingens, & in potentia sed quodammodo in actu,& in se existens, quia contingens non fit necessarium, nisi per hoc quòd supponitur actu esse. Quòd si illa supercomprehensio est

actus

actus practicus Divini intellectus, jam necessariò actum Divinæ voluntatis præsupponit, quia ex Aristotele intellectus fit practicus per extensionem ad voluntatem determinantem illum ad opus.

Conf. 2. si illi actus liberi futuri habent aliquod esse determinatum in voluntate creata, jam certò & infallibiliter etiam ab Angelo cognosci poterunt, cum Angelus perfectissimè voluntatem creatam cognoscat, & subinde omne illud quod habet esse determinatum in illa. Nec enim alia ratione in causis quibuslibet creatis possunt certò cognosci effectus, nisi quia determinatum esse in sua causa habent, & causa est determinata ad productionem illorum de se, itaut non deficiat: sed hoc est absurdum: ergo &c. 191.

Impugnatur 2. prædicta solutio ad hominem arguendo contra Molinam, qui fatetur, Deum non posse certò in sua voluntate decreta sua ut futura cognoscere antecedenter ad illorum actualem existentiam: sed effectus liberi futuri in causis suis proximis contenti actualiter non existunt: ergo neque certò in illis cognosci valent. Conseq. prob. ideo decreta sua futura antecedenter ad actualem eorum existentiam Deus certò cognoscere non potest, quia non habent esse actu determinatum in illa; si enim sic haberent esse, illa cognosceret: sed neque in causa creata effectus liberi futuri aliquod determinatum esse habent actu: ergo certò in illa cognosci nequeunt. Min. ex dictis probata manet. 192.

Dicere autem, quod ideo decreta sua non cognoscat ut futura, quia suam voluntatem

non ſupercomprehendit, bene verò creatam voluntatem, omnino impertinens eſt: quia illa ſupercomprehenſio ideo attingit certò objectum, quia certò cognoſcibile eſt in ſua cauſa proxima, & non dat illi quod cognoſcibile ſit, cum ſit actus ſpeculativus divini intellectus: ſed comprehenſio ex natura ſua habet, quod attingat perfectiſſimè objectum, quantùm cognoſcibile eſt: ergo ſupercomprehenſio nihil facit ut in voluntate creata futuros eventus certò cognoſcat, ſed idem omnino poteſt præſtare comprehenſio objecti cujuſlibet, vel cauſæ. Quia ſi ille effectus in cauſa creata cognoſcitur, ideo eſt quia in illa cognoſcibilis eſt: ergo jam cadit ſub comprehenſione cauſæ, quæ ut comprehendatur, debet cognoſci, quantùm cognoſcibilis eſt.

§. I.

Solvuntur argumenta.

193. ARg. 1. ex D. Thom. 1. *cont. gent. cap.* 67. ubi docet, quòd *ſicut ex cauſa neceſſariâ, ſequitur effectus certitudinaliter, ita ex cauſa contingenti completa, ſi non impeditur:* ergo in voluntate creata completa & non impeditâ poterit Deus certò ejus actus liberos futuros cognoſcere.

194. Reſp. omiſſis aliis ſolutionibus, quòd loquitur S. D. de contingenti, non ut futurum eſt, ſed ut actu procedit ex ſuis cauſis, ſeu ut eſt in eſſe ſuo, ſic enim duntaxat certitudinaliter à Deo cognoſci poſſunt & certitudinaliter ex cauſis ſuis ſequuntur, quia non poſſunt non eſſe. Quod hæc ſit mens D. Thomæ patet ex

ex his quæ præmiſerat dicens : *Ex his autem jam aliqualiter patere poteſt, quod contingentium ſingularium ab æterno Deus infallibilem ſcientiam habuit : nec tamen contingentia eſſe deſiſtunt. Contingens enim certitudini cognitionis non repugnat niſi ſecundùm quod futurum eſt, non autem ſecundùm quod præſens eſt ; contingens enim, cùm futurum eſt, poteſt non eſſe : & ſic cognitio æſtimantis ipſum futurum eſſe falli poteſt : falletur enim ſi non erit, quod futurum eſſe æſtimavit. Ex quo autem præſens eſt, pro illo tempore non poteſt non eſſe : poteſt autem in futurum non eſſe, ſed hoc non jam pertinet ad contingens prout præſens eſt, ſed prout futurum eſt : unde nihil certitudini ſenſus deperit, cùm quis videt currere hominem, quamvis hoc dictum ſit contingens. Omnis igitur cognitio, quæ ſupra contingens fertur prout præſens eſt, certa eſſe poteſt : Divini autem intellectus intuitus ab æterno fertur in unumquodque eorum, quæ temporis curſu peraguntur, prout præſens eſt, ut ſupra oſtenſum eſt : relinquitur igitur, quod de contingentibus nihil prohibet Deum ab æterno ſcientiam infallibilem habere.* Et ſtatim in 2. rat. *Contingens*, inquit, *à neceſſario differt ſecundùm quod unumquodque in ſua cauſa eſt : contingens enim ſic in ſua cauſa eſt, ut non eſſe ex ea poſſit, & eſſe : neceſſarium autem ex ſua cauſa non poteſt non eſſe : ſecundùm id verò quod utrumque horum in ſe eſt, non differt quantùm ad eſſe, ſupra quod fundatur verum : quia in contingenti ſecundùm quòd in ſe eſt, non eſt eſſe, & non eſſe, ſed ſolùm eſſe, licet in futurum contingens poſſit non eſſe : Divinus autem intellectus ab æterno cognoſcit res non ſolùm ſecun-*

dùm esse, quod habent in causis suis; sed etiam secundum esse quod habent in seipsis: nihil igitur prohibet ipsum habere æternam cognitionem de contingentibus infallibilem. Et statim rat.3. subdit: *Sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter: ita ex causa contingenti completa, si non impediatur: sed cum Deus cognoscat omnia, scit non solum causas contingentium, sed etiam ea, quibus possunt impediri: scit igitur per certitudinem, an contingentia sint, vel non sint.* Itaque S. D. solùm intendit ostendere quod contingentia rerum futurarum non obstat æternæ Dei cognitioni infallibili, quia non cognoscit ea ut in causis duntaxat, in quibus deficere possunt, sed ut in esse suo; seu non cognoscit solùm ordinem causarum ad futuros effectus, sed etiam exitum sive executionem hujus ordinis secundum omnes circunstantias illius quibus impediri, vel non impediri potest, & secundum hoc quod effectus actu procedunt ex suis causis, q.12. de pot. art.10. c.

195. Arg.2. sæpè contingit ut pater ex innata indole filij conjecturaliter cognoscat in quam partem liberè inclinabitur: sed Deus inclinationem voluntatis nostræ infinitè perfectiùs penetrat & cognoscit, quam quilibet Pater indolem filij sui: ergo evidenter cognoscet, in quam partem liberum arbitrium creatum inclinabitur, hâc vel illâ occasione oblatâ, & seipsum determinabit sub concursu indifferenti, quem illi offert.

196. Conf. arbitrij creati comprehensio terminatur ad omne cum quo necessariam connexionem habet: sed supercomprehensio, cùm sit

sit perfectior comprehensione, plura in objecto attingit, quam ipsa comprehensio: ergo supercomprehensio non sistet in effectibus necessariò connexis, sed ad actus liberos evidenter cognoscendos ut futuros pertinget.

Conf. 2. in libero arbitrio creato, ut prædeterminato efficaciter, Deus cognoscit evidenter actus liberos ut determinatè futuros: sed tamen ut prædeterminatum sic arbitrium creatum cum illis indifferenter connectitur, aliàs præmotio tolleret libertatem: ergo in medio, & in causa indifferenti potest effectus certò cognosci; & subinde in libero arbitrio creato, quamvis indifferenti, poterunt certò cognosci actus liberi futuri. 197.

Resp. concessâ maj. dist. min. Deus inclinationem voluntatis nostræ infinitè perfectiùs penetrat & cognoscit, in ipsa voluntate creatâ ceu medio cognoscendi, nego min. In determinatione suæ voluntatis, seu in essentia sua tanquam specie intelligibili determinatâ per voluntatem conc. min. & dist. conseq. cognoscit in ipso arbitrio creato antecedenter ad decretum, nego conseq. cognoscit in ipso decreto & determinatione suæ Divinæ voluntatis, ceu in essentia sua ut specie intelligibili & idea determinata per propositum suæ voluntatis, concedo conseq. 198.

Ad 1. conf. resp. concessâ ibidem maj. neg. min. de ratione enim comprehensionis est quod cognoscat objectum quantùm cognoscibile est, itaut nihil ipsius lateat videntem, ut supra dictum est q. 12. art. 7. Idcirco totum quod super comprehensione illa attingere potest Deus, totum id per comprehensionem suam 199.

perfectiſſimam cognoſcit. Vnde ſupercomprehenſio non eſt perfectior ex parte objecti cogniti, vel cognoſcibilis iſta comprehenſione, ſed ſignificatur ut perfectior ex parte virtutis cognoſcendi collatæ ad ipſum objectum creatum cognoſcibile; quia videlicet ſignificatur non eſſe tantam cognoſcibilitatem in objecto, quanta eſt virtus cognoſcentis, quia iſta infinita eſt & infinitè excedens cujuſlibet objecti creati cognoſcibilitatem propriam & finitam, non tamen ita ut in eo aliquid certò & infallibiliter cognoſcat, quod in ſe certæ & infallibili cognitioni ſubeſſe minimè poteſt: ſicut infinitas divinæ potentiæ nequit facere poſſibile, quod per ſe impoſſibile eſt.

200. Reſp. ad 2. Conf. quod cum Deus res creatas cognoſcat non in ſeipſis, ſed in eſſentia ſua, ſeu in ſeipſo tanquam medio cognoſcendi, non dicitur propriè actus liberos futuros in ipſo arbitrio creato ut prædeterminato cognoſcere, ſed in eſſentia ſuâ, ceu ſpecie intelligibili, & idea determinata, & non indifferenti in repræſentando, & cauſando rem. Cum quo tamen ſtat, quod activa indifferentia illius ſalvetur; quia determinando ſubſtantiam actus liberi determinavit & modum illius, nimirum ut liberè ageret. Vnde negari poteſt major.

201. Reſp. 2. communi ſolut. conceſsâ maj. diſt. min. liberum arbitrium creatum ut prædeterminatum connectitur cum ipſis actibus liberis indifferenter, indifferentiâ activa & libertatis, ſeu poſitivâ, concedo: indifferentiâ paſſiva privativâ & ſuſpenſionis, nego min. Infallibiliter enim operabitur, attamen liberè. Vnde in illo ſic prædeterminato, ut liberè agat, eſt

neceſſitas

necessitas suppositionis, & infallibilitatis, ratione cujus certæ & infallibili ipsius Dei cognitioni subesse potest.

Instabis, ex causâ omnino indifferenti potest oriri unus effectus præ alio: ergo etiam in illa potuit cognosci certò unus effectus præ alio. Antec. prob. ita opponitur causa infallibiliter determinata effectui contingenti, sicut effectus determinatus causæ omnino indifferenti: sed ex causa infallibiliter determinatâ ad alterum externum libertatis oritur in nostra sententia actus liber: ergo ex causa omnino indifferenti poterit oriri unus effectus præ alio determinatus. 202.

Resp. dist. antec. ex causa indifferenti indifferentiâ privativâ, passivâ, & suspensivâ, nego: quia hæc oritur ex potentialitate subjecti, seu agentis; & necessariò est connexa cum illa. Vnde cùm nihil agat inquantum est in potentia, sed in quantum est actu, ex causa taliter indifferenti non potest per se oriri unus effectus præ alio. Quòd si propter aliquas conditiones & circunstantias magis inclinetur in unum quam alium, hoc tantum conjecturalem cognitionem efficere potest, ut ex S. D. *q.8. de verit. art.13. cap.* diximus. Ex causâ indifferenti indifferentiâ activâ, & libertatis factâ in actu, conc. antec. & distinct. conseq. poterit in causa indifferenti, indifferentiâ passivâ & suspensionis, unus præ alio cognosci, nego conseq. Indifferenti indifferentiâ activâ, conc. conseq. Ad prob. antec. dico quòd causa infallibiliter determinata non opponitur effectui contingenti, ut docet S. D. 1. *cont. c.67. cit.* nec effectus determinatus causæ indiffe- 203.

renti activæ, & liberæ, ſed indifferenti paſſivè; cujuſmodi non eſt cauſa libera, cùm ſit in actu.

204. Arg.3. argumento Durandi ſupra adducto; nimirũ,quòd ſicut ex cauſa neceſſaria ſequitur infallibiliter proprius ejus effectus,ita ex cauſa impedibili non impeditâ: ſed cognitâ cauſa neceſſariâ propter infallibilitatem productionis effectus, per certitudinem ipſe effectus cognoſcitur:ergo & cognitâ causâ impedibili, & omnibus, quæ impedire poſſunt,& quòd non impedient, per certitudinem ejus effectus cognoſci poteſt: ſed Deus hoc cognoſcit: ergo ſic contingens ut futurum per certitudinem cognoſcit.

205. Reſp. diſt. maj. ſicut ex cauſa neceſſaria ſequitur infallibiliter proprius ejus effectus, ita ex cauſa impedibili non impedita, ſi attendatur ſolus ordo cauſæ ad effectum, vel effectus ut contentus in cauſa, nego maj. ſi attendatur effectus executio, ſeu exitus à ſua cauſa, & ut effectus eſt in ſe, conc. maj. ſic enim infallibiliter ſequitur & neceſſariò neceſſitate ſuppoſitionis, quæ ab eo contingentiam non tollit. Et hoc pacto per certitudinem cognoſci poteſt,ſed ſic cognoſcere, non eſt cognoſcere ut futurum,ſumitur ex D.Thom. *loc.cit. ex 1.cont. gent.* & *q.12.de verit.*

CAPVT

CAPVT X.

An Deus futura contingentia in veritate illorum objectivâ certò & infallibiliter cognoscat?

§. I.

Statuitur conclusio & probatur.

Societatis Recentiores, & alij nonnulli, ut diximus, quamvis admittant Divinæ præscientiæ certitudinem respectu earum rerum, quæ immediatè à Deo procedunt, ex decretis ipsius Divinæ voluntatis immediatè esse petendam; attamen in illis, quæ interventu causarum secundarum, præsertim liberè agentium, (de quibus est præsens controversia) ab eo fiunt, contendunt nonnisi ex altitudine & eminentia Divini intellectus, & ex determinatâ veritate ipsorum futurorum contingentium in seipsis peti debere; ita ut ante omnem Divinæ voluntatis actum prædiffinientem illud futurum fore, ex se certò scire possit Deus quid ex causis creatis determinatè futurum sit in quolibet ordine rerum ex hypothesi quòd ipse cum eis agere velit. Vbi notandum præfatos Authores non negare (loquendo de futuris absolutis) quin ad certam eorum futuritionem decretum Dei absolutum requiratur, & subinde ad certam ipsorum cognitionem: sed solùm negant, Divinum decretum esse sufficientem & primariam radicem cognoscendi futura contingentia & libera; quia decretum 206.

cretum absolutum in Deo hanc scientiam conditionatam supponit : *Si ergo hoc, vel illud circa illum hominem gessero , hoc volet , aut si in talibus , vel talibus occasionibus & circunstantiis constituatur & moveatur hoc operabitur.* Esto pro futuris conditionatis cognoscendis nullum decretum in re ponendum admittant , sed solùm sub conditione ponendum , & subinde futurum, cōtra quam positionem infrà agemus.

207. Concl. Futura contingentia & libera in signo rationis antecedenter ad efficacia, ac prædeterminativa ipsius Divinæ voluntatis decreta in ratione futurorum contingentium nullam habent determinatam veritatem objectivam in seipsis , ratione cujus seu in qua certò & infallibiliter à Deo cognosci valeant. Ita sumitur ex Arist. lib.1. Periher. c.8. D.Thom. ibid. lect.13. ubi hæc habet : *Si semper verum est dicere de præsenti , quoniam est , vel de futuro , quòd erit , non potest hoc non esse , vel non futurum esse. Cujus consequentiæ ratio patet, quia ista duo sunt incompossibilia , quòd aliquid verè dicatur esse , & quòd non sit ; nam hoc includitur in significatione veri ut sit quod dicitur. Si ergo ponitur verum esse id quod dicitur de præsenti vel de futuro , non potest esse quin illud sit præsens vel futurum : sed quod non potest non fieri idem significat cum eo quod est impossibile non fieri : & quod impossibile est non fieri idem significat cum eo quod est necesse fieri : sequitur ergo ex præmissis , quòd omnia , quæ futura sunt, necesse est fieri. Ex quo sequitur ulteriùs quòd nihil sit , neque ad utrumlibet neque à casu : quia illud quod accidit à casu non est ex necessitate, sed ut in paucioribus.*

Ex

Ex quibus prob. 1. concl. si futura contingentia, vel enunciationes de illis in signo rationis antecedenter ad decretum haberent determinatam in seipsis veritatem, ratione cujus à Deo certò & infallibiliter cognosci possent, etiam determinatum esse haberent; sed quod determinatum esse habet, non est contingens sed necessarium: ergo nihil in rebus esset contingens, sed omnia necessariò evenirent, quod est maximum absurdum. Maj. constat, quia sic se habet res ad veritatem, sicut se habet ad esse; ex eo enim quòd res est vel non est propositio dicitur esse vera vel falsa: igitur si determinatam habent veritatem, etiam determinatum esse habere debent. Min. etiam est evidens, quia contingens se debet habere ad utrumlibet, per id enim à necessario distinguitur, quod est ad unum determinatum. 208.

Respondent contrariæ opinionis fautores, 209. enunciationes hujusmodi equidem ex naturâ rei, determinatam veritatem vel falsitatem non habere, sicuti neque determinatum esse; habere tamen illam ex suppositione futuri eventus pro tempore: quia nimirum in futuro tempore suam de inesse determinatè veram, aut determinatè falsam habebunt; erit enim in tempore futuro verum dicere, *Petrus disputat*, vel *Petrus non disputat*, Vnde ex suppositione hujus etiam ab æterno verum est dicere, *Petrus disputaturus est*, vel *Petrus non est disputaturus*. Pro cujus majori intelligentia nota, quod hi Authores (ut diximus supra) existimant, futura contingentia secundùm suam veram ac realem existentiam, quam in aliqua temporis differentia

differentia habitura sunt, esse ab æterno objectivè in Deo, ad quod esse ipsa Divina cognitio verè & propriè terminatur. Vnde licet, quandiu sunt in potestate causæ liberæ ac indifferentis, nullum in se habeant certum esse atque determinatum, secundùm quòd certò & infallibiliter à Deo cognosci queant; attamen in ea temporis differentia, quâ actu ponuntur extra causas suas in rerum natura, habent certam ac determinatam veritatem, adeo ut intellectus, qui omnes temporum differentias percurreret, & attingeret illud esse actualis existentiæ futurorum, quod extra causas proprias in ea temporis differentia sortientur, illa certò & infallibiliter cognoscere valeret. Ejusmodi autem est Divinus intellectus; & subinde futura contingentia ex suppositione illius eventus in tempore futuri certam & determinatam veritatem habentia Deus certò, & infallibiliter cognoscit. Ita explicat Mastrius in 1. disp.3.q.3.art.3.n.101.

210. Communiter rejicitur hæc solutio, primò, quia determinata & realis futuritio rei futuræ est verus & realis effectus realitate extrinseca petente realem & veram causam efficientem, ac proinde verè atque realiter existentem; sed quandiu futurum habet rationem futuri non existit: ergo ex eventu futuro præcisè provenire nequit, seu ex esse objectivo illius.

211. Secundò, quia eadem ratione propositiones de futuro determinatam haberent veritatem, vel falsitatem in signo rationis antecedenter ad productionem Verbi Divini, & consequenter ante suam possibilitatem; nam si ex eo quòd de crastino peccato, v. g. verificabitur

cras

cras quòd revera est, infertur quòd toto tempore antecedenti & adhuc in illo signo decretum antecedente, est verum cras Petrum peccaturum, eadem ratione erit verum dicere, adhuc in illo signo antecedenti ad productionem Verbi Divini Petrum peccaturum: siquidem prolatâ tunc tali propositione correspondet illi sua de inesse pro tempore importato per copulam; (Et idem dicendum est de enunciatione enunciatâ in illo priori rationis, in quo Divina essentia suam omnipotentiam præcedere intelligitur, atque adeo creaturarum possibilitatem:) sed hoc est falsum: ergo etiam quòd antecedenter ad Divinæ voluntatis decretum determinatam habeant veritatem, vel falsitatem ab illo eventu futuro.

Maj. desumitur ex D. Thoma loc. cit. dicente: *Si similiter se habet veritas & falsitas in præsentibus & futuris, sequitur ut quidquid verum est de præsenti, antea fuerit verum de futuro, eo modo quo est verum de præsenti: sed determinatè nunc est verum dicere de aliquo singulari, quod est album v.g. ergo primo, id est, antequam fieret album, erat verum dicere, quòd hoc erit album: sed eadem ratio videtur esse in propinquo, & in remoto: ergo si ante unum diem fuit verum dicere quòd hoc erit album, sequitur quòd semper fuit verum dicere de quolibet eorum quæ facta sunt, quod erit:* Ergo antecedenter ad productionem Verbi, vel in illo signo quo essentia Divina intelligitur omnipotentiam præcedere. Minor verò prob. Verbum Divinum est causa futuritionis creaturarum, siquidem opera Trinitatis sunt indivisa ad extra: sed implicat, quòd effectus suam causam præcedat: ergo nequit præsupponi 212.

præſupponi futuritio creaturarum, & ſubinde nec veritas enunciationum de futuro contingenti antecedenter ad productionem Verbi. Multominus in illo ſigno antecedenti ad omnipotentiam; alioquin res eſſet determinatè futura, antequam eſſet poſſibilis, cùm per ordinem ad omnipotentiam poſſibilis dicatur; implicat autem quod aliquid ſit determinatè futurum antequam intelligatur eſſe poſſibile. Nam futurum & poſſibile inter ſe comparantur per modum ſuperioris & inferioris, quatenus ſcil. omne futurum eſt poſſibile, non tamen è contra. Nam poſſibile eſt indifferens ad hoc ut ſit futurum & non futurum abſolutè: & ejus ratio quatenus eſt futurum, ſita eſt in determinatione ſeu contractione ipſius poſſibilis.

213. Tertiò impugnatur: in futuro tempore nulla propoſitio valet habere veritatem de præſenti, niſi quia res pro eo tempore ita ſe habet, ſicut per illam enunciatur; v. g. hæc enunciatio Antichriſtus eſt, pro futuro tempore in quo exiſtet, veritatem habet, quia pro eo tempore ita eſt ſicut per illam enunciatur, ex eo enim quòd res eſt vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa: ſed pro eo tempore non habet exiſtentiam phyſicè & in propria natura independenter à divina voluntate & decreto illius, quia niſi vellet non eſſet, & per illam eſt actu quidquid eſt: ergo neque pro eo tempore habet determinatam veritatem niſi dependenter à divina voluntate atque illius decreto: ſed veritas de futuro regulatur per veritatem de præſenti; Hæc enim eſt vera Antichriſtus erit, quia aliquando erit verum dicere Antichriſtus

christus est: ergo propositio de futuro nullatenus determinatam veritatem habere potest independenter à decreto divinæ voluntatis determinantis ut sit, & eo modo sit, eodemque tempore, quibus vult.

Conf. Veritas illius futuri contingentis non est veritas necessaria nisi ex suppositione, & non absolutè: sed veritas ex suppositione duntaxat oritur ex hoc quòd res dum actu est non potest non esse, licet absolutè esse non possit: ergo quandiu nondum est actu & physicè, nec super illam ut sic fertur intuitus cognoscentis, absolutè potest non esse; & subinde non habet determinatam veritatem: sed ab æterno, in opposita sententia, divinus intuitus non fertur in futura ut præsentia sunt actu & physicè in mensura æternitatis, sed solùm ut habent esse in cognoscente objectivè: ergo ab æterno non cognoscit futura ut habentia determinatam veritatem ex suppositione futuri eventus, quia suppositio illa necessitatis non oritur nisi ex hoc quod res dum est actu & physicè non potest non esse, & non ex hoc quod habet esse objectivè in cognoscente, alioquin quidquid cognoscitur, verum esset, quia quidquid cognoscitur habet esse actu in cognoscente objectivè. Sed de his ampliùs in Metaphysica, Deo placidè annuente. Vide dicenda in sequenti ratione. 214.

215. Secunda ratio sumitur ex eodem S. D. loc. cit. dicente: *Cùm verum hoc significet, quod dicatur aliquid esse quod est, hoc modo est aliquid verum, quo habet esse. Cùm autem est aliquid in præsenti, habet esse in seipso; & ideo verè potest dici de eo, quòd est; sed quandiu est aliquid futurum,*

rum, nondum est in seipso, est autem aliqualiter in sua causa. Quod quidem contingit tripliciter: uno modo ut sic sit in sua causa, ut ex necessitate ex ea proveniat, & tunc determinatè habet esse in sua causa, unde determinatè potest dici de eo quod erit. Alio modo aliquid est in sua causa, ut quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest. Unde & hoc determinatum est in sua causa sed mutabiliter, & sic de hoc verè dici potest hoc erit; sed non per omnimodam certitudinem. Tertiò aliquid est in sua causa purè in potentia, quæ etiam non est magis determinata ad unum, quam ad aliud. Unde relinquitur, quòd nullo modo potest de aliquo eorum determinatè dici quòd sit futurum, neque quòd sit vel non sit.

216. Ex quibus 2. prob. concl. omnis veritas objectiva determinata in aliquo esse fundari debet, cùm veritas consequatur ad ens: vel ergo veritas futurorum contingentium fundatur in esse quod habent in seipsis, vel in esse, quod in suis causis habent? Neutrum dici potest, igitur ante Divinæ voluntatis decretum nullam determinatam veritatem objectivam habent. Min. quoad 1. partem constat: contingentia enim quandiu sunt futura, non sunt in se, quinimò tunc rationem futuri amittunt,
1. p. q. 14. art. 13. ut docet S. D. dicens: *Considerandum est quòd contigens aliquod dupliciter potest considerari. Uno modo in seipso, secundùm quòd jam est actu, & sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens, neque ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum:* ergo veritas objectiva futurorum contingentium nequit fundari in aliquo esse, quod in se habeant. Deinde neque fundari potest in esse, quod in suis causis sortiuntur;

tur; quia nulla res futura potest habere esse certum & determinatum in causa indifferenti, & impedibili: sed ante decretum Divinæ voluntatis omnis causa libera contingens est indifferens & impedibilis, cùm de intrinseca ratione contingentis sit ad utrumlibet se habere, seu posse esse, & non esse: ergo ante illud non habet esse certum & determinatum in causis suis. Vnde S. D. ait: *Quædam causæ sunt, quæ se habent ad utrumque, & in ipsis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem vel determinationem.* Maj. prob. quia juxta modum causæ est modus effectus illius, ac proinde effectus dicitur necessarius, quia provenit à causa ab intrinseco determinata: ergo nulla res futura esse certum & determinatum in causa impedibili & contingenti habere potest. Loc. cit. ex 1. p. & 1. sent. ad Annibal. dist. 38. art. 1.

Conf. veritas objectiva determinata in certa atque determinata connexione prædicati cum subjecto consistit: sed in signo rationis antecedenti ad decretum Divinæ voluntatis nulla est certa ac determinata connexio prædicati cum subjecto in enunciationibus de futuro contingenti: ergo nec ulla veritas objectiva determinata. Min. prob. nulla potest esse vel concipi causa quæ certò & infallibiliter conjungat extrema enunciationum de futuro contingenti; v. g. existentiam cum Antichristo, vel conversionem futuram cum Petro: ergo in signo rationis antecedente ad Divinum decretum nulla potest esse vel concipi certa & infallibilis connexio inter prædicatum & subjectum enunciationum de futuro contingenti. Prob. antec. In tali signo non concipitur nisi omnipotentia nudè sumpta & inde- 217.

terminata ad productionem rerum, & secundùm Adversarios, decretum indifferens concurrendi ad quodcunque homo voluerit: sed certa & infallibilis connexio illorum extremorum in enunciatione de futuro contingenti nequit procedere, neque à Divinâ omnipotentia nude sumptâ & indeterminatâ, neque à decreto indifferenti & indeterminato: ergo in signo rationis antecedente decretum nulla potest esse aut concipi certa & determinata connexio inter prædicatum & subjectum enunciationum de futuro contingenti. Min. prob. ex S. D. quia à causa indifferenti ut indifferens est, certus ac determinatus effectus oriri nequit.

218. Dices, futura contingentia in illo priori non habere equidem in seipsis determinationem, vel indeterminationem suarum causarum secundùm aliquod esse exercitum, sive in exercitio existens: bene tamen secundum quoddam esse objectivum, & in actu signato, eo modo quo essentiæ reales per modum essentiæ dicuntur habere esse quoddam objectivum reale, quia ad realem existentiam ordinem dicunt. Vnde hoc ipso quòd lectio v. g. futura pro die crastino habeat quòd sit determinatè cras, oportet ut in quovis signo antecedenti habeat prædicta lectio determinatam futuritionem per ordinem ad determinatam existentiam, quæ die crastino actu illi conveniet, ceu per objectum talem determinationem tribuens. Ac proinde ejusmodi lectio in esse objectivo verum habet esse, & intra lineam objectivam reale.

219. Contra 1. Futurum hanc sortitur necessitatem

tem solummodo ex suppositione quâ est futurum; sicut præteritum illam habet ex suppositione qua est præteritum; & præsens ex suppositione qua est præsés: ergo sicut in præsenti & præterito hæc necessitas est modus quidam, seu determinatio secundùm esse reale à parte rei, aut secundùm realem negationem ejus, quod fuit. & non secundum esse objectivum duntaxat, ita & in futuro. Antec. prob. ex Divo Anselmo lib. de concord. ubi ait: *Rem verò futuram necesse est esse futuram; quoniam futurum esse nequit & non futurum:* Et D. Aug. lib. 26. contra Faustum cap. 4. dicente: *Tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita.*

Contra 2. nam vel illud esse objectivum consistit in eo, quod est esse objectum actu terminans cognitionem certam & infallibilem, sive significationem propositionis, quæ sit certæ & determinatæ veritatis; vel in eo quod est esse fundamentum aptum ad terminandum? Primum dici nequit; ex hoc enim quod aliquid expressè habeat actu esse cognitum, non infertur quod verum esse reale objectivum habeat; cùm & ipsi enti rationis competat esse actu cognitum, seu esse quoddam objectivum. Si autem dicatur secundum, sequitur, illud esse objectivum non esse distinctum ab esse reali, quod ipsi futuro à parte rei competit, prout habet esse in seipso & in causa sua. Conseq. prob. hujusmodi esse objectivum formaliter ad ordinem objecti spectare dêbet: sed esse objectivum reale fundari debet in aliquo esse reali & pertinente ad ordinem rei, aliàs rationem aliquam realem objecti fundare non posset: ergo illud fundari debet in aliquo esse reali: 220.

ergo in esse quod habet in seipso, vel in causa sua.

221. Conf. Quòd lectio crastina v.g. sit determinatè futura pro tali die, itaut verè & realiter sit infallibilis futuritio ipsius determinata potiùs quam non futuritio, atque adeo prædicta determinatio secundùm esse objectivum sit hodie vera & realis, provenire nequit ex eo præcisè quod die crastino v.g. verificabitur, quod existentia & actualitas prædictæ lectionis revera est: ergo debet provenire ex eo quòd prædicta futuritio potiùs quam non futuritio habeat esse determinatum in suis causis pro die hodierna, seu quoddam esse exercitum verum & reale: quia nonnisi duplex est hoc esse, nimirum exercitum seu rei in se; & esse in suis causis, in quo illud esse objectivum reale fundari possit. Antec. prob. quamvis per prædictam existentiæ actualitatem, seu esse exercitum res ab indifferentia & indeterminatione causarum extrahatur, & constituatur in statu certo & determinato ad alteram partem, nempe in illo statu, in quo habet esse actu in seipsa pro illo instanti in quo actu est, & sequentibus, non tamen pro instantibus præcedentibus, in quibus eam in virtute suarum causarum relinquunt, quæ suapte naturâ sunt ad utrumlibet indifferentes atque adeo nequeunt esse illi ratio determinationis ad alteram partem: tota igitur illa determinatio à prima causa esse debet in re futura, & ratione Decreti illius efficacis Divinæ voluntatis determinatam veritatem objectivam habere.

222. Cujus rei gratia nota ex D. S. quòd futurum contingens dupliciter considerari potest: uno modo

modo secundùm quod est futurum, & sic vel aliud est cognoscere futurum contingens, quam cognoscere causas ejus ut ordinatas ad illius productionem: nam effectus in quacunque causa efficiente existens non est aliud ab ipsa, si accipiatur id quod est per se causa; sicut domus in arte nil aliud est quam ars: quia secundùm hoc effectus est in principio activo, quòd principium activum assimilat sibi effectum, hoc autem est ex eo quòd agit: unde si aliquod principium activum agat per suam formam tantùm, secundùm hoc est effectus ejus in ipso, quòd habet formam illam, nec effectus erit in eo distinctus à forma sua: & quia causæ contingentium, maximè quæ sunt ad utrumlibet, non habent immutabilem ordinem ad suum effectum, idcircò secundùm hunc modum contingens futurum immutabiliter sciri nequit, ac proinde neque determinatè per propositionem de futuro significari. 1. ad Anib. dist. 38. q. 1. art. 1.

223. Alio modo potest considerari futurum contingens ratione illius temporis, in quo futurum esse prædicatur, in quo equidem tempore futurum jam præsentialiter est, & consequenter est determinatum ad unum, quo pacto certitudinaliter cognosci potest, utpote visum in seipso, vel per seipsum. Cæterum antequam sit in tali tempore præsens solus Deus illud videt. Cùm enim Divinæ cognitionis intuitus sit in momento æternitatis præsens omnibus temporis ipsius partibus, videt ab æterno rem quamlibet secundùm statum, quem in quolibet temporis puncto habet: quapropter videt Sortem sedere pro eo tempore quo sessurus est, non quidem ut futurum sibi, qui est extra omne

tempus constitutus, sed ut præsens sibi, futurum autem respectu aliorum, quæ in tempore præcedunt, quanquam etiam videat ordinem mutabilem causarum præcedentium ad hunc effectum. Et sic manifestum est, quòd respectu futuri contingentis singularis, maximè illius quod est ad utrumlibet, non potest dari propositio, quæ sit determinatè vera, vel determinatè falsa.

224. Vnde contra prædictam evasionem 3. instatur: secundùm Authores oppositæ sententiæ, Deus futurum contingens non cognoscit ut præsens sibi physicè & coexistens secundum proprium esse in mensura æternitatis, sed cognoscit illud ut futurum, non modò nobis, sed etiam sibi: sed cognoscere futurum ut futurum solùm est cognoscere causam illius futuri ordinatam ad illius productionem: ergo Deus cognoscendo futurum, ut futurum est contingens, solùm cognoscit illud quatenus cognoscit causas illius ut ordinatas ad ipsius productionem: sed causa contingentis ut contingens est, non est ordinata ad suum effectum necessaria habitudine atque immutabili, sed contingenti & quæ potest non esse: ergo cognoscitur à Deo ut potens esse, & non esse ejusmodi contingens, & non ut habens esse determinatum: ergo non cognoscitur certò & secundùm determinatam veritatem; quia sic se habet res ad ad veritatem sicut se habet ad esse. Maj. ex dictis patet. Minor verò prob. quia ipsum futurum secundùm suum esse reale solùm habet esse extra causas actu, vel intra illas; ut extra causas cum actu præsens est & existens, unde sic cognoscere illud non est cognoscere

cognoſcere ſimpliciter ut futurum ei qui cognoſcit, ſed ut phyſicè præſens: ergo ſi cognoſcitur ut futurum debet cognoſci prout habet eſſe in cauſa ordinatâ ad illius productionem: quo pacto habet eſſe indifferens atque indeterminatum. Nam, ut inquit S. D. effectus in quacunque cauſa efficiente exiſtens non eſt aliud ab ipſa cauſa, quæ per ſe illius cauſa eſt, v. g. domus quæ eſt effectus artis, prout eſt in arte nil aliud eſt quam ars: ſed cauſa contingens per ſe eſt indeterminata: ergo prout effectus futurus eſt in illa habet eſſe indeterminatum. Maj. prob. quia ſecundùm hoc effectus eſt in principio activo ſeu causâ efficiente, ſecundùm quòd aſſimilat ſibi effectum: ſed aſſimilat ſibi effectum ſecundùm quod actu agit, & actu agit per ſuam formam per quam habet eſſe, tanquam per principium quo & ſubinde aſſimilativum: ergo cùm aliqua ſunt eadem ſecundum quòd conveniunt in forma, effectus in quacunque cauſa efficiente non eſt aliud ab ipſa cauſa.

Nec valet recurrere ad illam præſentiam objectivam, quia etiam dum cognoſcitur futurum ut habet eſſe in cauſa cognoſcitur ut præſens objectivè intellectui præſentia intentionali & objectivâ, cùm cognitio actualis fiat per hoc quòd intellectum eſt actu in intelligente: ergo dum ſic cognoſcitur, ſemper cognoſcitur ut indeterminatum eſſe habens, & ſubinde non valens terminare ſeu efficere ſui certam cognitionem. Adde quòd tam in cognitione certa, quam incerta ſemper objectum actu objectivè eſt præſens: ergo præſentia objectiva ut objectiva non habet cau- 225.

ſare determinationem, ſed hæc eſt ex objecto in ſe: ergo vel tenentur adverſarij fateri quòd illud futurum attingitur à Deo ut ipſi phyſicè præſens, vel quod certò ab eo non cognoſcitur.

§. I.

Solvuntur argumenta.

226. ARg. 1. Ex duabus contradictoriis altera debet eſſe determinatè vera, & altera determinatè falſa: ſed iſtæ duæ enunciationes de futuro contingenti *Petrus diſputabit*; *Petrus non diſputabit*, intellectæ de eodem ſecundùm idem eodem loco & tempore, ſunt contradictoriæ pro priori etiam & ſigno rationis ad decretum Dei: ergo altera ipſarum debet eſſe determinatè vera, & altera determinatè falſa.

227. Variæ ſolutiones huic argumento à DD. exhiberi ſolent. Quidam negant in illo priori ſigno rationis ante decretum Divinæ voluntatis propoſitiones illas vel quaſlibet alias de futuro ſingulari contingenti eſſe formaliter & ſignificativè propoſitiones, ſed tantùm materialiter, & in apparentia. Quia tunc termini illi mediis conceptibus non ſignificant, cùm in illo priori intellectus Divinus conceptum nullum formaverit, vel extremorum, vel conjunctæ propoſitionis. Pro illo enim priori nihil de futuritione, vel non futuritione ipſarum concipit.

228. Alij aſſerunt non eſſe de ratione propoſitionis, quòd pro illo ſigno rationis ſit vera, vel falsâ determinatè, ſed pro quolibet inſtan-

tij

ci durationis. In instanti autem durationis jam datur Divinum decretum de futuritione, vel non futuritione; unde post illud jam determinatam veritatem, vel falsitatem sortiuntur.

Sed resp. ex S. D. non requiri in omnibus contradictoriis, quòd altera illarum sit determinatè vera, & altera determinatè falsa; sed sufficere quòd sit vera vel falsa disjunctivè; seu quod idem est sub disjunctione alterum contradictorium necesse est esse, & sub disjunctione alterum necessarium est non esse, sed non determinatè hoc vel illud. Hoc enim gratiâ materiæ duntaxat accidit: quia videlicet fiunt in tali materia propositiones, in qua unum ita necessariò competit alteri, vel ei repugnat, ut non possit non convenire, vel non possit ei non repugnare, ut in materia necessaria, & impossibili. At verò in materia contingenti omnino contrarium evenire necesse est; de natura enim contingentis est ut ad utrumlibet se habeat, & in tantum habet determinationem, in quantum aliquam ex suppositione necessitatis rationem induit; nimirum vel quia habet esse de præsenti, vel præterito. Quæ doctrina est Philosophi lib. 1. Periherm. cap. 8. ubi ait: *Et in contradictione eadem est ratio: esse quidem vel non esse omne necesse est & futurum esse vel non esse; non tamen contingit dividentium alterum esse necessarium. Veluti necesse est quidem pugnam navalem cras fore, aut non fore, non tamen fore pugnam navalem cras necesse, neque rursus non fore, attamen fore aut non fore necesse est.* In quæ verba D. Th. ibid. lect. 15. *Ostendit,* inquit, *quomodo* 229.

modo se habeat veritas & necessitas circa res per comparationem ad sua opposita : & dicit quòd eadem ratio est in contradictione , quæ est in suppositione. Sicut enim illud quod non est absolutè necessarium , fit necessarium ex suppositione ejusdem , quia necesse est esse quod est , ita etiam quod non est in se necessarium absolutè fit necessarium per disjunctionem oppositi , quia necesse est de unoquoque quòd sit vel non sit , & quòd futurum sit aut non sit , & hoc sub disjunctione : & hæc necessitas fundatur super hoc principium, quod impossibile est contradictoria simul esse vera vel falsa. Vnde impossibile est neque esse neque non esse ; ergo necesse est vel esse vel non esse. Non tamen si divisim alterum accipiatur necesse est esse illud absolutè. Et hoc manifestat per exemplum , quia necessarium est navale bellum esse futurum cras vel non esse : sed non est necessarium navale bellum futurum esse cras. Similiter etiam non est necessarium non esse futurum , quia hoc pertinet ad necessitatem absolutam , sed necesse est , quod vel sit futurum cras , vel non sit futurum , & hoc pertinet ad necessitatem , quæ est sub disjunctione.

230. Contra : veritas disjunctivæ ex veritate alicujus partis ipsius desumitur : ergo determinata illius veritas ex veritate determinatâ alicujus partis desumi debet : ergo aliqua pars disjunctivæ de futuro contingenti debet esse determinatè vera pro illo priori ad decretum Divinum.

231. Conf. 1. Verum & falsum ex Aristotele accipiuntur sicut ens & non ens : sed pro nullo instanti medium potest accipi inter ens & non ens : ergo pro omni instanti altera par disjunctivæ

junctivæ debet eſſe determinatè vera, & altera determinatè falſæ.

Conf.2.ex Ariſtotele verum & falſum ſe habent ſicut ſanum & ægrum in animalibus: ſed de quolibet animali pro quovis inſtanti eſt verum affirmare quod determinatè ſit ſanum vel ægrum: ergo ſignatâ qualibet propoſitione etiam erit verum dicere,illam eſſe vel determinatè veram, vel determinatè falſam. 232.

Reſp. ſolutionem traditam, ſi ſanè & ut debet intelligatur, eſſe optimam; nam ut notat Albertus 1.*Periher. tract.5.cap.6.& 7.* poteſt in ipſa disjunctiva attendi, vel ipſa disjunctio conjunctim ſumpta, vel ipſa disjuncta: quod eſt ſumere ipſam disjunctivam formaliter ſeu prioriſticè, & materialiter ſeu poſterioriſticè. Primo modo ſumendo ipſam disjunctionem conjunctim determinatam habet veritatem. Neceſſe eſt enim fore, vel non fore,conjunctim disjunctionem ſumendo: ſed non eſt neceſſe ut aliquod disjunctorum determinatè verum ſit. Quapropter cùm dicitur, Petrus diſputabit, vel non diſputabit neceſſariò, poteſt eſſe neceſſitas disjunctionis conjunctim, & ſic eſt vera: vel neceſſitas disjunctorum diviſim, & ſic eſt falſa. 233.

Pro majori intelligentia obſervandum eſt ex S. D. quòd contradictio ſecundùm ſe ſumpta qualitatem propoſitionis ſequitur, quæ eſt veluti forma ejus; ſumitur enim penes affirmationem, vel negationem prout iſta ſimpliciter eſt affirmationis remotio. Quòd autem propoſitio ſit de præſenti, præterito, vel futuro ſumitur ſecundùm temporis differentias, quatenus videlicet omnis enunciatio,cùm ſit compoſitio 234.

positio vel divisio, debet constare ex verbo vel casu verbi. Quòd autem sit necessaria, impossibilis, aut contingens ex parte ipsius materiæ accipitur, & secundùm habitudinem prædicati ad subjectum. Nam si prædicatum per se subjecto insit, erit enunciatio in materia necessaria, sive naturali: si autem per se illi repugnet, erit in materia impossibili, seu remota: si nec per se repugnet, nec necessariò conveniat, erit in materia contingenti seu possibili esse vel non esse. Itaque vis contradictionis, quæ ex parte formæ se tenet, exigit formaliter veritatem & falsitatem, seu quòd una sit vera & altera falsa, sub disjunctione tamen conjunctim sumptâ. Sed quia exercitium formæ in individuo requiritur materia determinata, stat bene, quòd quantùm ad hoc non detur in exercitio determinatio veritatis in altera contradictoriarum determinatè; quia forma recipitur in materia juxta capacitatem ac dispositionem ipsius. Idcirco si est naturalis seu necessaria, in exercitio est determinata veritas; si impossibilis, est falsitas: si autem sit contingens ad utrumlibet, medio modo seu indifferenter se habet, hoc est, ex parte disjunctorum non est determinata veritas, itaut altera enuntiationum sit determinatè vera, & altera determinatè falsa.

235. Vnde ad replicam resp. in forma dist. antec. veritas disjunctivæ ex veritate alicujus partis desumitur, loquendo de ipsa disjunctiva formaliter, & ex parte disjunctionis conjunctim sumptæ, conc. antec. loquendo de illa materialiter, & ex parte alicujus disjuncti divisim sumpti, nego antec. Hoc enim non habet ex se,

se, sed ei accidit, quia est in tali vel tali materia. Et dist. conseq. eodem modo.

Cum hac responsione coincidit illa, quam aliqui viri Docti tradunt dicentes illud disjunctum esse verum & necessarium, non quia aliqua pars illius sit determinatè vera pro illo priori antecedente liberum Divinæ voluntatis decretum, sed quia constat ex oppositis & partibus impossibilibus, ita quod illa propositio est vera in sensu disiuncto, & in confuso, non autem in disiunctivo seu determinato. Vnde nec est reducibilis ad disiunctivam, nec sicut disiunctiva probari potest: quapropter non est opus ut aliquam habeat partem, quæ sit determinatè vera, vel determinatè falsa: & si reducatur ad disiunctivam, fiet argumentum à determinata ad confusam; non minùs quam si sic fieret argumentum: *Ad equitandum requiritur equus: ergo requiritur iste determinatè, vel iste*; quæ illatio nulla est: & similiter ista: *Antichristus erit vel non erit: ergo Antichristus erit, vel Antichristus non erit*, in qua nulla pars determinatè inferri potest. Quod prob. quia illud disiunctum est necessarium etiam pro illo priori rationis: ergo non verificatur ratione alicujus partis determinatæ, quia cùm quælibet determinata pars sit contingens, neutiquam ratione illius partis contingentis potest reddi tota proposito, vel totum disiunctum necessarium. Observanda maximè pro hoc negotio doctrina ex Aristot. & D. Thoma adducta supra. 236.

Dices: hæc confusio ex parte nostræ cognitionis provenit; quia nimirum determinatè non scimus, in quo membro disiunctum illud 237.

illud verificetur: cæterum in re non potest esse in aliqua parte indeterminatum: quando enim una pars illius disiuncti evenit, reipsa ostendit propositionem antea prolatam de hujusmodi futuro fuisse determinatè veram; quia revera ita fuit futurum, sicut per illam significabatur.

238. Resp. quod sicuti nulla res in seipsa est seu existit nisi post divinæ voluntatis decretum, nihil enim esset nisi Deus voluisset, ita in re non est determinatè vera, nisi post ejusmodi decretum: At verò in prioritate antecedente ipsum decretum, illa non est determinatæ veritatis, nec pro illo priori magis suapte naturâ conformatur uni objecto quam alteri opposito. Sed ex divino decreto provenit statuente quod ita fiat, ex quo incipit esse determinatæ veritatis, & tali objecto conformari. Vnde illius disiuncti confusio ex solo defectu nostræ cognitionis non provenit, sed ex meritis illius considerati secundùm quòd in priori rationis divinæ voluntatis decretum antecedit.

239. Ad 1. conf. resp. quod sicut loquendo de præsenti, etiam ante divinæ voluntatis decretum pro illo priori rationis de quolibet est verum dicere, seu intelligitur, quòd est vel non est, ita similiter quælibet propositiones sunt determinatè veræ, aut determinatè falsæ; & similiter de præteritis. Sed loquendo de futuro contingenti res aliter se habet: sicut enim ante ipsum nihil est determinatè hoc vel illud ens, quia utrumque à Divina voluntate potest liberè fieri: ita & propositiones de futuro contingenti nec determinatè sunt veræ, aut determinatè falsæ, ut sumitur ex Philos. *loc.cit.*

qui

qui hanc ibi differentiam constituit inter propositiones de præsenti ac de præterito, & illas quæ sunt de futuro contingenti.

Ad 2. Conf. duplex solet adhiberi solutio: prima est, quòd contraria immediata solùm postulant, quod nullum detur temporis vel durationis instans in quo in re sit subjectum, & nullum ejusmodi contrariorum insit: in prioritatibus autem rationis hoc non postulant, ut patet in gratia & peccato, quæ in statu naturæ lapsæ immediatè opponuntur, & comparantur ad animam, sicut vera ægritudo & vera sanitas illius; ac proinde nullum sui durationis instans datur, in quo anima non sit vel cum gratia, vel sub peccato: at verò in prioritate rationis, cùm anima contritionem habere intelligitur ut disponentem ad gratiam, tunc intelligitur, neque esse sub peccato, hoc enim per contritionem excluditur: neque habere in facto esse gratiam justificantem, sed intelligitur in via ad ipsam. Sic ergo licet nullum detur temporis sive durationis instans in quo verum & falsum, utpote immediatè opposita, in propositionibus determinatè non inveniantur, etiam si sint de futuro contingenti; tamen in prioritate & signo rationis antecedente liberum divinæ voluntatis decretum volentis, vel permittentis ut illud futurum sit, vel non sit determinatè, nullum determinatè aut verum aut falsum in ejusmodi propositionibus invenitur. 240.

Secunda solutio est: verum & falsum quod Philosophus ibi comparat ægro & sano, esse verum & falsum, quod in propositionibus contrariè oppositis, invenitur, in quibus semper 241.

per

per una est determinatè vera, altera falsa. Cæterum in propositionibus de futuro singulari contingenti omnino contrarium docet : unde non adducit illud exemplum agens de iis comparationem in ægro & sano, sed in bello navali cras futuro, vel non futuro.

242. Arg 2. Illa propositio est determinatè vera, quæ est conformis suo objecto : sed hæc propositio v. g. *Antichristus erit*, etiam pro priori ad decretum est conformis suo objecto : ergo est determinatè vera. Prob. min. Tunc propositio est conformis suo objecto, quando illud ita se habet sicut per illam propositionem enunciatur : sed objectum hujus propositionis, *Antichristus erit*, ita se habet ut per illam enuntiatur, cùm revera Antichristus sit existentiam in aliqua temporis differentia habiturus : ergo hæc propositio etiam pro priori ad decretum est conformis suo objecto.

243. Conf. 1. Illa propositio de futuro est determinatè vera, quæ aliquando habebit suam de præsenti, seu de inesse veram : sed hæc propositio *Antichristus erit*, habebit aliquando suam de inesse veram, aliquando enim erit verum dicere, *Nunc est Antichristus* : ergo est determinatè vera. Maj. patet, quia veritas enunciationis de futuro per suam de inesse regulari & cognosci debet.

244. Conf. 2. Objectum hujus enunciationis *Antichristus erit*, non est determinatio causæ primæ, sed existentia Antichristi pro tempore habenda : ergo quamvis ipsa causa prima in signo rationis antecedenti decretum divinum non sit determinata ad producendum Antichristum, hoc tamen non prohibet, quin ejusmodi

modi propositio pro illo priori sit determinatè vera.

Resp. 1. ad arg. concessâ Maj. neg. min. Ad cujus prob. dist. maj. tunc propositio est conformis suo objecto, quando ita se habet, ut per eam enunciatur, si habeat ex vi illius signi in quo enunciatur, seu ex vi dispositionis factæ in tali signo, conc. maj. Si hoc habeat ex vi alterius signi, seu ex vi dispositionis factæ in alio signo subsequenti, nego: quod autem Antichristus sit existentiam habiturus pro aliqua temporis differentia hoc non provenit ex vi dispositionis factæ in signo decretum antecedenti, sed ex vi ipsius decreti, quo voluntas divina se determinat ad producendum aliquando Antichristum. Et quia tale decretum, & determinatio causæ primæ in Scriptura est revelata, ideo hæc propositio, *Antichristus erit*, modò non solùm est determinatè vera, sed etiam de fide. 245.

Reg. 2. ex D. Thom. dist. maj. illa propositio est determinatè vera quæ est conformis suo objecto, in esse objectivo tantùm, & intelligibili, seu prout habet esse duntaxat in cognoscente, nego maj. in esse objectivo seu intelligibili, & in esse rei, seu prout habet talem modum essendi in re, concedo maj. Unde si ipsa res habet in se & determinatum, enunciatio determinatam sortitur veritatem; si autem solùm habet esse in causa indeterminata, & ad utrumlibet se habente, tunc determinatam non habet veritatem, nec determinatè vera est, & dist. min. hæc propositio, Antichristus erit, etiam pro priori ad decretum est conformis suo objecto in esse objectivo tantùm 246. 1.p.q.16. a.6. ad 4.

& intelligibili, seu ut habet esse duntaxat in cognoscente, conc. min. secundùm determinatum essendi modum in re, seu in esse rei determitatè, nego min. quia ante decretum nullum esse rei exercitè & determinatè est. Ad prob. concessâ maj. dist. min. Objectum hujus propositionis, Antichristus erit, ita se habet in esse objectivo & intelligibili seu repræsentativo, sicut per eam enunciatur, concedo, in esse rei, & secundùm determinatum essendi modum in re, nego min. Quia pro illo priori ante divinæ voluntatis decretum non cognoscitur simpliciter in esse futuri, sed in esse possibilis, nisi subintelligendo, si Deus voluerit. Unde

247. Resp. 3o. concessâ maj. dist. min. est conformis suo objecto, actu & formaliter, & secundùm id quod exprimit, nego min. virtualiter, & subintellectâ conditione importante habitudinem ad decretum divinæ voluntatis, nimirum si Deus voluerit, vel decreverit fore, concedo min. & nego conseq. Ad prob. dist. min. objectum hujus propositionis, *Antichristus erit*, ita se habet sicut per illam enunciatur, præcisè secundùm illud quod exprimitur, & nullâ habitudine ad decretum Divinum subintellectâ, nego min. illâ habitudine subintellectâ, & conditione, si Deus voluerit & decreverit ipsum fore, conc. min. dependenter enim à tali decreto habet quòd in aliqua temporis differentia sit extiturus.

248. Resp. ad 1. Conf. concessâ maj. dist. min. hæc propositio, *Antichristus erit*, formatâ pro priori ad decretum habebit aliquando suam de inesse veram, ex vi talis prioris, & dispositionis in eo factæ, nego min. ex vi signi posterioris

rioris & divini decreti determinantis aliquando producere Antichristum conc. Et eodem modo distinguo consequens.

Resp. 2. quòd hæc propositio formata pro priori ad decretum, unum formaliter exprimit, & aliud virtualiter continet, reddit enim hunc sensum, Antichristus erit, vel non erit, prout Deus disposuerit ipsum fore, vel non fore: unde propositio de inesse illi correspondens est, Antichristus est vel non est, in qua nulla pars disiuncti determinatè vera est, ut dictum est.[a] Ratio hujus est, quia illa propositio pro priori ad decretum intellecta non habet determinatum ordinem ad existentiam, sed objectum ejus est intra cancellos puræ possibilitatis, estque in libera voluntatis divinæ potestate ut sit, vel non sit, aliàs liberè non foret: ergo nisi intelligatur sub disiunctione illa erit, vel non erit prout Deus voluerit, seu decreverit, ac disposuerit, nullatenus verificari potest. Nec ista de inesse, Antichristus est, est proprius terminus illius & regula, quia non dicit habitudinem ad illam per se immediatè, sed dependenter à voluntate divina determinante illud fore, sed sua de inesse est, Antichristus est, vel non est, ut diximus. 249.

Ad 2. Conf. resp. objectum propositionis de futuro contingenti esse ipsam existentiam rei, vel ipsam rem ut determinatam ad esse pro aliqua temporis differentia: quæ quidem determinatio est à divina voluntate simpliciter, quippe quæ respicit res secundùm determinatum esse, & conditiones omnes illarum, ut docet S.D. quæst. 22. de verit. art. 2. ad 2. & 3. & nos cum eo infrà explicabimus. 250.

251. Contra ejuſmodi ſolutiones inſtatur primò: enuntiationem eſſe veram, eſt eſſe conformem ſuo objecto, & falſam eſt ei non eſſe conformem: at inter eſſe & non eſſe conformem non datur medium: ergo pro quovis priori debet eſſe determinatè vera, aut determinatè falſa quævis propoſitio de futuro.

252. Contra 2. nam ex hac doctrina ſequitur, propoſitionem quamlibet affirmativam de futuro eſſe falſam pro priori,& negativam ei contradictoriè oppoſitam eſſe veram: ſed hoc eſt falſum: ergo tradita ſolutio ruit. Min. patet, nam ſi affirmativa ante decretum eſt vera, erit neceſſaria, quia pro priori ad decretum liberum quodlibet eſt neceſſarium cùm illud ſit fons libertatis in rebus creatis,quod falſum eſt.Sequela verò prob.quia propoſitionis affirmativæ falſitas in eo conſiſtit, quòd aliquid affirmet eſſe aliter quàm eſt: ſed dicta propoſitio affirmat aliquid pro illo priori aliter ac eſt; affirmat enim rem eſſe futuram, quæ reipſa pro illo priori futura non eſt: ergo eſt falſa. Id autem quod ſufficit ad falſitatem affirmativæ, ad veritatem negativæ contradictoriè illi oppoſitæ ſufficit.

253. Ad 1. reſp. diſt. maj. pro 2. parte, propoſitionem eſſe falſam eſt non eſſe conformem, purè præciſivè, ſeu negativè nego maj. eſt non eſſe conformem contrariè, ſeu poſitivè conc. maj. Et diſt. min. non datur medium inter eſſe, & non eſſe conformem, ly *non eſſe* accepto præciſivè, ſeu negativè conc. min. accepto contrariè, nego min. & conſeq. quia pro illo priori neque eſt conformis, nec non conformis contrariè, ſed purè præciſivè, quod ſuffi-

cit

cit ut non sit falsa dicta propositio, quia status ille ante determinationem actualem divinæ voluntatis est status rei secundum se, seu rationem suam, quam habet secundùm quod possibilis est; unde quemadmodum de natura secundùm se sumptâ verificatur quòd positivè neque est singularis, neque universalis, sed negativè dicitur universalis inquantùm positivè pro illo statu singulari non est, licèt in re non detur natura, quæ singularis non sit: similiter ante decretum illud enunciatio non intelligitur secundùm se esse conformem, vel difformem positivè, & contrariè; sed negativè, licet in re non detur quæ conformis, vel difformis non sit. Ut autem in re sit, necessariò decretum divinæ voluntatis præsupponere debet.

Resp. 2. quod esse conformem, & non esse conformem pro illo priori formaliter non repugnant, neque contradictoria sunt, secundùm illud quod explicant, quia nulla earum potest esse determinatè falsa; sed sunt contradictoria virtualiter, & ratione alicujus impliciti, quod est determinatio divinæ voluntatis. Vide supradicta. 254.

Ad 2. instantiam resp. ex dictis quod illo statu præcedente determinationem divinæ voluntatis loquendo ex propriis illius status affirmativa est falsa, scil. quod res erit, manendò scil. in eo statu, & ex vi illius, solùm enim ex vi illius habet quod possit esse, non verò quod futura sit & dicat pro eo signo determinatam habitudinem ad existentiam pro aliquo tempore habendam; subintellectâ autem conditione hac, si Deus voluerit, vera est & ne- 255.

cessaria, propter efficaciam & infallibilitatem Divinæ voluntatis: & sic negativa est vera loquendo pro eo statu, & cum reduplicatione, & seclusâ omni habitudine ad voluntatem Divinam determinantem ut sit pro aliqua temporis differentia, unde erit necessaria, subintellectâ hac conditione, si Deus noluerit, falsa autem si opposita intelligatur, nimirum si Deus voluerit. Sicut si dicatur naturâ secundùm se ante operationem intellectus est universalis, loquendo ex vi illius status falsa est: & negativa vera; nec tamen licet inferre: ergo nullatenus erit universalis, quia transeundo ab illo statu naturæ secundùm se ad statum quo habet esse in intellectu, in quo fit universalis, accipit diversam dispositionem in esse, & subinde in veritate: & similiter res transeundo à statu puræ possibilitatis, vel antecedente decretum pro priori rationis, ad statum quo subest Divinæ voluntatis determinationi accipit diversam dispositionem in esse, & subindè in veritate.

256. Arg. 3. veritas & falsitas sunt proprietates enunciationis; sed determinatæ essentiæ determinatæ proprietates convenire debent in omni signo intelligibili & imaginabili: ergo veritas & falsitas debent convenire propositionibus de futuro contingenti in omni signo imaginabili, & subinde in signo rationis antecedenti ad ipsum divinæ voluntatis decretum.

257. Conf. sicut par & impar sunt proprietates numeri, ita veritas & falsitas ipsius propositionis: sed cuilibet signato numero in particulari in quocunque signo rationis convenit quòd sit

sit determinatè par vel impar: ergo etiam cuilibet propositioni, esto sit de futuro contingenti, pro quolibet signo & prioritate rationis competere debet, quòd sit determinatè vera, aut determinatè falsa.

Resp. multiplicem huic argumento à Doctoribus solutionem assignari: Quarum prima est veritatem & falsitatem esse proprietates propositionis, quæ formaliter propositio est, non autem ejus quæ materialiter dumtaxat, & in apparentia est, cujusmodi sunt omnes propositiones de futuro contingenti ante decretum Divinæ voluntatis formatæ. Secunda est, veritatem & falsitatem esse proprietates propositionis, non quidem absolutas sed respectivas; & licèt determinatæ essentiæ debeant determinatæ proprietates absolutæ competere, non tamen respectivæ, ut patet in numero, qui secundùm se, neque est determinatè, neque determinatè par aut impar. Veritas autem & falsitas enunciationum sunt respectivæ & dicunt habitudinem ad objectum ut est vel non est, & subinde ad determinationem primæ causæ, sine qua nihil est actu; unde non oportet, quòd quælibet propositio sit determinatè vera aut falsa, sed sub disjunctione, ut dictum est. 258.

Sed Resp. 2. quòd veritas & falsitas sub disjunctione conjunctim sumptâ est essentia ipsius enunciationis, ut diximus ex D. Thom. *tomo* 1. *Clypei Philos. p.1.q.6. de enunc. art.*1. Quòd autem sit determinatè vera, aut determinatè falsa, hoc habet ex materia in qua exercetur, quapropter hoc rationi illius secundùm se sumptæ accidit. Idcirco optimè enunciationis ratio salvatur, cùm ipsa intelligitur significare verum 259.

vel falſum ſub hujuſmodi diſiunctione conjunctim, quando videlicet materia, in qua exercetur, talis conditionis eſt ut determinationem ex ſe non habeat, ſed ad utrumlibet eſt, vel contingens, & ſubinde non valens ipſi enunciationi determinatam in exercitio ſignificationem in veritate vel falſitate præbere.

260. Ad conf. reſp. quòd propoſitio de futuro contingenti in illo priori rationis conſiderata non debet, aut poteſt alicui ſpeciei determinatæ numeri comparari, ſed numero ſecundùm ſe ſumpto in genere. Unde ſicut iſte ſecundùm ſe eſt indifferens ut ſit par vel impar, ita & propoſitio ſecundùm ſe eſt indifferens ut ſignificet verum vel falſum. Quòd ſi conſideretur numerus in particulari equidem eſt determinatè par vel impar, ſed non eſt de propoſitione ſic conſideratâ par ratio: quia eſſe numerum binarium determinatè parem, vel ternarium determinatè imparem à rei exiſtentia abſtrahit; nullo enim exiſtente numero eſt verum dicere binarium parem, & ternarium imparem eſſe; at verò res futura cùm exiſtentiam reſpiciat, neceſſariò determinationem primæ cauſæ & voluntatis illius reſpicere debet, quæ eſt fons totius eſſe; quapropter ante hujuſmodi divinæ voluntatis determinationem determinatam veritatem, vel falſitatem habere nequit, ſicuti neque determinatum fore, vel non fore, ſed eſt potentiâ ad utrumque, ſicut numerus in genere eſt in potentia formali indeterminatâ, & indifferens ut ſit par vel impar.

261. Dices, omne determinatum ſub aliquo diviſo contentum neceſſariò contineri debet ſub aliquo ex membris, dividentibus determinatè; v. g.

quia

quia homo sub animali determinatè continetur, necessum est ut sub aliquo ex membris dividentibus ipsum contineatur, videlicet rationali vel irrationali: ergo cùm propositio de futuro contingenti pro priori ad decretum sub propositione ut sic contineatur, necessariò debet contineri determinatè sub verâ vel falsâ, quæ sunt membra dividentia.

Resp. quòd equidem, cùm ejusmodi proposi- 262.
tio sit quædam particularis propositio, continetur sub propositione ut sic, & significat determinatè verum vel falsum, non ratione disjuncti sed disiunctionis conjunctim sumptæ, ut diximus.

Arg. 4. Eadem est veritas in enunciationi- 263.
bus singularibus in materia contingenti quæ sunt de futuro, atqui in illis quæ sunt de præsenti ac præterito in eadem materia: sed in propositionibus de præsenti ac præterito necessum est, ut altera illarum sit determinatè falsa & altera vera: ergo etiam in propositionibus de futuro. Maj. patet, quia ubi est eadem causa, ibi debet idem effectus esse: sed eadem est causa necessitatis harum trium propositionum, Petrus sedet Petrus sedit, & Petrus sedebit: ergo eadem est veritas in illis.

Conf. Quòd aliquid in tempore præterito 264.
fuerit, esto de præsenti nihil sit, satis est ad verificandum pro nunc, quòd pro illo tempore antecedenti fuerit, ratione cujus propositio de præterito determinatam sortitur veritatem: ergo similiter ut propositio de futuro sit determinatè vera, sufficit quòd in tempore sequenti res habitura sit existentiam, etiam pro signo antecedenti ad decretum.

265. Resp. 1. ad arg. ex D.Thom.neg.maj. Ad cujus prob.neg.min. quia veritas propositionis causatur à veritate rei, non quomodocunque sed tali modo se habente; in his autem tribus propositionibus res sub diversis modis importatur, qui in propositionibus de præterito & futuro aliquid determinatum dicunt, scil. determinatam præteritionem & determinatum esse; non verò in propositionibus de futuro, ut diximus.

1. p. q. 16. art. 8.

266. Resp. 2. ex eodem S.D. quòd identitas veritatis non tantùm dependet ex veritate rei, sed etiam ex identitate intellectus seu conceptus, sicut & identitas effectus ex identitate agentis & patientis dependet. Quamvis autem sit eadem res, quæ significatur illis tribus propositionibus, non tamen est idem intellectus earum: quia in compositione intellectus adjungitur tempus; unde secundùm variationem temporis sunt diversi intellectus.

Quæst. 1. de verit. art. 6. ad 6.

267. Resp. ad Conf. ex D. Alb. M. quòd non est simile de præterito & futuro: quia futurum nunquam fuit, idcirco nec in se, nec in futuritione sua determinatum est; sed præteritum ad minus in præteritione sua est determinatum, itaut non possit non fuisse supposito quod fuerit, ratione cujus certæ & infallibili cognitioni subesse omnino potest; non autem futurum contingens, quod ad utrumlibet se habere debet.

CAPUT

CAPUT XI.

Quo pacto Deus futura contingentia in suis ideis cognoscat.

SUpponendum est ex S. D. *quæst.* 1. *de pot. art.* 5. 268.
ad 11. quod idea dupliciter sumi potest. Primo modo secundùm perfectam atque completam ideæ rationem quo pacto nominat artis formam, nedum intellectu excogitatam, sed etiam actu ordinatam ad opus, inquantùm habens ideam actu intendit illud opus in re efficere. Alio modo secundùm quandam imperfectam & incompletam illius rationem, cùm scilicet artifex in mente sua habet formam operis excogitatam, per quam novit quomodo efficiendum sit opus; non tamen illud operari & efficere actu intendit, & ordinat ad actum operandi, sive actualem operationem. Nam cùm idea propriè dicta ad cognitionem practicam attineat, (ut docet S. D. *q.* 3. *de verit. art.* 3.) quæ per ordinem ad opus dicitur, illa forma exemplaris duntaxat censenda est simpliciter idea, quæ actualem ordinationem ad opus dicit; quæ autem solùm in virtute ordinationem ad illud dicit, non est completè & adæquatè practica; subindéque perfectam. Et completam ideæ rationem nullatenus possidet, sed imperfectam & incompletam. Et hoc utroque modo ideas rerum in Deo constituere debemus. Primò quidem secundùm incompletam quandam rationem, quatenus videlicet omnium rerum, ad quas se ejus potentia extendit vel extendere

extendere potest, habet rationes apud se excogitatas & veluti adinventas, per quas actu cognoscit quidquid sua potentia potest, & omnes modos quibus sua divina bonitas communicari valet. Dixi, excogitatas & veluti adinventas, quoniam sicuti artifex per formam artis quam actu de opère faciendo formavit, & excogitavit, opus actu cognoscit; ita & Deus, cujus scientia comparatur scientiæ artificis, dicitur habere formas & ideas omnium rerum excogitatas, quoniam actu novit totam potentiam suam & quidquid potest. Et hac ratione habet ideas etiam earum rerum, quæ nec sunt, nec fuerunt, neque aliquando erunt. Et quoniam Deus perfectè ac distinctè omnia novit, etiam per ejusmodi rationes ideales perfectam cognitionem habet de rebus omnibus à se operabilibus, & ut operabiles sunt, & etiam per modum cujusdam speculationis, ut docet idem S. D. *cit. q.3. de verit. art.3.* & nos explicabimus infrà *quæst. 15. art. 3.* Secundò habet ideas secundùm completam & perfectam ideæ rationem ordinando quasdam earum actu ad opus, seu intendendo illarum productionem, quo pacto habet ideas omnium rerum quæ sunt, fuerunt vel erunt; non autem merè possibilium, cùm hæc non ordinet ad actum, neque actu operari intendat. Difficultas igitur in eo sita est, utrùm Deus futura contingentia certò & infallibiliter cognoscat per ejusmodi rationes ideales, quas veluti excogitatas & ad inventas habet, antequam accedat determinatio divinæ voluntatis, quâ intendat actu producere vel se determinet ad productionem illarum in re.

Concl.

 269.

Concl. Deus non poteſt certò & infallibiliter cognoſcere futura contingentia in illis rationibus idealibus excogitatis, vel in ſua eſſentia ut habet rationem idearum, antecedenter ad decretum & determinationem divinæ voluntatis, quâ intendit & determinat opus, ſeu rationes illas excogitatas ad actum, vel actualem operationem determinat. Sumitur ex D. Thom. *cit. quæſt.* 1. *de pot. art.* 5. *ad* 11. ubi ait: *Dicendum, quod ſi idea ſecundùm completam rationem accipiatur, ſcil. ſecundùm quod idea nominat formam artis non ſolùm actu excogitatam, ſed etiam per voluntatem ad opus ordinatam, ſic prædicta* (ſcil. quæ nec ſunt, nec erunt nec fuerunt quæ tamen Deus facere poteſt) *non habent ideam ſi verò accipiatur ſecundùm imperfectam rationem, prout ſcil. eſt ſolùm excogitata in intellectu artificis, ſic habent ideam. Patet enim in artifice creato, quod excogitat aliqua opera, quæ nunquam operari intendit. In Deo verò quidquid ipſe cognoſcit, eſt in eo per modum excogitati, cùm in ipſo non differat cognoſcere actu, & habitu. Ipſe enim novit totam potentiam ſuam, & quidquid poteſt. Unde omnium quæ poteſt habet rationes quaſi excogitatas.* Idea ergo ſecundùm completam & perfectam rationem ideæ debet eſſe eorum quæ aliquando erunt, ſunt, vel fuerunt, & quæ ordinem ad exiſtentiam dicunt, de quibus Deus habet cognitionem ſimpliciter & actu practicam, quemadmodum docet idem S. D. *quæſt.* 3. *de verit. art.* 3. *c.* Ex quibus ita arguo: Deus futurorum contingentium habet cognitionem actu ſimpliciter practicam, perfectámque ideam: ſed hæc dicit formam artis non ſolùm excogitatam, ſed etiam per voluntatem

luntatem ad opus actu ordinatam: ergo idea, in qua perfectè & certò cognoscitur futurum contingens, est idea habens adjunctam voluntatis divinæ determinationem, & non solùm idea excogitata in mente existens, quæ non respicit determinatam rei existentiam, cùm sit etiam eorum quæ non erunt, neque sunt, aut fuerunt.

270. Quapropter idem S.D. *quæst. 3. de verit. art. 6. c.* differentiam hanc constituit, dicens: *Relinquitur quòd idea possit esse ejus, quod nec est, nec fuit, nec erit: non tamen eo modo sicut est eorum, quæ sunt vel erunt vel fuerunt: quia ad ea quæ sunt vel erunt vel fuerunt determinatur ex proposito divinæ voluntatis, non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt. Et sic hujusmodi habent quodammodo ideas indeterminatas.* Ex quibus sic: futurum contingens debet habere propriam ideam & determinatam, ut certò cognosci possit: sed hæc determinatio est ex proposito divinæ voluntatis, ante quod idea est veluti indeterminata, ut docet S.D. Ergo ideæ, in quibus cognoscuntur futura contingentia, sunt ideæ habentes adjunctam divinæ voluntatis determinationem. Tandem S. D. *in 1. dist. 39. q. 1. art. 2. ad 1.* ait: *Quòd sicut ipsum scire est subjectum libertati voluntatis, ita & idea secundùm quod ad ipsam terminatur actus divinæ scientiæ, sicut scientiâ artificis ad formam artificiati, quam excogitat. Et ideo similis est ratio de idea & de actu sciendi. Sicut enim non potest poni, quòd actus sciendi sit in eo, & quòd non fuerit, ita non potest designari quòd idea sit in eo & non fuerit: tamen respectu utriusque potest designari libertas voluntatis.* Pro cujus intelligentia adnotanda

notanda sunt, quæ idem S.D. dixerat *art.præced. ejusdem quæst.* nimirum, *Quòd actus divinæ scientiæ secundùm quod est causa ejus ut informans ipsum est imperatus à voluntate: Et sic est in potestate sua* (absolutè loquendo) *scire & non scire.* Quia cùm actus divinæ voluntatis sit semper in egrediendo ab ipsa voluntate, sive sit actus ipsius voluntatis immediatus, qui est ipsum velle, sive sit imperatus, sicuti intelligere,aut facere est indifferens indifferentiâ activâ in habitudine ad objecta secundaria: & subinde potest velle vel non velle, scire vel non scire illud, quamvis non possit non scire illud postquam scivit, propter immutabilitatem ipsius. Secundùm ergo S. D. scientia & idea, quæ subjacet libertati voluntatis divinæ, est quæ supponit imperium & determinationem ipsius voluntatis divinæ, ante quam est quodammodo indeterminata & indifferens.

Prob. concl. ratione: Deus non potest certò & infallibiliter cognoscere futurum contingens nisi prout est determinatum ad existentiam pro tali tempore habendam, quoniam tantummodo hæc ratione illud habet necessitatem essendi, ratione cujus potest certò & infallibiliter cognosci, dum actu est, v. g. Petrus dum actu sedet, necessitatem sedendi ex suppositione habet; ante quod erat indifferens ad sedendum, & non necessariò sedens: sed futurum ante determinationem divinæ voluntatis non est determinatum ad existentiam ex præcisa ratione ideæ de ipso existentis in mente divina: ergo per ejusmodi ideam non potest certò cognosci ab intellectu divino & scientia ejus. Major patet quoniam scientia est de rebus necessariis. 271.

necessariis. Minor verò prob. si idea in mente Dei existens ex se haberet ante determinationem divinæ voluntatis repræsentare rem cum habitudine certa ad existentiam tali tempore habendam, sequeretur imprimis quòd omnia, de quibus Deus habet ideas excogitatas, pro aliquo tempore essent existentiam determinatè habitura: Sed hoc falsùm; Deus enim habet rationes excogitatas & ideales omnium quæ potest, etiam eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, neque erunt; sicuti & artifex creatus multorum ideas in sua mente habet, quæ nullatenus facere intendit, neque fiunt: Ergo futurum ante determinationem divinæ voluntatis, prout habet repræsentari in sua idea & forma exemplari, ex præcisa illa repræsentatione & continentia, non est determinatum ad existentiam pro aliquo tempore habendam. Deinde sequeretur, quòd absolutam essendi necessitatem haberet, quoniam prima radix libertatis est in voluntate, quæ potest velle & non velle, producere & non producere illud ad quod non necessariam habitudinem dicit; ante cujus determinationem quidquid scitur, libertati non subjacet voluntatis, neque enim liberum est Deo cognoscere quæcunque potest, in sua potentia, aut omnes modos quibus est communicabilis sua divina bonitas, sed necessariò cognoscit, & hæc necessariò in suis causis habent esse, minimè omnipotentiâ divinâ & bonitate Dei; unde & ad scientiam necessariam in eo pertinere dicuntur: Ergo omninò concedendum est, quòd ex præcisa ratione ideæ non habet repræsentari Deo futurum ut determinatum ad existentiam pro aliquo tempore habendam.

Conf.

Conf. Idea tantummodo habet repræsentare futura contingentia, inquantùm est illarum causa exemplaris & effectiva: sed est causa libera ipsarum, quoniam Deus ad extrà non operatur ex necessitate naturæ, sed secundùm consilium voluntatis: Ergo ratione perfectæ ideæ, & causæ exemplaris productivæ futurorum contingentium necessariò habet adjunctam determinationem divinæ voluntatis. Idcirco D. Thomas ait, quòd idea divina subjecta est libertati voluntatis divinæ secundùm quòd ad illam divina scientia, nimirum libera & approbationis seu visionis, terminatur. Adde, quòd ante determinationem divinæ voluntatis sunt in statu meræ possibilitatis, inquantùm continentur in omnipotentia Dei, & ejus bonitate, sive essentia ut est imitabilis & infinitè participabilis à creaturis: Sed status meræ possibilitatis non dicit ordinem ad existentiam in re habendam, sed omnino abstrahit ab illa: Ergo cùm futurum importet ordinem ad existentiam pro aliquo tempore in re habendam, nullatenus ut tale potest habere determinatam ideam in mente divina, ratione cujus possit certò & infallibiliter cognosci antecedenter ad determinationem divinæ voluntatis. Sed de his ampliùs infrà. 272.

§. I.

Solvuntur argumenta.

ARg. ex D. Thoma *quæst. 3. de verit. art. 6. ad 2.* Deus cognoscit res distinctè, & in ejus scientia distinctæ sunt, quamvis in ipso sint unum: Sed non possunt esse distinctæ in 273.

ſcientia Dei, niſi quia in illa habent diſtinctas rationes ideales: Ergo rationes ideales ſunt ſufficientes ad repreſentandas res diſtinctè, & ſubinde per illas quælibet res, etiam futura contingentia, poterunt certò & infallibiliter cognoſci, etiam ante decretum divinæ voluntatis. Unde S. D. *in hoc art.* 13. *c.* duplicem aſſignat modum cognoſcendi futura contingentia, nimirum præſentialitatem eorum phyſicam in æternitate, & ipſas ideas. Et ſanè ratio hujus deſumitur ex eo quòd divina eſſentia, ut habet rationem ideæ omnium rerum, quæ in ejus potentia & bonitate continentur, eſt infinita in repræſentando, ex ſe & independenter à quacumque determinatione & decreto divinæ voluntatis: ergo antecedenter ad ejuſmodi voluntatis divinæ determinationem perfectè & diſtinctè repræſentat quaſcunque res quarum apud ſe rationes excogitatas, ſive ideas & exemplaria habet: ſed illud quod diſtinctè & perfectè aliud repreſentat, poteſt eſſe medium ad cognoſcendum illud certò & evidenter: ergo idea divina de ſe, & independenter à decreto divinæ voluntatis eſt ſufficiens & conſentaneum medium ad cognoſcendum futura contingentia, quælibet illa ſint.

274. Conf. 1. Eſſentiæ, vel ideis divinis non poteſt accreſcere aliqua perfectio ex decreto divino: Sed ideæ ut habent adjunctam voluntatis divinæ determinationem ſive decretum verè ſunt medium & cauſa cognoſcendi ipſa futura contingentia, etiam libera: Ergo etiam antecedenter ad decretum ſeu determinationem divinæ voluntatis. Major patet, quoniam illa perfectio deberet eſſe libera, & ſubinde potens

deeſſe

deesse Deo, cujusmodi nulla Deo concedenda venit, cùm non esset minùs perfectus, etiam si nullam creaturam condere statuisset, quàm si modo. Conseq. etiam videtur evidens, quoniam repræsentare perfectè & comprehensivè quælibet objecta ad perfectionem essentiæ divinæ, ut habet rationem speciei intelligibilis atque idearum, spectat: Ergo si ex adjuncto decreto nulla illi accrescit perfectio, sicuti post decretum illa consentaneè repræsentat atque perfectè, ita etiam ante illud.

Conf. 2. Si per impossibile Deus non esset liberè volens & producens res ad extrà, nihilominus haberet scientiam illorum perfectam, quoniam haberent veritatem scibilem: Ergo signum est, cognitionem certam & infallibilem, quam Deus habet de futuris contingentibus ut cognoscit rationes eorum in sua mente existentes, non dependere in sui certitudine & infallibilitate à decreto & determinatione divinæ voluntatis. 275.

Resp. ad arg. ex S. D. *quæst. 2. de verit. art.* 8. & *quæst. 3. art. 3. c.* quòd Deus per scientiam simplicis intelligentiæ præcedentem divinæ voluntatis decretum cognoscit equidem res distinctè ut habent esse in ejus potentia & bonitate, & quatenus habent indeterminatas ideas; cognoscit, inquam, distinctè ut operabiles à se, si vellet, & secundùm omnes eas intentiones quas intellectus humanus de eis apprehendere potest, quod est cognoscere illas distinctè per modum cujusdam speculationis (quemadmodum fusè explicatur infrà *quæst.* 15. *art.* 3.) non autem cognoscit determinatam habitudinem ipsarum ad existentiam in re pro aliqua 276.

temporis differentia habendam; hanc enim non dicunt nisi dependenter à determinatione divinæ voluntatis, quæ est prima radix & causa operandi liberè ipsas res ad extrà, cùm Deus sit agens per intellectum & voluntatem, & ex cognitione atque amore finis, illiusque intentione. Quapropter, cùm futura dicant habitudinem ad existentiam pro aliqua temporis differentia habendam, nullatenus possunt certò & infallibiliter cognosci nisi accedente decreto & determinatione divinæ voluntatis; antequàm repræsentantur in ideis illis, vel ut possibiles seu factibiles, vel etiam per modum cujusdam speculationis cognoscuntur à scientia simplicis intelligentiæ, quæ non habet, admistionem alicujus extra genus notitiæ, subindéque determinatè non respicit existentiam veram, quam addit super illam scientia visionis; vel ordinem voluntatis ad res scitas producendas, quem addit scientia approbationis, ut docet S. D. *cit. quest.3. de pot. art.3. ad* 8. Cùm autem dixit hic S.D. Deum cognoscere futura per ideas, loquitur de ideis secundùm perfectam rationem idearum sumptis, quo pacto habent adjunctam determinationem voluntatis.

277. Ad rationem respondetur dist. antec. divina essentia ut habet rationem ideæ omnium rerum est infinita in representando antecedenter ad decretum voluntatis, per modum speciei intelligibilis vel causæ in actu primo, & stando intra genus simplicis notitiæ, concedo: per modum perfectæ ideæ, & importantis ordinem ad determinatam productionem & existentiam rei, nego anteced. Hoc enim est extra genus

genus notitiæ. Unde bene ſtat quod intra genus notitiæ ſit infinita in repræſentando, & tamen non repræſentet certò & diſtinctè futurum contingens, quod ut tale dicit ordinem ad exiſtentiam in re pro aliqua temporis differentia habendam, quam addit ſcientia viſionis ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ordo voluntatis ad res ſcitas. Per extenſionem enim ad voluntatem notitia fit ſimpliciter & actu practica, & cauſa rei in actu ſecundo.

Reſp. 2. communi ſolutione, quam adhibent 278.
Recentiores Thomiſtæ, quòd licèt ideæ divinæ ſint infinitæ in repræſentando, tamen ſolummodò habent repræſentare omnia, quæ ſunt repræſentabilia, & eo modo quo repræſentabilia ſunt. Quapropter cùm antecedenter ad divinum decretum de futuritione rerum nihil omnino ſit repræſentabile ut futurum, ſed ſolùm ut poſſibile, eò quòd pro illo ſigno rationis res omnes in ſtatu puræ poſſibilitatis verſentur, quamvis ideæ divinæ ſint in repræſentando infinitæ, non repræſentant neque repræſentare poſſunt antecedenter ad decretum res ſub eſſe futuro, ſed ſolùm ſub eſſe poſſibili. Sicuti enim ſpeculum quantumcunque perfectum nonniſi objecta illa repræſentat quæ ſunt, & quorum ſpecies intentionales determinatæ ſunt in ſpeculo, non autem ea quæ non ſunt; non quidem defectu virtutis repræſentativæ, ſed defectu objecti, quod non eſt vel non præſentatur: ita ſimiliter eſſentia divina in ratione ſpeciei intelligibilis, vel ut eſt idea omnium rerum nonniſi res quæ ſunt & prout ſunt, repræſentat. Unde cùm pro illo priori ſolummodo ſint poſſibiles, in ea duntaxat repræſentantur ut poſſibiles ſeu

factibiles, non autem ut futuræ: sed tunc habent repræsentari ut futuræ, cùm accedit ordo voluntatis divinæ ad res scitas producendas. Nec tamen ibi accidit aliqua mutatio ex parte divinæ essentiæ sed ex parte rerum repræsentatarum, quæ cum ordine ad existentiam in re habendam secundùm determinationem divinæ voluntatis cognoscuntur; sicuti neque speculum repræsentat alio modo objectum per mutationem speculi sed objecti repræsentati. Et eodem modo ad 1. conf. respondent.

279. Resp. ad 1. conf. quòd ex decreto & determinatione divinæ voluntatis ipsi essentiæ vel ideis divinis secundùm rem aliqua perfectio non accrescit, bene tamen secundùm rationem determinata habitudo ad existentiam rei, qua per modum causæ in actu completo se habet; ratione cujus perfectam sortitur ideæ rationem. Quemadmodum enim scientia visionis ad scientiam simplicis intelligentiæ existentiam rei secundùm rationem addit; & scientia approbationis super eandem ordinem voluntatis ad res ipsas scitas producendas adjungit, ratione cujus veram rationem causæ effectricis rerum adæquatè & in actu secundo nanciscitur: ita pariter idea divina ejusmodi ordinem addit, per quem formaliter ipsius completur ratio, ut dictum est ex S. D. qui etiam consuli potest *in* 1. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1. *&* 2. An autem id quod determinatio voluntatis, vel ordo ipsius ad res scitas liberè producendas addit, sit quædam perfectio voluntaria & libera, examinabimus infrà, *q.* 19. *ad art.* 10.

280. Resp. ad 2. conf. quòd in eo casu scientia Dei (supposito quòd illam de rebus haberet) non se haberet

haberet ut causa illarum, cùm scientia Dei non sit causa rerum nisi prout adjunctam divinæ voluntatis determinationem habet. Neque enim voluntas absolutè intelligitur esse radicem scientiæ, cùm ista aliquo modo voluntatem præcedat; sed est radix causalitatis ejus in actu secundo, & ut dicit habitudinem ad res scitas à se producendas. Quoniam scientia ut scientia est atque speculativa nihil de operando agit, ut Philosophus docet: sed hoc sortitur per extensionem ad voluntatem, cui tribuitur primò operari, utpotè respicienti pro suo objecto finem, qui est causa causarum & prima simpliciter in causando.

CAPUT XII.

Utrum Deus futura contingentia libera certò & infallibiliter cognoscat in decreto purè concomitanti non præsupponente prævisionem sive præscientiam futuri eventus seu determinationis liberæ voluntatis creatæ.

Veniamus jam ad opinionem Recentiorum Scotistarum discutiendam, qui arbitrantur Deum certò non cognoscere futura contingentia libera in decreto efficaci prædeterminante divinæ voluntatis sed purè concomitanti, absque tamen præscientia determinationis liberæ voluntatis creatæ. Et quoniam nequeunt ejusmodi sententiæ satis capi aut confutari, vel stabilem veritas nisi decretorum, 281.

& efficaciæ illorum habeatur notitia, hæc subjungens, & ut opus fuerit præmittemus.

§. 1.

Quid nomine decreti divini intelligendum veniat, & de variis ejus nominibus.

282. DEcernendi vox, à qua decreti nomen derivatur, idem sonat atque statuere, constituere, definire, disponere atque determinare, & his similia. Hinc decretum nominatur statutum, constitutio, definitio, dispositio, ac determinatio. Sic Pontificum decreta Constitutiones Apostolicæ nominantur; & Canones Conciliorum, definitiones, statuta, determinationes. Apud jurisconsultos decretum propriè est deliberatio judicis cum causæ cognitione, *L. nequicquam, §. ubi, de Offic. Procons.* Quæ acceptio valde accedit ad decreti usurpationem, quâ Theologi communiter utuntur. Et enim decretum divinæ voluntatis & intellectus dicitur illud, quo præsupposita cognitione finis, divinæ scil. bonitatis, Deus ab æterno statuit, constituit, definivit, determinavitque ea quæ in tempore facienda erant, sive quoad molitionem productionemque rerum, sive quoad motus operationesque causarum secundarum, & ordinationem practicam ipsarum in finem, præsertim verò intellectualium, & quæ libertate donatæ atque prædictæ sunt: seu decretum divinum dicitur id quod in mente divina de rebus futuris ab æterno decretum est, quemadmodum & sententia sive decretum judicis id appellatur, quod ab eo post litem contestatam decernitur ac statuitur de re, vel

persona

perſona aliqua. De hoc ergo in præſenti agendum occurrit, & diſcutiendum in quo ſitum ſit, quotuplex re diſtinguendum veniat, & quo pacto Deus in decernendo circa futuros eventus præſertim liberos proceſſerit, ſintne ejuſmodi decreta ex ſeipſis efficacia, atque infallibilia, & medium ſufficiens ac neceſſarium ut Deus certam de hujuſmodi futuris cognitionem ſive ſcientiam habeat. De quibus omnibus in hoc & ſequentibus §§. differendum venit.

Hujus rei gratiâ notandum venit, quòd licèt in Deo ſit reipſa quidem unus ſimpliciſſimus actus, quo omnia cognoſcit, & vult, tamen intellectus noſter ſecundùm diverſas conſiderationes ibi plures diſtinguit actus, quorum unus in quodam rationis ſigno præcedere, alius ſubſequi dicitur. Quem equidem actuum ordinem & proceſſum diligenter exponere neceſſum eſt; quoniam ex illius exacta notitia, utcumque à nobis haberi poteſt, plurimarum enodationes & intelligentia quæſtionum, tam in hac materia, quàm in illis de voluntate, Providentia, ac Prædeſtinatione dependent. 283.

Imprimìs igitur Deus ab æterno per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ à nobis concipitur voluntati oſtendiſſe ſuam eſſentiam, bonitatem, omnipotentiam, cæteraque attributa veluti ſummum bonum, quod naturaliter ac neceſſariò vult atque amat: in illaque ipſi præbuiſſe viſendas omnes & quaſcunque rationes creaturarum ideales, ac rerum diſpoſitiones tam adinvicem quàm ad ultimum finem, quas producere poterat ſi vellet: propoſuitque convenienter eſſe alicujus mundi ſive multitudinis 284.

creaturam

creaturam illarum portionem ingentem, secundùm diversos entium ac perfectionum gradus distinctam, divinæ illius bonitatis ostentandæ atque manifestandæ causâ: & proposuit absque judicio tamen practico determinante atque inclinante efficaciter divinam voluntatem ad volendum productionem illam. Quinimmo ad demonstrandam summam illam divinæ voluntatis independentiam atque libertatem in producendis vel non producendis creaturis, totum illius divinæ voluntatis commisit arbitrio, proponendo ipsi quòd æqualiter in istarum vel illarum molitione creaturarum, sine istius vel alterius mundi, quæ in divina continebantur potentia ac bonitate, se suamque bonitatem manifestare poterat, quoniam ad nullum creabile necessariam contrahebat habitudinem. Divina voluntas merè liberè in alio rationis signo se ad hujus mundi productionem determinavit ob prædictum finem, suæ videlicet manifestationem bonitatis. Suppositâ hacce determinatione producendi & creandi mundum hunc, eadem efficaci volitione, sive potiùs intentione & decreto divinum movit intellectum ut dictaret quas creaturas esset producere convenientiùs, & earum disponeret ordinem, tum ad invicem, cùm etiam ad Deum ceu finem. Tum divinus intellectus sic à Dei voluntate motus illi proposuit istas, quæ conditæ sunt, esse creandas & non alias, quoniam hoc magis sibi expediens videbatur: & tali judicio practico intellectus divinus efficaciter movit divinam voluntatem ad acceptandum, & ipsa liberè acceptavit.

285. Quapropter in hoc processu triplex veluti decretum

decretum est distinguendum : primum intentivum, quo Deus efficaciter mundi productionem sive creationem intendit : quod equidem decretum ad ipsam attinet voluntatem se liberè determinantem ad hujusce mundi conditioné, sive molitionem. Secundum decretum est, quo Deus ipse decrevit hasce & non illas creaturas esse producendas ; & hocce decretum ad intellectum spectat. Tertium est illud, quo elegit atque constituit hunc mundum ex his creaturis constantem, & non alium ex aliis moliendum, producere. Quod quidem decretum veluti completivum aliorum, ad voluntatem attinet, quæ liberè acceptavit & elegit mundi hujus productionem ex vi primæ volitionis liberæ, quam consecutum est decretum intellectus efficaciter movens voluntatem ad acceptandam hujusce mundi molitionem, istarumque creaturarum productionem potiùs quàm aliarum. Quoniam autem cùm plures actus ad unum ordinantur, censentur unus, utì in ædificatione domus patet, rationemque seu denominationem ab ultimo suscipiunt, quemadmodum in generatione est manifestum, decretum illud de futuro producendo mundo divinæ attribuitur voluntati, sicuti & productio rerum, tanquam illi quæ primò productionem ejusmodi efficaciter intendit, & complet ultimò causalitatem Dei acceptando dispositionem atque ordinationem harumce rerum à divino intellectu, sive scientia Dei veluti adinventam & excogitatam. Quemadmodum docet D. Thomas *in* 1. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1.

Ex eo autem quòd voluntas Dei efficaciter 286.
decernit & acceptat hujusmodi creaturarum
productio

productionem, vult etiam atque decernit illis providere & movet intellectum ut veluti adinveniat & excogitet media illis providendi, & dirigendi in finem, quod & ipse præstat, eaque voluntati, divinæ proponit, uti convenientia & accommoda ad ejusmodi directionem practicam in finem, juxta exigentiam & modum agendi cuilibet creaturæ ex sua conditione primæva competentem, hoc est, modum agendi naturaliter seu necessariò, & contingenter sive liberè. Et quoniam ex hisce creaturis quasdam condere decrevit quæ à suo fine deficere possint, utpote liberas & contingentes, ut servetur modus agendi illis suapte naturâ competens, proponit præstereà & decernit esse conveniens & rationi consentaneum ut permittat illas deficere quandoque, & ad hoc etiam media ordinat, defectus ejusmodi per providentiam suam ad aliud bonum dirigendo; ut putà occisionem ovis ad sustentationem lupi; vel mortem homicidæ ad bonum justitiæ voluntas divina ab intellectu mota eligit, atque decernit efficaciter ejusmodi media & directionem ab intellectu sibi propositam, & tunc est determinatio completa, & decretum efficax voluntatis, in cujus virtute Deus in tempore res administrat, atque gubernat, modò infrà diffusiùs explicando. Unde & in hac ordinatione triplex veluti decretum intervenit: unum intentivum, per quod Deus liberè vult creaturis, quas condere decrevit, providere, & hoc ad voluntatem spectat finem intendentem. Secundum est, quo intellectus divinus præparat atque decernit media accommoda ad ejusmodi directiouem in finem consequendam.

quendam. Tertium est, quo voluntas acceptat, eligit, & efficaciter decernit illa, in quo completur ejusmodi ordinatio. Quod & pariter explicandum venit in speciali providentia, qua Deus vult providere creaturis intellectualibus in ordine ad finem supernaturalem: in qua quidem ordinatione Deus primò intendit finem seu eligit & vult aliquos vitam æternam consequi. Voluntas mediâ ejusmodi intentione efficaci conferendi aliquibus præ aliis vitam æternam, seu dandi gloriam movet intellectum ut decernat quinam sint ex tota creaturarum intellectualium massa ac multitudine ad gloriam destinandis mediaque præfigat atque constituat quibus in eam efficaciter dirigantur absque defectu, sed ita ut infallibiliter finem intentum consequantur, quod præstat intellectus prænoscendo illa, sive præsciendo, & proponit voluntati, quæ eligit & decernit efficaciter salvare illos, seu conferre illis vitam æternam per talia media, quemadmodum fusiùs explicabitur infrà, *quæst.*23. Quomodò autem Deus velit aliquos deficere à consecutione illius finis, putà malos & reprobos, dicetur etiam infrà, ubi examinabitur in quo medio Deus futura peccata cognoscat. Unde & pariter in hac speciali ordinatione creaturarum intellectualium in finem vitæ æternæ triplex distinguendum occurrit decretum, modo supra explicato.

Ex quibus sequitur, quòd ultimum hoc voluntatis decretum liberum (in virtute enim prioris decreti intentivi liberè se voluntas determinat ad volendum quidquid de creaturis vult atque constituit) in sua ratione & con- 287.
ceptu

ceptu importat atque includit nedum actum voluntatis eligentis, acceptantis, atque decernentis futurum eventum, sed etiam actum ipsius intellectus disponentis, & ordinantis de illis; sive quoad formationem atque creationem ipsarum rerum; sive quoad providentiam & ordinationem mediorum, quibus in finem dirigantur. Quæ quidem ordinatio divina ex parte creaturarum includit motus & operationes futuras ipsarum; potissimùm verò in nobis (ut de aliis taceamus) operationes intellectus & voluntatis, sive elicitas, sive imperatas, cum omnibus circunstantiis suis; ex parte autem Dei gratiam & alia media accommoda ad consequendum finem, alibi explicanda. Quæ omnia Deus præscit atque providet. Quapropter decretum liberum voluntatis divinæ de productione hujus mundi & omnium creaturarum, ex quibus ipse compactus est atque concinnatus, includit ideam mundi, & omnium creaturarum illarum rationes exemplares seu ideas: quibus Deus seu formis intellectis res cognoscit & operatur accedente voluntatis determinatione, cui tribuitur primò operari efficienter & in exercitio; & mediantibus illis assimilat sibi Deus omnes res, quæ aliquo modo divinum esse participant. Subindeque, meo judicio qualicunque, si completè sumatur illud decretum, & ut est causa adæquata efficiens & productiva creaturarum nihil aliud est quàm ipsamet ratio exemplaris seu idea ipsarum, ut habens annexam voluntatis determinationem decernentis efficaciter earum productionem; quo pacto habet completam atque perfectam ideæ rationem, & est ratio perfectè exemplaris

&

& effectiva ſeu productiva rerum in exercitio, itaut à determinatione ipſius voluntatis divinæ habeat quod ſit verè effectiva & productiva; ab intellectu verò quod ſit repræſentativa, & exemplativa, ſicuti docet S. D. *q.* 1. *de pot. art.5.ad* 11.& *q.3.de verit.art.3.*

Qua de cauſa D. Dionyſius *cap.* 5. *de divin. nomin.* ideas vocat ex Scriptura divinas & bonas voluntates effectivas rerum: *Exemplaria*, inquit, *eſſe dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter praexiſtentes, quas Theologia predeffinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates exiſtentium predeterminativas & effectivas, ſecundùm quas ſubſtantialis eſſentia omnia predeffinivit & produxit.* Videtur alludere D. Dionyſius ad illud pſalmi 110. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, ut notat D. Thomas *in eum locum Dionyſ. lect.* 3. Quoad ordinationem autem ſpectat, quâ Deus res in finem per media congruentia ordinat, etiam opus eſt ideâ; nam cùm in omni opere ſuo & effectu ad extra producto Deus ſit agens per intellectum & voluntatem, debet habere apud ſe, ſeu in mente ſua cujuſlibet operis ſui rationes, ſive ideas: tamen formaliter rationem & nomen ideæ non retinet, ſed habet rationem ſpecialem & nomen, & dicitur providentia quoad directionem in finem naturalem; & prædeſtinatio quoad ordinationem in finem ſupernaturalem quemadmodum docet D. Thom. *quaeſt.5. de verit. art.1. ad* 1. & *ſup. cit. cap.* 5. *D. Dionyſii de divin.nom.* ubi ait: *Hujuſmodi rationes* ideales *Sancta Scriptura vocat predeffinitiones ſive predeſtinationes, ſecundùm illud Rom.* 8. *Quos predeſtinavit, hos & vocavit. Et* 288.

vocat

vocat etiam eas divinas & bonas voluntates secundùm illud psalmi, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. Quæ quidem prædeffinitiones & voluntates sunt distinctivæ entium, & effectivæ ipsorum.

289. Quibus verbis S. D. tria nomina ideis divinis seu formis illis exemplaribus attribuit. Vocat imprimis eas, bonas voluntates, quatenus sunt productivæ rerum; istarum enim productio absolutè voluntati tribuitur, ut docet D.Thom. *in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1.* Deinde eas appellat prædeffinitiones prout sunt practicè præordinativæ rerum in finem, quæ correspondent ipsi providentiæ generali. Quapropter istas respectu omnium entium constituit. Nam cùm antea nominasset illas, etiam prædestinationes, concludit dicendo: *Quæ quidem prædeffinitiones & voluntates sunt distinctivæ entium, & effectivæ ipsorum*, nullâ factâ mentione de ipsa prædestinatione, quoniam hæc non est respectu omnium sicuti providentia & voluntas, sive causando sive permittendo, sed respectu eorum quæ in finem supernaturalem ordinantur.

290. Ejusmodi voluntatis decretum variè à Scriptura & Patribus appellatum invenitur. Et imprimìs quidem Apostolus non semel illud nuncupat propositum, utpote *in Epist. ad Rom. c. 4.* dicens: *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatum fides ejus ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei*; hoc est secundùm liberum Dei decretum, mente statutum, atque intentionem Dei, quâ ipse ab æterno decrevit ac firmiter constituit, atque deliberavit, ex gratia sua salvare homines, sicuti notant communiter interpretes

terpretes in eum locum. Et cap. 8. *Diligentibus Deum*, ait, *omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti*; id eſt, ſecundùm æternum Dei decretum, beneplacitum, voluntariam & gratuitam Dei conſtitutionem, quâ propoſuit, mente & animo firmiter ſtatuit, ab æterno homines ſuâ bonitate & clementiâ per Chriſtum vocare ad fidem, gratiam, & vitam æternam. In Græco enim legitur κατὰ πρόθεσιν, quæ quidem vox, *protesis*, ſignificat illud, quod quiſque ſibi faciendum animo proponit, atque mente conſtituit, ſeu decretum in quo acquieſcit animus. Subindeque ibi ſignificat Dei determinatam, ratamque voluntatem, ſive ſententiam & decretum prædeſtinationis, quo Deus id ſtatuit, atque decrevit: quemadmodum ſumitur ex D. Auguſtino *lib. de corrept. & gratia*, *cap.* 7. D. Hilario, & S. Proſpero, nec non D. Anſelmo in eum Apoſtoli locum, D. Thoma ibidem, & aliis Patribus frequentiſſimè illud divinum decretum nuncupantibus Dei propoſitum.

Notandum tamen ex D. Thom. *in* 1. *diſt.* 40. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. quòd hoc nomen, *propoſitum*, non ſignificat abſolutè actum voluntatis determinantis ſe ad aliquid, ſed eum qui cognitionem finis præſupponit. Quod equidem divinæ voluntatis decreto optimè congruit, quæ à ſua bonitate apprehenſa ceu fine ultimo movetur, & ex amore ipſius procedit, quòd intendat illam ad extrà communicare producendo creaturas, & illis productis providendo, quaſdam etiam ipſarum ordinando ſpecialiter in finem vitæ æternæ. Et quoniam in nobis ejuſmodi voluntatis determinatio, quâ volun- 291.

tas libera electione ad aliquid se determinat, sequitur consilium & inquisitionem rationis, judiciumque practicum ipsius, inde fit, ut ab eodem Apostolo etiam consilium nominetur, ut videre est *in Epist. ad Ephes. cap.* 1. ubi de Deo loquens, ait: *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*; hoc est, certam ac deliberatam voluntatem, quemadmodum explicat D. Thomas *ibid.* Nuncupatur etiam ejusmodi decretum in S. Scriptura, definitio, seu potiùs id quod à Deo de futuro eventu definitum est, ut patet *Lucæ cap.* 22. ubi: *Filius hominis* (ait Christus de seipso) *secundùm quòd definitum est, vadit.* Et *Actor. cap.* 2. fit: *Hunc*, scil. Iesum, *definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* Eodem nomine utuntur etiam Patres, præsertim D. Leo Papa *serm.* 7. *de pass. Domini.* D. Hilarius & D. Prosper *in epist. ad August.* Cujus appellationis ratio esse potest, quoniam sicuti definitio est terminus rei, ipsam totaliter includens infra certos limites generis ac differentiæ, quæ sunt principia per quæ res est, & cognoscitur, ut notat D. Thomas *lib.* 5. *Metaphys. lect.* 19. ita & decretum illud est veluti terminus includens totam rationem & esse futuri eventus, vel rei, de qua decernitur, & continens principia per quæ certò cognoscitur; itaut nihil illius fit extra terminum illum. Appellatur etiam à SS. PP. dispositio divina, præparatio, & præordinatio, ut constabit §. *seq.* quoniam par illud Deus res in finem ordinat, ut docet D. Thomas *quæst.* 6. *de verit. art.* 1. *ad* 8. Tandem à S. Prospero *in epist. ad August.* dicitur constitutio. *Removeri aiunt omnem industriam, si*

Dei

Dei constitutio humanas præveniat voluntates. Recentiores Theologi frequentiùs utuntur nomine decreti, & determinationis divinæ voluntatis.

§. 2.

Dari in Deo nedum decretum purè concomitans, sed etiam prædefiniens, & prædeterminans.

QUantùm ad decretum concomitans, quo decernit Deus simul cum creatura ad effectum concurrere in tempore producendum, spectat, ab omnibus admittitur. De prædefiniente ergo, ac prædeterminante occurrit difficultas. Sed profectò utcunque loquendo, decreta prædefinientia ac prædeterminativa, etiam circa actus nostros liberos futuros, admittenda omninò esse, non posse negari videtur. Quoniam imprimùs Apostolus *ad ephes. cap.* 4. divinas præfinitiones admittit, dicens: *Qui*, Deus, *omnia creavit ut innotescat Principatibus ac potestatibus multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* In Græco, ut etiam suprà adnotavimus, ubi vulgata legit, *Secundùm præfinitionem*, habetur, *κατὰ πρόθεσιν*, quod D. Hieronymus vertit, *secundùm propositum, à sæculo vel ante sæcula factum.* Q. D. secundùm decretum æternum, quo Deus decreverat, proposuerat, præfiniverat, præordinaverat hoc facere & exequi vocando ad se gentes, seu vocando illas ad gratiam & salutem, ut explicant Glossa, Ordinaria, Theophilactus, Chrysostomus, Lyranus, Cornelius à lapide, & alii. D. Thomas ibi, *lect.* 3. exponit, Secundùm 292.

prædestinationem æternam, quam Pater in Filio suo fecit, in quo elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Ipse enim Filius est sapientia Patris. Nihil autem Deus definit, vel præordinat nisi per sapientiam. Et meritò quidem S. D. ita explicat, quoniam præfinitio ad vitam æternam est ipsamet prædestinatio; sicut in ordine ad finem naturalem providentia dicitur.

293. Præterea *Actor. cap.* 17. dicitur: *Crediderunt quotquot erant praordinati ad vitam.* Ubi idem est præordinatio ad vitam, ac prædefinitio, ut patet ex Glossa ordinaria *super cap.* 3. *ad Ephes.* ubi exponens supracitata verba, *secundùm præfinitionem*, ita scribit: *Quæ enim in sui natura simplex est, secundùm ea quæ aguntur in sæculo, quæ Deus prædifinivit, id est, praordinavit, est multiformis, cùm variatur multipliciter.* Idem docet D. Anselmus, ibi, *præfinivit, id est, praordinavit.* Et D. Chrysostomus *homil.* 30. sic: *Crediderunt quotquot erant praordinati id est, præfiniti à Deo.* Insuper idem S. Chrysostomus *Act. cap.*22. ubi Apostolus Paulus referens conversionem suam, & quæ sibi dixerat Ananias à Deo amissus, ait: *Deus Patrum nostrorum praordinavit te*: legit, *præparavit te.* Quæ omnia æternam Dei prædefinitionem ac prædestinationem denotant, quemadmodum sumitur ex eodem D. Chrysostomo *homil.* 7. *in cap.* 2. 1. *ad Corinth.* ubi explicans illa verba, *Quem prædestinavit Deus ante sæcula*, ita scribit: *Prædestinavit, inquit, ut quam erga nos curam habet, ostendat. Etenim illi maximè & honorare & amare nos putantur, qui diu antea parati sunt, ut nobis benefaciant, quemadmodum patres erga filio.*

filios solent, licèt enim post dent illis pecunias tamen id animo decreverunt. Hoc Paulus in præsentia ostendere nititur. Hinc etiam D. Augustinus *lib. de bono persever. cap.* 14. prædestinationem vocat præparationem beneficiorum Dei, vel præparationem gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro. Quoniam, ut notat D. Thomas *in* 1. *dist.*40. *quæst.*1. *art.*1. *c.* Deus ab æterno secundùm specialem quandam providentiam & prædefinientem voluntatem proposuit aliquos prædestinare, & præordinavit, seu præparavit rationem ordinis eorum in finem.

Tandem Christus *Lucæ cap.*22. de seipso loquens,ait. *Filius quidem hominis secundum quòd definitum est, vadit.* Ad quæ verba alludens S. Leo Papa *serm.*3. *de Epiphania*, inquit: *Providentia namque misericordiæ Dei dispositum habens pereunti mundo in novissimis tēporibus subvenire, salvationem omnium gentium præfinivit in Christo.* Et *serm.* 13. *de pass. Domini*, sic: *Redemptio*, inquit, *Salvatori destruens opus Diaboli, & rumpens vincula peccati ita magnæ pietatis suæ disposuit hoc sacramentum,ut usque ad consummationem quidem mundi præfinita generationum plenitudo decurreret.* 294.

Idem sumitur ex Concilio magno Ephesino tomo 5. in defens. Cyrilli circa 4. anathematis. Ubi legitur: *Sed sicut dudum dixi, Filius qui est ante sæcula, in novissimis sæculi temporibus in Filium prædefinitus esse dicitur.* Et in epist. D.Cyrilli contra nestorium ab eodem concilio approbata, *Qui prædestinatus est*, inquit, *Filius Dei, in virtute: Quem ante sæcula Pater sibi coæternum genuit, quoram pacto Filius Dei prædefinitus est?* 295.

296. Idipsum ex SS. Patribus manifestè habetur. Inter quos primus se offert S. Clemens Romanus Pontifex, & B. Petri Successor ac discipulus, qui *lib.3. Recog.* refert B. Petrum Apostolum tractatum quendam de divina prædefinitione edidisse contra Simonem magnum, qui providentiam prædefinitionemque Dei efficacem, tanquam humanæ libertati præjudicium afferentem rejiciebat. De quo videndus Mag. Lemos *tomo 1. Panop. tract. 3. cap. 4.* Easdem bonas Dei voluntates prædeffinitivas ac prædeterminativas, atque rerum effectrices statuit D. Dionysius *cap. 5. de divin. nom.* Præterea S. Athanasius super illud ad Epes. cap. 2. *Quæ preparavit Deus &c.* ita scribit: *Sciens autem hoc preparavit Deus, quæ differri non potuerunt, nec pretermitti, quin peragantur, tanquam divinitus prædefinita.* Et in epist. ad Serap. inquit: *Impossibile erat secundùm prædeterminationem divinæ rationis ut Ecclesia Domini invisibilem formam & incorpoream immediatè nudam susciperet.* Quorum verborum explicationem vide apud D. Thomam *opusc. 1. cap. 16.* easdem prædefinitiones divinas tradit *in Apolog. de fuga sæculi.* Insuper D. Chrysostomus *sup. epist ad Ephes. homil. 1.* explicans illa Apostoli verba, *elegit nos,* &c. hæc scribit: *Sic divina ratione cuncta dispensata sunt ac prædefinita, idque per multam erga nos providentiam.* Item S. Leo Papa serm. 1. de pass. Dom. *In salvandis*, ait, *hominibus per crucem Christi communis erat voluntas Patris & Filii, commune consilium; nec ulla poterat ratione turbari, quod ante sæcula misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum.* Videndus idem S. D. & Pontifex *serm. 16. de pass.*

&

& *epiſt.* 4. *ad Vniverſos Epiſcopos per Siciliam conſtit.* atque *in epiſt. ad Conſtantin. Imp.* Approbata in Sexta Generali Synodo. D.Hieronymus etiam ſup. epiſt. ad Epheſ. cap. 1. exponens illa Apoſtoli verba, *In charitate prædeſtinans nos*, ita ſcribit: *Ex quo inferendum: quod cùm prædeſtinet nos ſive præfiniat Deus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, tamen non ante filii eſſe poſſumus, niſi filii ejus Ieſu Chriſti fidem & intelligentiam recipiamus.* Et Theodoretus in illa verba ad Rom. 8. *Quos prædeſtinavit, &c.* ita habet: *Prædeſtinatos autem & præfinitos.* Et D. Anſelmus ſup. cap. 9. ejuſdem epiſt. ad illa verba, *Ut propoſitum Dei maneret*, hæc adiicit: *Ideo tunc dictum eſt, ut propoſitum, id eſt, præfinitio vel praordinatio Dei maneret, id eſt, compleretur & rata conſtaret.* Videndi etiam D.Proſper *epiſt. ad Ruf.* & *lib.* 2. *de vocat. gent. cap.* 34. S. Fulgentius *lib.* 1. *ad Moniac.* & *lib.* 2. *de prædeſt.*

In quibus S. Scripturæ, & SS. Patrum teſtimoniis hoc imprimìs adnotandum occurrit, quòd pro eodem ſumantur & eidem deſignent prædefinitio ſeu præfinitio atque prædeſtinatio, ſeu præfinire ac prædeſtinare. Et reipsà quidem verbum Græcum προρίζω, quo frequenter utitur Apoſtolus, ubi de prædeſtinatione illi ſermo eſt, etiam ſignificat præfinio, prædetermino, ſicut & prædeſtino, ut videre eſt apud utriuſque linguæ peritos. Dein etiam ex hoc colligitur, quòd divinæ voluntatis decretum ſive propoſitum idem ſit quòd præfinitio ſeu prædefinitio ac prædeterminatio divina. Quapropter divinas rejicere prædefinitiones, ac prædeterminationes, aut decreta prædefinien- 297.

tia ac prædeterminantia est non parvum afferre præjudicium divinæ prædestinationi, quam S. Scriptura tam apertè stabilit, ac Theologia universa. Unde S. Dionisius Areop. cap. 5. de divin. nom. de his loquens ait, *Quas Theologia* (hoc est, S. Scriptura) *vocat predefinitiones, & divinas, ac bonis voluntates existentium prædeterminativas & effectivas; secundùm quas supersubstantialis essentia omnia prædefinivit & produxit.* Videndus S.D. ibid. cujus verba suprà *num.* 288. retulimus.

298. Hasce prædefinitiones seu decreta prædefinientia, quæ non admittere non possunt Recentiores, ob tam manifestas S. Scripturæ, Conciliorum, & Patrum auctoritates, secundùm varios sensus minimè consentaneos explicant, & admittunt, non autem in legitimo sensu. Quidam eorum asserunt, divinas quidem esse in Deo prædefinitiones ac prædeterminationes respectu operum creationis, vel eorum quæ Deus se solo producit, non autem respectu eorum, quæ etiam à nostra libera voluntate procedunt. Quo sensu dixit D. Damascenus lib. 2. fid. orthod. cap. 30. *Quòd omnia quidem præcognoscit Deus, non autem omnia prædeterminat, seu prædestinat*, loquens de his, quæ ex sola operatione divinæ virtutis procedunt, ut creatio, suscitatio Lazari, & conceptio Christi, & hujusmodi, quemadmodum explicat D. Thomas *quæst.* 12. *de verit. art.* 10. *c.* secundùm quæ dicitur esse prophetia prædestinationis. Et ita specialiter intelligendum volunt S. Dionysium *cit. cap.* 5. *de divin. nom.* loquitur enim de ideis, secundùm quas Deus omnia condidit, & produxit. Alii verò etiam admittunt

admittunt hujuſmodi prædefinitiones reſpectu quorundam actuum moralium præcipuorum, non autem reſpectu omnium. Alii eas equidem reſpectu omnium operum, ſaltim bonorum, admittunt, ſed aiunt ipſas non importare ordinem cauſalitatis, ſed durationis duntaxat, & qui eſt æternitatis ad tempus, nam prædefinitio divina eſt æterna, & opera illa in tempore producuntur. Ita Maſtrius *in* 1. *diſp.*4. *quæſt.* 2. *art.*2. *num.* 40. & alii Recentiores. Alii autem omnino ejuſmodi prædefinitiones reſpectu actuum noſtræ voluntatis, qui mali ſunt, rejiciunt. Alii denique eas admittunt, ſed poſt mediam illam ſcientiam ſive præſcientiam futuri conſenſus humani exploratricem, & hoc reſpectu bonorum operum. Ita P. Vaſquez *hic quæſt.* 2 2. *diſp.*..... *c.*..... P. Suarez *lib.* 1. *opuſcul. cap.*15. *lib.*2. *cap.*3. & 7. atque alii Recentiores Societatis communiter. Quorum opiniones ſequent. §§. rejiciendæ atque repellendæ veniunt.

Priùs tamen obſervandum velim quàm inconſideratè P.Molina 1. p. q. 14. art.13. diſp.18. n. 2. effutiverit, *Prædefinitiones, quales ab his confinguntur, nec in Scripturis Sacris, aut traditionibus, neque in Conciliis aut S S. Patribus fundamentum ullum habere, quin potiùs arbitrii libertatem manifeſtè evertere, Scripturis, Eccleſiæque definitionibus repugnare*, cùm tot & tam expreſſa habeantur de hac re teſtimonia, ut ex ſuprà allatis conſtat. Quibus eaſdem divinæ voluntatis prædefinitiones ſtabiliri oſtendemus infrà cum eis quas Thomiſtæ magno jure ſtatuunt & tuentur. Sed minus tolerãdus P.Mariana lib. 2. de morte & immortalit. cap.13. dicens: 299.

Quidquid

Quidquid electuri sumus vidit Deus intuitu interno : vidit, inquam, non sanxit, prædixit non definivit, ut fierent. Nam si mors Christi, quam ipse liberè elegit & passus est, expressissimè à SS. Scripturis & Patribus definita ab æterno, & incommutabiliter præfinita constituitur, cur non & ea quæ electuri sumus absque nostræ libertatis præjudicio erunt à divina voluntate præfinita ? Sed de his infrà.

§. 3.

Quòd divinæ prædiffinitiones nedum important antecessionem durationis respectu eorum quæ à Deo præfiniuntur, sed etiam causalitatis.

300. Divinas præfinitiones, seu prædiffinitiones atque prædeterminationes quandam antecessionem ad futurum eventum importare ex ipsa nominis notione constat. Nam particula illa, *præ*, quæ sonat idem atqui *ante*, vel, *prius*, respectum aliquem ad futurum dicit, ut docet D. Thomas quæst. 6. de verit. art. 1. *Hæc præpositio præ, ait, quæ adjungitur, importat ordinem ad futurum.* Quod autem importent etiam ordinem causalitatis respectu eorum, quæ à Deo præfiniuntur,& non solùm puram concomitantiam in operando simul cum creata voluntate quoad actus liberos, demonstrandum in præsentia venit.

301. Prob. imprimìs ex illo Apostoli ad Ephes.c.1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Quibus verbis Apostolus ut notat D.Thomas ibi lect. 4. probat quòd Deus nos secundùm propositum voluntatis suæ prædestinaverit, ut præmiserat, quoniam omnia, secundùm

dùm conſilium voluntatis ſuæ operatur. *Quòd autem*, inquit D. Thomas, *ſecundùm propoſitum prædeſtinaverit, probat: quia non ſolùm hoc, ſed etiam omnia alia, quæ Deus facit, operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Pſal.* 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit. Eſaiæ* 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Unde ſenſus horum verborum eſt, quòd Deus omnia quæcunque efficit, operatur ſecundùm æternam divinæ ſuæ voluntatis diſpoſitionem, decretum, propoſitum, beneplacitum, hoc eſt, primariam voluntatem, ut exponit Chryſoſtomus, ſeu voluntatem certam, deliberatam & ex ratione agentem, non temeré, quemadmodum explicant Gloſſa Interlinearis, & D. Thomas ibidem. *Non dicit*, inquit, *ſecundùm voluntatem, ne credas quòd ſit irrationabilis, ſed ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, id eſt, ſecundùm voluntatem ſuam: certam & deliberatam.* Patet autem quòd æterna illa Dei diſpoſitio, propoſitum, ac beneplacitum, vel aliud eſt quàm æterna prædefinitio; & præordinatio: ergo hæc ordinem cauſalitatis ad futuros eventus importat. Minor patet ex dictis §.3. & ampliùs manifeſtatur advertendo, quòd in eo capite Apoſtolus æternam illam diſpoſitionem tribus compellat nominibus. Primò eam vocat *συοσκίαν* v. 5. & 9. quod vertit Latinus interpres, propoſitum ac beneplacitum, propoſitum quidem v. 5. & beneplacitum v. 9. ſecundò eam nominat *πρόθεσιν* v. 11. hoc eſt, propoſitum, & ibidem nuncupat Βωλω, id eſt, conſilium voluntatis, ſeu voluntatem certam & deliberatam, qua incommutabiliter vult aliquid, quæ quidem voluntas eſt voluntas præ-

definiens,

definiens, ut ex D. Leone Papa supra §. 3. citato patet: & Theodoretus in dictum cap. 1. ad Ephes. *Ab initio*, inquit, *ante constitutionem mundi, quæ ad nos pertinebant, præscivit & præfinit.* Dicit autem quòd *omnia* operatur secundùm illud decretum: ergo & futurum consensum, seu bonum usum liberi arbitrii, quemadmodum ex SS. PP. Augustino & Ambrosio exponit Glossa Ordinaria ibidem dicens: *Omnia operatur; Augustinus, Ambrosius, etiam velle.*

302. Deinde prob. ex SS. PP. & imprimìs quidem ex D. Dionysio Areop. cap. 5. de divin. nom. sæpiùs citato ubi ait: *Exemplaria autem esse dicimus in Deo existent rationes substantificas & singulariter praexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates existentium prædeterminativas, & effectivas, secundùm quas supersubstantialis essentia omnia prædefinivit & produxit.* Respondet Mastrius hanc auctoritatem non esse ad rem, quoniam per hasce prædefinitiones intelligit S. Dionysius ideas omnium rerum quæ fiunt ad extrà, non autem decreta libera.

303. Contra: licèt exemplaria idea significent rerum quæ primò producuntur, tamen non eas solas, sed etiam dispositionem earum in finem, quam dicimus providentiam atque prædestinationem probatur: nam ut egregiè observavit D. Thomas quæst. 5. de verit. art. 1. ad 1. *In re creata duo possunt considerari, scil. ipsa species ejus absolutè & ordo ejus ad finem, & utriusque forma præcessit in Deo. Forma ergo exemplaris rei secundùm suam speciem absolutè est idea: sed forma rei secundùm quod est ordinata in finem*

est

est providentia, & de hujusmodi exemplaribus loquitur S. Dionysius eo in cap. 5. sed ut est providentia & prædestinatio est quædam prædefinitio & præordinatio in finem, seu decretum prædefiniens ac prædeterminans: ergo D. Dionysius etiam de decretis liberis sermonem facit, cùm de prædefinitionibus istis loquitur, secundùm quas Deus omnia prædefinivit & produxit. Minor ex dictis §. 3. constat. Major verò prob. 1. nam de his exemplaribus asserit imprimìs S. Dionysius, quod Theologia vocat eas prædefinitiones, quod exponens D. Thomas ait: *S. Scriptura vocat prædefinitiones sive prædestinationes secundùm illud Rom.* 8. *Quos prædestinavit hos & vocavit.* Prædestinatio autem respicit transmissionem creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ. Secundò ait appellari eas. *Divinas ac bonas voluntates* ab eadem S. Scriptura, alludens ad illud psalmi 110. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus:* Ubi per voluntates non sola voluntas producendi, sive creandi res ipsas, sed tota illa ordinatio creaturæ in Deum,præsertim verò creaturæ intellectualis in finem supernaturalem vitæ æternæ intelligenda venit. Unde S. Augustinus ibidem, *Magna*, inquit, *opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, per quas nullum confitentem deserit misericordia, nullius est iniquitas impunita: eligat sibi homo quodlibet. Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in libero arbitrio constituta creatoris superet voluntatem, etiam si contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet, tamen si peccaveris, non putes hominem fecisse quod voluit, & Deo accidisse quod noluit: sicut enim vult ut homo*

homo non peccet, ita vult peccanti parcere ut revertatur & vivat: ita vult postremò perseverantem in peccato punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, omnipotenti Deo non deerit, unde suam de te compleat voluntatem. Magna enim opera Domini, exquisita in omnes voluntates. En quomodo D. Augustinus totam illam ordinationem creaturæ in vitam æternam, vel casum ab ea, ad ejusmodi bonas voluntates rerum effectivas reducit. Et in psal. 5. bonum Dei voluntatem nuncupat illam, *quæ præcedit voluntatem nostram, ut peccatores vocet ad pœnitentiam.* Et psal. 72. *In voluntate tua deduxisti me. Quid est*, inquit: *in voluntate tua? Non meis meritis. Quid est in voluntate tua? Gratia Dei sum id quod sum.* Favet & Apostolus ad Philippens. cap. 2. dum ait: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quem locum explicans idem S. D. lib. de prædest. & grat. cap. 11. ita loquitur: *Ab ipso enim habemus velle, quia vocat & illuminat: ab eo perficere, quoniam ad nos pertinet conari bona, quæ ipse donavit. Quia ab ipso habemus velle perficere, additum est, pro bona voluntate.* Tandem D. Damascenus lib. 2. fidei Orthod. c. 29. Dei providentiam appellat Dei voluntatem.

304. His accedit, quod SS. PP. ut vidimus §. 3. nomen prædefinitionis frequentiùs accommodant dispensationi & gubernationi rerum, atque prærordinationi operationum quæ in tempore geri debent, ut pote Christi passionis, mortisque, & redemptionis generi humani, sequuti modum loquendi Scripturarum. Cùm ergo S. Dionysius asserat ejusmodi exemplaria rerum

rerum effectiva à Divinis Scripturis appellari prædefinitiones, etiam de exemplaribus illis debet ipsi sermo esse, secundùm quæ Deus rebus omnibus providet, eas in finem dirigendo, & non solùm de ideis ut sunt species rerum. Nam cùm Deus sit agens per intellectum & voluntatem, & ad opera sua comparetur sicuti artifex ad artificiata, necessum est quoruncunque operum quæ producit, habeat apud se exemplares rationes, nedum respectu operum creationis, sed & administrationis rerum & operationum creaturæ, omne enim agens per intellectum & voluntatem habet rationem operis faciendi apud se, & providentia est quædam ratio practica eorum quæ sunt ad finem: ergo de utriusque exemplaribus intelligi debet S. Dionysius, & sicuti prima exemplaria sunt effectrices rerum rationes, ita & secunda, per quæ rebus providet, & in suos fines dirigit.

Præterea D. Augustinus lib. Soliloq. animæ cap. 25. & 26. *Non est enim hominis*, ait, *velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit & possit: sed potiùs à te gressus hominis diriguntur, illorum, inquam, qui non à se, sed à te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque per viscera misericordiæ tuæ velis Domine salvare quod creasti: quoniam si vis, potes nos salvare, & in tua voluntate virtus est nostræ salutis. Recordare misericordiæ tuæ antiquæ, qua nos à principio in benedictionibus dulcedinis tuæ prævenisti. Antequam enim nascerer ego filius ancillæ tuæ tu me prævenisti præparans mihi semitas quibus incederem & venirem ad gloriam domus tuæ: priusquam me formares in utero novisti me; & antequam exirem de vulva quidquid tibi placuit præordinasti* 305.

de

de me. Hoc eſt, prædefiniſti, idem enim ſonat præordinare atque prædefinire, ut vidimus ſupra §. 3. & deſignat præfinitionem voluntatis divinæ, qua præordinat quidquid ſibi placitum eſt de nobis, & in ejuſmodi voluntate virtutem noſtræ ſalutis eſſe ait Auguſtinus: ergo ejuſmodi prædefinitio atque præordinatio cauſalitatis ordinem importat reſpectu operationum liberarum noſtræ voluntatis.

306. Accedit his D. Gregorius Magnus lib. 12. Moral. cap. 2. ubi explicans illa Jobi verba, *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt,* ita ſcribit: *Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt abſque omnipotentis Dei occulto conſilio veniunt. Nam cuncta Deus ſecutura praſciens ante ſecula decrevit, qualiter per ſacula diſponantur.* Conſilium autem Dei ibi ſonat æternam Dei diſpoſitionem, & præordinationem de rebus, ut notat D. Thomas *quæſt. 12. de verit. art. 11. ad 2.* quæ quidem præordinatio divinæ voluntatis cauſalitatis ordinem ad futurum eventum importat; cum ſit practica mitto aliorum Patrum teſtimonia infrà adducenda.

307. Tertiò prob. ratione ſupra inſinuata; Deus operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, & ut agens ex propoſito ſeu per intellectum & voluntatem, etiam velle noſtrum, & quamlibet operationem noſtram liberam: ſed omne agens per intellectum habet rationem exemplarem ac prædefinitivam operis ſui apud ſe, per quam producit opus, ut patet in artifice creato: ergo Deus habet prædefinitionem ac præordinationem æternam cujuſlibet operis in tempore faciendi, etiam operationum noſtrarum liberarum, effectricem ipſarum,

quatenus habet adjunctam determinationem divinæ voluntatis id decernentis efficaciter. Major patet ex cit. loco Apostoli ad Philipp. 2. c. *Deus enim est*, inquit, *qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate sua.* Minor etiam est evidens & probabitur infrà q.15.præsertim *art.*1.

Conf. 1. ad omnia se extendit divinum decretum, seu prædefinitio æterna divinæ voluntatis, ad quæ se extendit ejus causalitas: sed ex vi subordinationis essentialis secundæ causæ ad primam divina causalitas se extendit ad omnes actus liberos, etiam in particulari: ergo etiam ad illos se extendit divinum decretum prædefiniens, seu divina præordinatio. Major patet, quia nihil Deus in tempore efficit, quod non velit efficere, nec in tempore potest velle aliquid de novo producere, quòd ab æterno non voluerit, aut decreverit, atque prædefinierit operari, cùm voluntas ejus non sit mutabilis. Minor verò prob. ex citato loco Apostoli, & præterea, quia sicuti in essendo creatura libertate donata subordinatur Deo, ita & in operando & volendo, sed Deo subordinatur in essendo, quoniam ab eo participat esse: ergo participat & operari, aliàs per essentiam esset operans, ut infrà amplius demonstrabitur. Unde S. Fulgentius lib.de incarn.& grat. Jesu Christi cap.29. ait: *Scriptura divina commendans omnipotentiam voluntatis, omnia, inquit, quacunque voluit, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Quomodo igitur omnia quæ vult facit, si volens hominem salvum fieri, cujus salus nonnisi à bona incipit voluntate, ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur,* 308.

expectat? O quàm pessimum nefas asseritur, dum gratia Dei contumaciter repugnatur. Homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existerent. Ita ne rerum ordo cordi mutari permittitur, ut Deus qui creator est hominis valeat hominem facere non mutare: & qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit priusquam in homine ipsum velle repererit?

309. Conf. 2. Deus habet perfectam providentiam de operationibus humanis; sed providentia necessariò includit voluntatem decernentem de futuro eventu, & præfinitionem seu præordinationem practicam ordinantem futuros eventus in finem secundùm omnia quæ in ipsis sunt, quare D. Irenæus lib. 2. adv. hæres. cap. 45. dixit *Per Dei providentiam unumquodque eorum quæ facta sunt, & quæ fiunt, & fient, à Deo ordinem numerum, & quantitatem accipere & accepisse propriam*: ergo etiam respectu operationum humanarum habet Deus decretum & præfinitionem, qua de illis practicè ordinat; quinimo si illam non haberet præter voluntatem illius ipsæ fierent. Unde S. Augustinus in Enchirid. cap. 95. de infallibili ordinatione divinæ providentiæ verba faciens ait: *Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*: peccata quidem sinendo seu permittendo, faciendo verò operationes justas & bonas.

310. Ex quibus improbata manet eorum sententia supra adducta, qui asserunt divinas prædefinitiones esse in Deo admittendas respectu duntaxat operationum creationis, vel eorum quæ Deus

Deus ſe ſolo producit, non autem reſpectu operum, quæ etiam à noſtra libera voluntate procedunt. Neque enim alia ratione reſpectu ejuſmodi operum divinæ voluntatis prædefinitiones eorum effectrices & productivæ conſtituuntur, niſi quia eſt agens ex propoſito ſeu per intellectum & voluntatem, cujus proprium eſt præconcipere & in mente intelligibiliter habere exemplar operis faciendi;Deus autem omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ergo ſecundùm præfinitionem & præordinationem ipſius, etiam operationes humanas.

Similiter improbata & confutata manet opinio illorum, qui illas admittunt reſpectu quorundam operum moralium præcipuorum duntaxat. Et præterea refellitur, nam ideo præfinitiones, ut aiunt, Thomiſticas, ac decreta prædeterminantia rejiciunt, quia auferunt libertatem: ſed illa præcipua opera moralia, ut talia, non ſunt abſque libertate: ergo vel reſpectu horum non erunt admittenda; vel reſpectu omnium operum quæ à libera hominis voluntate procedunt, admittenda erunt, cùm libertatem non lædant, & ex alio capite omnipotentiſſimam divinæ voluntatis virtutem atque efficaciam maximè demonſtrent. Impugnata etiam manet opinio aſſerens illas non importare ordinem cauſalitatis ad futurum eventum ſed durationis tantùm. Supereſt modò ut oſtendamus anteceſſionem illam dicere ordinem cauſalitatis antecedentem uſum & cooperationem noſtræ libertatis, & non eſſe purè concomitantia, vel expectantia illum ut Deus decernat de futuro eventu præeunte conditionatâ illâ præſcientiâ exploratrice humanæ voluntatis. 311.

§. 4.

Quòd prædefinitio, sive decretum prædefiniens divinæ voluntatis non importet solam concomitantiam in causando, sed prævium, & antecedentem usum & liberam cooperationem voluntatis creatæ.

312. QUamvìs Recentiores Scotistæ, inter quos Mastrius *in 1. disp. 4. quæst. 2. art. 1.* admittant divinas præfinitiones etiam respectu actuū moraliter bonorum liberæ voluntatis creatæ ad salvandam essentialem subordinationem causæ secundæ ad primam, existimantes divinum decretum prædefiniens ad ea omnia se extendere, ad quæ se divina extendit causalitas, tamen satis inconsequenter loquentes docent, præfinitiones hujusmodi nec esse omnino antecedentes usum nostræ libertatis, nec omnino illum consequentes (quasi præsupponentes præscientiam ac prævisionem ipsius sub conditione futuri) sed purè concomitantes virtualiter nostræ libertatis usum involventes, hoc est, ratione virtualis continentiæ voluntatis creatæ in divina ut in primo libero. Ratione etenim hujusmodi continentiæ virtualis voluntas divina habet, ut coincidere ab æterno in eandem omnino determinationem, in quam creata voluntas in tempore incidet. Et quoniam illa virtualis continentia omnem præscientiam ac prævisionem futuri eventus præcedit, idcirco aiunt, decretum illud purè concomitans præscientiam illam conditionatam futuri eventus minimè præsupponere antecedentem divinæ voluntatis decretum. In quo à Patribus Societatis

cietatis discriminantur admittentibus illam.

Pro omni tollenda ambiguitate, quæ in hac concursus concomitantia reperiri potest, advertendum occurrit, quòd divini decreti causalitas dupliciter considerari potest; primò quidem respectu effectus producendi à voluntate creata, vel qualibet alia causa secunda, & hoc pacto non dicitur antecedens voluntatem creatam in operando sed concomitans; non enim Deus priùs causat effectum quam voluntas creata, sed cum ipsa voluntate creata ipsi Deo cooperanti, & veluti comitem in operando se exhibenti illum producit; subindeque decretum illud, quo Deus prædefinit operationem causæ secundæ seu decernit concurrere cum ipsa ad producendum effectum illius, concomitans est. Sed quoniam voluntas creata non potest actu exire in actum secundum sive operationem nisi sit actu applicata & determinata ad agendum (quoniam à causa existente in potentia non emanat actualis operatio nisi reducatur in actū, & à causa ad utrumlibet se habente non exit actu determinatus effectus, ut ipsa voluntas creata simul cum Deo concurrat ad productionem determinati effectus, requiritur alteriùs determinatio voluntatis creatæ, & exitus de potentia in actum, seu applicatio virtutis illius ad operandum; quam fieri dicimus per virtutem Dei efficaciter volentis ut voluntas creata velit, seu operantem in ipsa ipsum velle, inquantùm illum applicat, determinatque actu ad volendum. Unde voluntas simul cum Deo operans effectum, ad quem producendum ab eo mota, determinata, & applicata fuit, dicitur agere in virtute ipsius Dei; sicuti calor 313.

ipse naturalis in virtute animæ operari dicitur, quia virtus animæ facit ut calor naturalis in actum suum exeat,& operetur effectum v.g. producendo carnes, quod non habet inquantùm calor, sed ut agens in virtute animæ, ut sumitur ex D. Thoma *quæst. de unione verbi art. 5. ad 5.* & *1. p. q. 36. art. 3. ad 4.* Operatur enim voluntas inquantùm est actu, est autem actu per participationem ipsius esse divini, quod est Dei proprius effectus. Quapropter illud decretum, quo Deus ab æterno decrevit cum causa secunda concurrere, est equidem concomitans habito respectu ad effectum producendum à causa secunda; sed non purè concomitans, sed etiam prædefiniens ac prædeterminans quoniam præconstituit Deus movere voluntatem creatam ut velit, & operetur, ipsaque in virtute Dei moventis agit & vult. Et hoc pacto decretum in Deo concomitans à Thomistis admittitur: sicuti & concursus simultaneus, quo Deus in tépore simul cum voluntate creata operatur effectum; qui quidem concursus simultaneus est ipsamet creaturæ operatio ut procedit à voluntate creata, non absolutè, sed ut mota & applicata à Deo ad agendum, ratione cujus dicitur in virtute Dei operari. Quemadmodum probavimus & explicuimus *opusc. de primo motore c. 2. à n. 28.*

314. Secundò potest intelligi concomitantia respectu liberæ determinationis voluntatis creatæ ad operandum, itaut determinatio liberæ voluntatis creatæ non se habeat in ratione effectus respectu Dei agentis, neque decretum efficax divinæ voluntatis in ratione causæ causantis illam; sed ipsæ voluntates divina & creata

creata simul se condeterminent liberè & propria virtute ad operandum, & producendum effectum. Et hunc modum concomitantiæ admittit Mastrius *in* 1. *disp*.3. *quæst*.3. *art*.8. & *disp*.4. *q*.2. *art*.1. cum aliis quibusdam Recentioribus Scotistis ab eo relatis:negat tamen prævideri à Deo per scientiam illam mediam, sive præscientiam conditionatam in quam partem se inflexura sit creata voluntas, ad hoc ut decernat Deus efficaciter cum illa concurrere. Sed jure merito hanc decretorum concomitantiam Sghemma Recentior Scotista *in Physica quæst*. 4. *de fato*, irrationabilem omnino reputat, & à Scoto nec quidem somniatam, quod & ex dicendis constabit.

Dicendum est itaque quod decretum efficax divinæ voluntatis, seu divina prædefinitio non dicit puram concomitantiam in operando, vel determinando se ad operandum in ordine ad effectum, sed etiam importat ordinem causalitatis in ordine ad ipsam determinationem liberam creatæ voluntatis, quam in tempore causat. Prob. imprimis auctoritatibus & rationibus adductis in superiori §. 3. præsertim auctoritate illa Apostoli ad Ephes. c. 1. *Qui*, scil. Deus, *operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, hoc est, secundùm æternum decretum, æternamque illam dispositionem, ac præordinationem seu propositum divinæ voluntatis. 315.

Respondet Mastrius *d. disp*.4 *num*.40. Deum dici omnia operari secundùm consilium voluntatis non quia omnia se solo decernat, quæ à nostra pendent libertate, nulla prorsus habita ratione de nostra futura deliberatione; nam talis decernendi modus repugnaret legi gene- 316.

rali jam ſtatutæ, quo vult cauſas ſecundas ſuos agere motus, & earum modo agendi ſe ſe accommodare in decernendis effectibus ab ea futuris: ſed dicitur operari ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, id eſt, per voluntatem rationabilem,ſeu rationabiliter & non temerè agentem, ut ibi exponunt SS. Hieronymus & Anſelmus. Dicitur autem ſic agere, quando cauſas liberas adminiſtrat modo earum libertati conſentaneo, decernendo nempe actus liberos ab eis futuros aliquo modo dependenter ab earum libertate, non autem prorſus antecedenter ad eam nulla penitus habitâ ratione de earum futura deliberatione; ſic enim non diceretur agere rationabiliter, & providè, ſed potiùs temerè & abſque conſilio.

317. Sed hoc merum effugium eſt. Nulli dubium eſt aut eſſe poteſt,quod cùm decretum illud prædefinies reſpiciat nedum voluntatem creatam operaturam, ſed & modum operandi illius, quòd habeatur in eo ratio de futura noſtra libera determinatione & cooperatione;non enim Deus ſe ſolo illum effectum producere decernit, ſed unà cum homine, cui dat etiam agere motus ſuos, ſed difficultas, an voluntas Dei ſic decernendo faciat ut velit voluntas creata, & moveat eam ad operandum ſervando illi modum libertatis ſuæ, & ſinendo illam agere motus ſuos. Quod autem ita faciat Deus dicimus illo Apoſtoli teſtimonio etiam convinci: nam velle creaturæ & determinatio illius ad operandum eſt aliquid, per illud enim eſt in actu agendi, cùm priùs eſſet in potentia: ſed Apoſtolus ait, quod Deus operetur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:ergo Deus operatur etiam

ipſum

ipsum velle, quod non potest esse nisi determinando voluntatem, & applicando illam ad operandum, seu faciendo velle: sicut artifex dicitur facere ut instrumentum operetur, inquantùm applicat illud ad operandum. Unde cònsentaneè Glossa ordinaria, ut diximus, ex SS. Augustino & Ambrosio Glossat: *Omnia operatur: Augustinus & Ambrosius, etiam velle.* Innumera loca possemus ex D. Augustino adducere ad hoc probandum, quorum non nulla supra §. 3. adduximus, & infrà alia in medium producemus, sufficiat in præsenti illud ex lib. Enchirid. cap. 95. ubi ait: *Non ergo fit aliquid nisi omnipotens velit, vel sinendo ut fiat, vel faciendo:* sed determinatio voluntatis ad operandum, seu ipsum velle actu est aliquid: ergo Deus facit quod velimus, dum bona operamur: sed nihil operatur in tempore quod ab æterno efficaciter non decreverit: ergo decretum æternum etiam dicit ordinem causalitatis ad nostrum velle decernendo efficaciter facere in tempore ut velimus: ergo non est decretum purè concomitans, sed etiam verè prædefiniens ac prædeterminans ut admittitur à Thomistis.

Deinde prb. ex ipsismet fundamentis ex rationibus quibus *dicta disp.* 4. *quæst.* 2. *art.* 1. utitur Mastrius ad probandum omnes humanæ voluntatis actus moraliter bonos vel indifferentes, quantumcunque liberos, esse à Deo ab æterno absolutè præfinitos præfinitione efficaci & absoluta. Ut ipse Mastrius fatetur sicuti in essendo ita & in operando inter voluntatem divinam & creatam debet salvari essentialis subordinatio: sed essentialis subordinatio 318.

tio

tio in operando ſalvari nequit per ſolam illam concomitantiam decretorum vel concurſus ſimultanei ut talis, ſed debet voluntas creata agere ut mota & applicata ad operandum à voluntate divina: ergo decretum prædefiniens divinæ voluntatis debet eſſe antecedens liberam determinationem, & uſum ſive conſenſum voluntatis creatæ ad operandum, ut cauſa talis determinationis. Minor prob. primò ab eo habet cauſa ſecunda ſubordinari eſſentialiter cauſæ primæ, à quo habet quod ſit cauſa ſecunda: ſed non habet in actu ſecundo quod ſit cauſa ſecunda per hoc quod ſimul cum Deo ſe condeterminet ad operandum, vel per puram concomitantiam illam decretorum, aut purum concurſum ſimultaneum operationum: ergo eſſentialis Subordinatio in operando per nudam & puram concomitantiam illam decretorum vel cooperationis in agendo ſalvari nequit. Major patet, nam ſecundùm importat ordinem poſterioris ad primum ceu priùs, quod eſt ei ſubordinari: unde ſicuti ens ſecundùm & per participationem enti primo ſubordinatur in quantùm tales, ita & cauſa ſecunda in agendo, quatenus ſecunda eſt, in operando. Minor verò prob. cauſa ſecunda non habet eſſe cauſa ſecunda in eſſendo, vel in virtute & actu primo, niſi per hoc quod Deus dat illi eſſe & virtutem ad operandum, itaut eſſe & virtus illa ſe habeant ut effectus cauſalitatis divinæ tam in genere cauſæ efficientis, quàm exemplaris, & finalis: ergo ſimiliter non habet quòd ſit cauſa ſecunda actu operans, & in ſua operatione actu eſſentialiter ſubordinata primæ cauſæ & operationi ejus, niſi per hoc quod cauſa

prima

prima efficit in eo ipsum operari,seu facit illam esse causam secundam actu operantem : sed non facit illam esse actu operantem nisi per hoc quod illam reducit de potentiâ & virtute ad actum agendi, sicuti non facit illam esse actu nisi inquantùm facit illam de non ente, seu ente possibili esse actu ens : ergo cùm hoc fiat per antecedentem determinationem, & concursum prævium ad operandum subordinatio essentialis hanc antecedentem determinationem necessariò exigit ad operandum, & non sufficit sola concomitantia. Minor etiam patet in artifice, qui per id facit instrumentum esse in actu secundo operans, & concurrens ad producendum effectum, quòd actu applicat illud ad operandum, sicuti securim v.g.ad scindendum.

Secundò prob. eadem minor, & ampliùs 319. declaratur præcedens ratio : Ordo & subordinatio inter duo necessariò importat rationem aliquam prioris ac posterioris inter illa, in eo genere in quo est subordinatio, ut probat D. Thomas 2.2.*quæst*.26.*art*.1.*c*. ex Philosopho *lib.* 5. *Metaph. tex.* 16. Sed per concomitantiam illam decretorum, vel concursus purè simultanei inter causam primam & secundam nullus salvatur ordo prioris & posterioris in ratione causæ actu operantis, neque una habet rationem primæ, altera secundæ : ergo non salvatur essentialis subordinatio. Minor prob. neutra illarum est prior ordine causalitatis nec una se habet in ratione principii respectu alterius actu operantis, cùm non moveat illam actu, determinet, aut applicet ad operandum; sicuti cùm duo simul trabem portant, quia unus

ad

ad portandum non movetur & applicatur ab alio, non est principium operationis in illo, nec est una causa prima, & altera causa secunda alteri comparata, quia unus non facit ut alter trahat: bene verò artifex respectu instrumenti dicitur causa prior & principium operandi respectu ejus, quoniam movet & applicat instrumentum ad actu operandum; ergo per concomitantiam illam puram decretorum, vel concursus purè simultanei nullatenus Salvatur essentialis subordinatio causæ secundæ ad primam in operando actu inter voluntatem creatam & divinam.

§. 5.

Adversariorum solutio adducitur & confutatur.

320. RESpondet Mastrius *ibid. art.* 2. *num.* 40. salvari subordinationem, quia ibi est prioritas à quo seu independentiæ & dignitatis determinationis & concursus causæ primæ. Nam sicut in tempore licet causa prima concurrat cum causa secunda ad eundem effectum simultate in quo, adhuc tamen dicitur priùs concurrere prioritate à quo causa prima, quia à se agit causa verò secunda dependenter ab illa: sic etiam ab æterno, licèt simul se condeterminet cum causa secunda libera, quam virtualiter continet, & omnino concomitanter cum ea; adhuc tamen ejus determinatio dicitur prædefinitio ac prædeterminatio, quia causa prima à se ac independenter determinat; causa verò secunda ab alio, & dependenter à prima.

321. Contra primo: intantùm causa secũda dicitur dependenter à prima agere, quoniam in virtute illius

illius agit, quod est causalitatem & operationem causæ secundæ virtualiter in prima contineri; sicuti omnes effectus sublunares dicuntur virtualiter in motibus corporum cœlestium, vel Sole contineri, quoniam dependenter ab eis ceu causis primis producuntur: sed causa secunda, cujusmodi est voluntas creata, non dicitur agere in virtute Dei, nisi quatenus à prima movetur, & applicatur actu ad causandum: ergo ex solutione data sequitur, quod causa prima applicet moveat ac determinet causam secundam ad operandum, & causalitas ejus ordine causalitatis præcedat causalitatem & operationem causæ secundæ. Minor prob. ex Scoto in 1. d. 2. quæst. 2. ubi docet quòd *non causat causa secunda nisi in virtute primæ, inquantùm movetur ab ipsa.* Et ibidem §. Ex his ostenditur, ait; *Causa qualibet in virtute alterius causans est imperfectè causans, quia est dependens ab alia in causando*: non autem dependet ab alia in causando nisi quatenus movetur & applicatur ab ipsa ad causandum, sicuti instrumentum non est dependens à causa principali in causando, nisi quatenus movetur & applicatur ab ipsa ad causandum: ergo causa secunda, etiam libera, non dicitur agere in virtute Dei nisi quia à Deo movetur & applicatur ad causandum. Hoc enim est proprium munus causæ efficientis movere & applicare ad operandum.

Contra 2. prioritas universalitatis, seu dignitatis & perfectionis inter Deum & creatam 322. voluntatem seu causam secundam nedum est secundùm absolutam entis rationem, sed etiam secundùm rationem causalitatis: ergo sicut Deus ex eo quòd est primum & universalissimum

mum ens influit esse creaturæ, & hæc in essendo à Deo tanquam à causa priori dependet essentialiter, ita & ex eo quòd est prima & universalissima causa debet influere rationem causandi omni causæ secundæ, itaut in causando ab ea essentialiter dependeat tanquam à priori efficiente movente ipsam ad operandum. Quod conf. ex Scoto *in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Prima conclusio*, ubi loquens de differentia, quæ reperitur inter causas essentialiter & accidentaliter ordinatas ait: *Prima differentia est, quòd in causis per se ordinatis causa secunda, inquantùm causa dependet à prima in per accidens non, licèt in esse vel in aliquo alio dependeat. Secunda est, quòd in per se ordinatis causalitas est alterius rationis, & alterius ordinis, quia superior est perfectior; in accidentaliter ordinatis non. Hæc sequitur ex prima: nam nulla causa à causa ejusdem rationis dependet essentialiter in causando.* Scotus igitur utramque dependentiam requirit in causa secunda ut dicatur per se ordinata, sive essentialiter subordinata primæ, nimirum quòd essentialiter causa secunda in causando à prima dependeat, & quòd prima sit universalior & perfectior, & hanc conditionem à prima oriri ait; & meritò quidem, non est enim causa nisi per ordinem ad effectum: ergo non est causa universalis & perfecta, nisi per ordinem ad id quod producit, & subinde si est subordinatio in causando, debet prima dare secundæ quod actu causet, quod non fit nisi applicando causam secundam ad operandum, non autem simultanee & pure concomitanter concurrendo cum illa ad operationem. Unde subtilis Doctor ibidem §. Secundò principaliter, inquit: *Quælibet*

libet causa secunda causat inquantùm movetur à prima. Nescio quid expressius dici possit ad convellendam illam concomitantiam in causando, & ad stabiliendum concursum prævium, seu motionem præviam Dei.

Ex quibus mirum in modum confirmatur conclusio : nam ut fatetur Mastrius ibi *num.* 27. decretum divinum ad omnia illa se extendit, ad quæ se extendit divina causalitas : quia quidquid Deus in tempore efficit ab æterno efficere decrevit, & eadem voluntate æterna novum producit effectum pro tunc, quando vult novum esse effectum, quemadmodum docet Scotus *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. Sed divina causalitas in tempore se extendit ad movendum, determinandum, & applicandum voluntatem creatam ad liberè operandum : ergo etiam divinum decretum prædefiniens se extendit eodem modo ad determinationem & applicationem creatæ voluntatis ad liberè operandum, tanquam causa determinationis ad agendum & & velle ipsius. Minor prob. imprimis testimonio ipsius Scoti supraadducto, nimirum, quod *quælibet causa secunda causat inquantùm movetur à prima :* moveri autem causam secundam à prima est applicari ad operandum sicuti moveri instrumentum ab artifice est applicari ad operandum. Confirmatur testimoniis ejusdem Scoti expressissimis, §. seq. adducendis. 323.

Deinde prob. ex D. Augustino lib. de corrept. & grat. cap. 14. ubi ait : *De David, quem Dominus in regnum successu prosperiore constituit, ita legitur : Et ambulabat David proficiscens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo. Hoc cùm præmissum fuisset, paulò post dictum est : Et Spiritus* 324.

ritus

ritus Domini induit Abisei principem inter triginta, & dixit: Tui sumus David, & tecum futuri filii Iesse. Pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus. Nunquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potiùs ejus facere voluntatem, qui in corde ejus operatus est per Spiritum suum quo indutus est, ut hoc vellet, diceret, & faceret? Item paulò post ait eadem Scriptura: Omnes hi viri bellatores dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron ut constituerent David super omnem Israël; sua voluntate utique isti constituerunt regem David, Quis non videat? Quis hoc reget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur: Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit: Sed qui intus agendo corda movet, & in cordibus hominum operatur quod voluerit, istas movet ad operandum & applicat: ergo divina causalitas in tempore se extendit ad movendum & applicandum voluntatem creatam ad liberè operandum. Unde S. D. præmiserat: *Quando quidem* Deus *etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult facit: habens humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Quomodo enim de hominum voluntatibus facit quod vult, & earum inclinandarum habet omnipotentissimam, si in potestate Dei non sit movere quo voluerit, & ad quodlibet voluerit applicare voluntates ipsorum.

325. Quapropter ipsemet S. D. lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. *Novit*, ait, *intus in ipsis cordibus hominum*

hominum operari, ut volentes ex nolentibus fiant. Et cap. 10. *Quid est autem quod Hester regina illa orat & dicit: Da sermonem concinnum in os meum & verba mea clarifica in conspectu Leonis, & converte cor ejus in odium impugnantis nos? Ut quid ista* (scil. converte cor ejus) *in oratione dicit Deo si non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? Sed fortè hæc mulier insipienter oravit. Videamus ergo utrùm inaniter præmissus fuerit orantis affectu, & consecutus non fuerit exaudientis. Ecce ingreditur ad regem, ne multa dicamus; & quia non ordine suo ingrediebatur magnâ necessitate compulsa, intuitus est eam sicut scriptum est, velut taurus in impetu indignationis suæ: Et convertit Deus & transtulit indignationem ejus in lenitatem. Iam sequentia commemorare quid opus est, ubi Deum complevisse, quod illa rogaverat, Scriptura testatur operando in corde regis? quid aliud quàm voluntatem, qua jussit & factum est, quod ab eo regina poposcerat. Quam Deus jam, ut fieret, exaudierat, qui cor regis, antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima & efficacissima potestate convertit & transtulit de indignatione ad lenitatem, de voluntate lædendi ad voluntatem favendi, secundùm illud Apostoli; Deus est enim, qui operatur in vobis & velle.* Et quoniam hæc motio & transmutatio de voluntate lædendi ad voluntatem favendi factâ occultissimâ & omnipotentissimâ potestate Dei poterat adversariis videri non facta absque præjudicio liberæ voluntatis ipsius regis, adjungit S. D. *Nunquid homines Dei qui hæc scripserunt, imò ipse Spiritus Dei, quo authore per eos ista conscripta sunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Absit.* Sed

de his plura alibi. Vide interim quæ ſcripſimus *opuſc. de primo motore*, præſertim *cap.*8.

326. Reſp. Maſtrius *d.diſp.* 3. *quæſt.* 3. *art.* 8. *num.* 180 & *diſp.* 4. *num.* 14. quod S. D. Auguſtinus ſolummodo intendit oſtendere modum & rationem cur Deus velle poſſit quidquid ſibi & nobis placet, ſervatâ noſtrâ libertate. Idque non reducit in ſummam divinæ voluntatis efficaciam, quaſi nos prædeterminet ad volendum quod ipſe vult, quia vinculis nos non alligat, imò nos trahit voluntatibus noſtris coincidendo nempe in eaſdem volitiones noſtras: ſed reducit in infinitatem potentiæ volitivæ in ratione primi liberi, ratione cujus habet omnimodam poteſtatem inclinandi noſtras voluntates in quam nobis & ipſi libuerit, partem: ratione cujus magis habet in poteſtate ſua voluntates noſtras, quam noſmetipſi.

327. Ut vera à falſis, quæ Maſtrius paſſim intermiſcet, ſejungamus, dicimus quòd equidem Deus vinculis, nos non alligat ad trahendum, ut bene Auguſtinus *d. lib. de corrept. & grat.* Sed voluntatibus noſtris Deo volenti cooperantibus. *Et quomodo*, inquit, *adduxit? Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit.* Sed modò difficultas eſt, quis moveat voluntatem, & convertat ad hoc ut velit quòd Deus vult ipſam velle: num ipſamet voluntas id agat, an Deus ſeu in ea & per illam operando. Similiter cùm non cogat Deus voluntatem noſtram, opus eſt ut voluntas noſtra inclinet in illud opus quod agit, & illud in operis exercitio ipſi placeat, & ab ea per electionem acceptetur,

quâ

quâ in unam partem præ alia deflectit atque inclinat: sed difficultas manet quis ejusmodi inclinationem in voluntate creata actu operetur, & efficiat, ut illi placeat; num ipse Deus, num ipsamet creata voluntas determinando & inclinando se ad illud Deo voluntatem illam concomitante? Et respondet, probátque S. Augustinus quòd Deus efficaciter movet voluntatem, convertit ad hoc ut velit, causat inclinationem actualem in ea ad bonum, & efficit ut illud ei placeat, ut patet manifestissimè ex verbis adductis. Quæ iterum ponderanda veniunt.

Imprimis itaque lib. cit. de correp. & grat. cap. 14. ait, *in corde ejus* (nimirum Abisaï principis) *operatus est per Spiritum suum, quo indutus est, ut hoc vellet, diceret, & faceret.* Sanè qui operatur & facit ut aliquis velit aliquid dicitur movere voluntatem ipsius ad operandum, moraliter quidem suadendo & propositione objecti convenientis; effectivè autem, si intus in illa agat: sed Deus per Spiritum suum operatus est & effecit, ut Abisaï princeps vellet Davidem Regem regno præesse, & hoc intus operando in corde ejus, movendo cor ipsius: ergo effectivè movit voluntatem ipsius, & subinde prædeterminavit ad agendum, quoniam motio moventis est prior motu mobilis ratione, naturâ, & causalitate. Deinde S. D. ibidem vocat Dei potestatem omnipotentissimam, *quia de voluntatibus hominum facit quod vult: habens humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem*: ergo causat inclinationem illam Deus ad bene operandum determinando voluntatem 328.

creatam ut liberè velit, hoc enim est causare inclinationem in illa. Nota illud, *quò placet*, nimirum sibi, non voluntati creatæ, cui non subditur, quod intelligendum est, in principio cum determinat & movet ipsam, nam movendo facit ut ipsa voluntas liberè inclinetur, & cooperetur sibi moventi ratione cujus aliquatenus dici potest, quòd etiam facit quod voluntati creatæ libet, quia ista nolens non facit, sed volens, vult autem in virtute prioris voluntatis Dei. Quapropter de hac omnipotentissima Dei seu voluntatis divinæ potestate S. D. Augustinus duo docet inter alia, primum, quòd *ex nolentibus volentes facit*; *ut* constat *cit. lib.* 1. *ad Bonifac. cap.* 19. Si Deus profectò ex nolentibus volentes facit; ergo absolutè non facit quod libet creatæ voluntati, non enim libet ipsi, quod nolle dicitur, sed quod vult, & sibi placet. Et hoc probat exemplo Regis Assueri, qui in principio habebat voluntatem lædendi, à qua Deus illum transtulit ad voluntatem favendi; volebat lædere, ergo non libebat favere: & subinde ex nolente favere fecit Deus volentem favere populo Dei. Non ergo absolutè loquendo facit Deus quod libet creaturæ, sed quod sibi. Facit tamen quod sibi & illi placet, dum operatur efficacissima sua potestate, ut liberè voluntas creata velit & operetur. Et hoc est secundum, quod ait D. Augustinus cit. lib. de corrept. & grat. *Sua*, inquit, *voluntate utique isti constituerunt regem David. Quis non videat, quis hoc neget? Non enim non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico:* Et statim subdit: *Et tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit*

voluerit operatur. Et lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 18. *Respondemus*, inquit, *non ex Dei potentia vel in bonum vel in malum invitum aliquem cogi, sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante, sine meritis converti ad bonum. Non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvatur ut velit, quoniam non inaniter Scriptum est, Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, & præparatur voluntas à Domino.* Et cap. 19. *Trahitur ergo miris modis ut velit ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Sed de his plura alibi.

Tandem ipse Mastrius id probat, nimirum 319. actus liberos voluntatis creatæ esse à Deo absolutè præfinitos ex eo quod Deus perfectam habeat de omnibus rebus providentiã, quæ cùm sit ratio ordinandorum in finem consequenter necessariò supponit seu involvit præordinantem Dei voluntatem: sed actus creatæ voluntatis liberi sunt à Deo provisi: ergo præordinati ac præfiniti, etiam in particulari; alioquin præter Dei voluntatem, ipsiusque intentionem evenirent. Quod deducit ex D. Irenæo lib. 2. adversùs hæreses cap. 45. suprà citato. Ex quibus ita arguo: divina providentia est omnino certa & infallibilis etiam quoad executionem effectus, quemadmodum fusè probatur infrà *q.* 22. *art.* 1. sed non est certa & infallibilis respectu operationis vel effectus liberæ voluntatis creatæ ex prævisione futuræ cooperationis, seu liberæ determinationis ipsius ad operandum, ut fatetur & probat Mastrius: ergo est certa & in-

fallibilis ex se ipsa: sed non potest esse certa & infallibilis ex seipsa, nisi certò & infallibiliter inferat effectum in eo quod providetur, & præordinatur in finem: ergo ejusmodi effectum infallibiliter infert, quoniam ut docet Scotus in 1. dist. 40. *Non potest stare ordinatio sui cum opposito ejus quod ordinavit.* Sed motio & determinatio libera creatæ voluntatis ad operandum divinæ providentiæ ordinationi subest, quæ maximè res humanas curat: ergo divinæ providentiæ præordinatio ac præfinitio illam determinationem infallibiliter infert tam ex parte intellectus quàm voluntatis, cùm providentia secundùm Scotum in actu voluntatis præsupponente actum intellectus potissimùm consistat: sed voluntas divina non potest certò & infallibiliter inferre futuram determinationem liberæ voluntatis creatæ ad operandum, nisi ut causa infallibiliter prædeterminans & præconstituens illam certò se determinaturam ad operandum: nam propter efficaciam suam divina voluntas quidquid vult, fit; ergo illam prædeterminat volendo efficaciter illam se determinare ad operandum. Minor prob. quia illa ordinatio est practica & effectrix. Sed de his plura infrà.

§. 6.

Quod futura contingentia absoluta certò non cognoscat in decreto purè concomitanti.

340. Conclusio: Deus non cognoscit certò & infallibiliter futura contingentia libera in decreto purè concomitanti suæ divinæ voluntatis, quale à Recentioribus Scotistis confingitur.

tur. Prob. 1. ex ipſo Scoto in 1. diſt. 39. §. *Viſo*; ubi loquens de futuris contingentibus ante determinationem divinæ voluntatis, & eorum cognitionem ait: *Tunc autem non ſunt vera contingentia, quia nihil eſt tunc, per quod habeant veritatem determinatam. Poſita autem determinatione voluntatis divina jam ſunt vera, videlicet pro illo ſecundo inſtanti, & hoc idem erit ratio intellectui divino, quod erat in primo, intelligendi iſta, quæ ſunt jam vera in ſecundo inſtanti, & fuiſſent cognita in primo inſtanti, ſi fuiſſent in primo inſtanti.* Ex quibus hanc deſumo rationem: Illud eſt divino intellectui cauſa cognoſcendi certò & infallibiliter, futurum contingens liberum, quod determinatam iſti veritatem præbet: ſed decretum & determinatio divinæ voluntatis cauſat determinatam veritatem in ipſo futuro contingenti libero: ergo determinatio ſeu decretum divinæ voluntatis in Deo eſt ratio & cauſa & infallibiliter cognoſcendi hujuſmodi futura contingentia libera. Major patet, quia nihil certò cognoſci poteſt, niſi certam ac determinatam habeat veritatem, ſive ſit determinatè verum, & aliter ſe habere non valens. Minor verò prob. illud eſt cauſa efficiens adæquata & totalis effectus, quo & nullo alio poſito ponitur, & ablato aufertur: ſed poſita determinatione divinæ voluntatis futura contingentia ſunt determinatè vera, & ante illam vera non erant determinatè, ex Scoto: ergo determinatio ſeu decretum divinæ voluntatis eſt cauſa efficiens totalis & adæquata determinatæ veritatis in ejuſmodi futuris contingentibus. Ex quo infert ſubtilis Doctor, *Quòd eſt determinatio in-*

tellectus divini ad illud existens, ad quod determinatur voluntas divina & immutabiliter: quia non potest voluntas determinare quin intellectus divinus apprehendat illud quod voluntas determinat, & immutabiliter: quia tam voluntas, quàm intellectus sunt immutabiles. Et tamen cum istis stat contingentia objecti cogniti, quia voluntas volens hoc determinatè, contingenter vult hoc, nimirum ex parte objecti cogniti Q. D. effectus certò & infallibiliter tum dumtaxat potest cognosci in sua causa, cùm est determinata ad ipsum, si sit immutabilis: sed voluntas Dei est causa rerum & est immutabilis: ergo cùm vult determinatè effectum, vel est determinata ad producendum illum & immutabiliter, tunc intellectus divinus certò & immutabiliter effectum futurum contingentem & liberum in determinatione seu decreto voluntatis divinæ cognoscit.

341. Respondent P. Suarez *lib.* 1. *opusc. cap.* 1. & Mastrius *lib.* 1. *sent. disp.* 3. *quæst.* 3. *art.* 8. *num.* 68. debere intelligi Scotum de decreto sive determinatione divinæ voluntatis purè concomitante, non autem antecedente determinationem liberæ voluntatis creatæ, causando aliquo modo illam. Quod ex eo colligere nituntur, imprimìs, quia ipse Doctor subtilis admittens in voluntate ejusmodi decreta absoluta etiam in ordine ad eventus liberos à nobis in tempore producendos nusquam legitur illa vocasse antecedentia, bene verò concomitantia. Unde *in* 1. *dist.* 40. *q. unica ad* 2. ait: *Dico quòd voluntas creata non potest impedire ordinationem voluntatis divinæ: nam impedire esset, si staret propositum voluntatis divinæ, & oppositum eveniret*

per

per voluntatem creatam: hoc autem est impossibile; quia sicut voluntas creata potest mereri damnationem, ita etiam potest concomitanter sequi quòd voluntas divina non praeordinaverit ipsum ad gloriam. Deinde in 4.d. 49. quæst.6. tractans quomodo beatus habeat potentiam remotam ad peccandum non verò propinquam, esto sit liber quoad exercitium actus ipsius visionis, ait: *Siquidem nunquam causâ secundâ praeventâ à causa superiori agente ad unum oppositorum potest potentia propinqua exire in aliud oppositum.* Ex quibus infert Mastrius, quòd decretum, quo Deus ab æterno nostros præfinivit futuros actus liberos, non est antecedens sed concomitans, alioquin circa illos non haberemus libertatem proximam, sed tantùm remotam & extrinsecè impeditam. Rursus in 3.*dist*.17.*quæst.unica ad* 1. & multis aliis in locis ad salvandum usum libertatis in causa secunda vult Deum non operari ad operationem voluntatis creatæ nisi ipsa liberè agente, & agendum se determinante in tempore: sed Deus res non aliter efficit in tempore, quam eas ab æterno efficere decrevit: igitur neque Deus ab æterno decrevit fore effectum sine determinatione saltim virtuali ipsius voluntatis creatæ.

Sed profectò hæc & similia Scoti testimo- 342.
nia nil minùs asserunt, quàm prædictam decretorum concomitantiam à Recentioribus quibusdam Scotistis ad eludendam difficultatem, excogitatam. Nam quoad primum spectat, ut notavit Sghemma *cit. quæst. Phys. de fato*, Scotus ibi intelligendus venit de concomitantia illationis, ut est manifestum, quatenus scil. bene sequitur, si voluntas creata

potest

potest per actum suum mereri damnationem, Deus, seu divina voluntas non præordinavit illam efficaciter ad gloriam; quia non potest impediri voluntas efficax ipsius, neque potest stare ordinatio sua cum opposito ejus quod ordinavit. Unde concomitantia illa stat in hoc ut velit voluntas creata, quod vult & ordinat seu decernit eam velle, quoniam illa ordinatio est intrinsecè efficax, & eam voluntas creata impedire non potest. Ex quo manifestè arguitur, quòd decretum illud sit antecedens, nam si esset purè concomitans, posset aliquo modo voluntas creata impedire illam ordinationem, quoniam in sua potestate habet ponere oppositum actum, cùm liberè & ex se se determinet ad cooperandum, nullam aliunde habens infallibilitatem, per quam certò operari debeat, subindéque contingens est eam operari vel non operari. Quæ doctrina est subtilis Doctoris in 2. d.37. quæst.2. *Si voluntas creata*, inquit, *est totalis causa respectu sui velle*, & *ipsa contingenter se habet ad illud velle: ergo quantumcunque voluntas divina ponatur determinata ad unam partem eorum, quæ dependent à voluntate creata, poterit voluntas creata aliter velle*: ergo frustrabitur decretum voluntatis divinæ, & impedietur à voluntate creata, cujus oppositum ibi determinat Scotus, ut patet ex ejus verbis suprà allatis. Et subinde concomitantia illa sequelæ & illationis nullatenus concomitantiam decretorum Dei infert, sed decretum illud monstrat esse antecedens quo Deus aliquid efficaciter decernit.

343. Quod ad secundum testimonium attinet, perfectò non mirari non possum, quòd illud

Recentiores

Recentiores Scotiſtæ in patrocinium hujus ſententiæ adducere non dubitent, cùm totâ ea quæſtione ſubtilis Doctor ita manifeſtè præviam Dei determinationem ſtabiliat, ut nullus inficiationi locus eſſe valeat. Imprimis namque ante verba citata præmiſerat quòd *per cauſam extrinſecam eſt impoſſibilis illa potentia ad peccandum videlicet per voluntatem Dei prævenientem illam voluntatem:* quomodo autem voluntas Dei prævenit voluntatem beati, ſi purè illam in volendo & agendo concomitatur. Deinde §. Ad propoſitum, *Non poteſt*, inquit, *poſſibilitate propinqua peccare, quia præventa, quod eſt propter actionem cauſæ ſuperioris prævenientis.* Et paulò infrà reſpondens huic argumento, *Non minùs tollit indifferentiam voluntatis determinatio ejus à cauſa ſuperiori, quàm à cauſa inferiori: ergo ſi ex ratione cauſalitatis ſuæ eſt indeterminata ad operationem, ita repugnat naturæ ſuæ quòd illa indifferentia tollatur per cauſam ſuperiorem, ſicut per inferiorem: ſicut ergo eſt contra naturam voluntatis, quòd habitus determinet eam neceſſariò, ita eſt quod Deus determinet*, ita habet: *Contra naturam ejus eſt* (nimirum voluntatis creatæ) *determinari in ſuo ordine* (quod eveniret ſi determinaretur à cauſa inferiori) *quia tunc non eſſet ſuperior: non autem eſt autem contra naturam ejus determinari à cauſa ſuperiori*, (videlicet Deo, ſeu divina voluntate) *quia cùm hoc ſtat, quòd ſit cauſa in ſuo ordine.* Ex quo modo Scotus expreſsè fatetur, quòd voluntas creata à divina præveniatur, & ab ea determinetur: ergo Scotus agnoſcit præviam Dei motionem, & applicationem cauſarum ſecundarum ad operandum. *Contra*, inquit, *Si cauſa*

ſuperior

superior determinat; ergo voluntas in suo ordine causandi determinatur: ergo in suo ordine causandi non est contingens. Respondeo propter determinationem ejus in suo ordine est aqualis contingentia: sed quod effectus, qui provenit ab ipsa & aliis non omnino contingenter provenit ex contingentia ejus hoc est, quia alia causa prior est determinata ad illum effectum. Et statim, *voluntas in suo ordine se determinat.* Ergo secundùm Scotum voluntas & determinatur, & se determinat in suo ordine, quoniam scil. præsupponit determinationem causæ superioris determinantis illam in eo quod à causa superiori determinatur, est prædeterminatio divina; in eo quod se determinat est concursus concomitans & simultaneus, quatenus agit in virtute superioris causæ moventis ac determinantis illam.

344. Unde ad instantiam Mastrii respondetur malè ipsum inferre, decretum, quo Deus ab æterno nostros præfinivit actus liberos futuros, non esse antecedens sed concomitans, alioquin circa illos non haberemus libertatem proximam sed tantùm remotam & extrinsecè impeditam. Immò ex eo quòd decretum illud est antecedens habemus libertatem proximam, seu possibilitatem proximam ad operandum. Nam ut docetur ibidem §. Nota, *potentia operativa non concludit habentem posse operari, nisi intelligendo secundùm quid, scil. quantùm est ex parte sui, sed posse simpliciter requirit quòd ex parte omnium aliorum concurrentium sit possibilitas, ut scil. requisita possint concurrere, & impedimenta cessare: sed ultra istam possibilitatem potentia, vel magis possibilitas propinqua requirit quòd convenientia adsint, & impedimenta cessent: Et sic*

operativum

operativum non est in potentia propinqua ad operandum, nisi quando nihil extrinsecum deficit ut operetur: Sed decretum antecedens, præveniensque atque causans determinationem voluntatis creatæ est quid requisitum ut voluntas seu causa secunda operetur, quoniam ista agit in virtute Dei, quatenus movetur & determinatur ab eò ad operandum, utì ex Scoto probatum est: ergo facit ut voluntas creata habeat potentiam simpliciter & expeditam ad operandum illum actum ad quem determinat, impeditam verò ut in sensu composito & simultate operationis oppositum actum producat; sicut voluntas divina decernens & præveniens quòd Beatus Petrus v. g. fruatur Deo seu visione beata facit potentiam ejus expeditam ad fruendum, impeditam verò ad peccandum.

Quod ad 3. spectat, nimirum quòd Scotus 345.
ad salvandum usum libertatis in causa secunda vult Deum non operari ad operationem voluntatis creatæ nisi ipsa liberè agente & ad agendum se determinantè, hòc verissimum est; sed cùm voluntas creata se determinet in suo ordine ut causa nimirum secunda, determinat se in virtute Dei agentis, ut primæ causæ, & subinde ut mota & præventa, ut manifestissimis Scoti testimoniis ostensum est: subindeque est concursus Dei prævius, quatenus prævenit voluntatem creatam, & eam determinat; concomitans autem quatenus voluntas creata liberè se determinat agens in virtute prioris determinationis & cooperatur Deo in ordine ad producendum effectum, seu operationem propriam. Hanc ergo concomitantiam admisit

admiſit Scotus, immò & D. Thomas, & cum illis & nos, non autem concomitantiam illam à Maſtrio & quibuſdam aliis Recentioribus Scotiſtis confictam & excogitatam. Quod patet ex ipſo Scoto in 1. diſt. 8. quæſt. 5. §. Et cùm dicis, ubi ait: *Nulla cauſa ſecunda cauſat niſi prima cauſa cauſante effectum ejus, & hoc priùs naturaliter quàm ipſa cauſa proxima cauſat: prima autem non cauſat niſi contingenter: ergo ſecunda ſimpliciter contingenter cauſat, quia dependet ab ipſa cauſatione primæ, quæ ſimpliciter contingens eſt.* Obſerva, quòd ſubtilis D. duo dicit, & quòd nulla cauſa ſecunda cauſat niſi prima cauſante effectum ejus, & quòd cauſa prima priùs naturaliter cauſat quàm ipſa cauſa proxima: in eo quod utraque cauſat, eſt concurſus concomitans: in eo quòd prima priùs cauſat, eſt concurſus prævius. Deinde ex hoc concludit, quòd cauſa ſecunda eſt contingens, hoc eſt, liberè operans, aut contingenter, quoniam cauſa prima eſt contingens, hoc eſt, liberè & non ex neceſſitate naturæ operans, à cujus cauſatione dependet. Quòd ſi Deus purè concomitanter concurrit, quomodo dat actu cauſæ ſecundæ quod liberè ſeu contingenter operetur, aut quomodo iſta in cauſatione ſua dependet à prima? Sed his omiſſis.

346. Impugnatur Maſtrii & aliorum ſolutio alio teſtimonio ejuſdem Scoti in 1.diſt.41.ubi agens contra Henricum aſſerentem, quòd bonus uſus liberi arbitrii noſtri præviſus ſit ratio ex parte prædeſtinati motiva cur Deus ipſum eligat, ita arguit: *Deus non prævidet iſtum bene uſurum libero arbitrio niſi quia vult, & præordinat iſtum bene uſurum eo, quia ſicut dictum eſt diſt. 39.*

certa

certa prævisio futurorum contingentium est ex determinatione voluntatis divinæ. Ex quibus ita arguo : bonus usus liberi arbitrii creati nil aliud est, quàm ipsamet determinatio creatæ voluntatis ad operandum bene, seu applicatio ejus ad rectam operationem, sicut usus baculi est ipsamet applicatio baculi ad percutiendum v. g. Sed usus iste secundùm Scotum, est effectus divinæ volitionis, & præordinationis practicæ, quâ nimirum vult & præordinat effectivè istum ad bene utendum arbitrio : ergo decretum divinæ voluntatis non se habet ut purè concomitans respectu determinationis liberæ ipsius voluntatis creatæ, sed ut antecedens & prædeterminans liberum arbitrium creatum ad bene utendum. Min. prob. nam illa particula, *quia*, est causalis & denotat voluntatem divinam & præordinationem ejus practicam esse causam cur se voluntas creata determinet ad operandum. Deinde Scotus ubique solam determinationem divinæ voluntatis assignat ut causam certæ prævisionis boni usus futuri ipsius liberi arbitrii creati, quod non faceret si existimaret, Deum certò futura contingentia prævidere etiam in determinatione creatæ voluntatis, quoniam ista determinatio esset etiam causa illius certæ prævisionis.

Conatur Mastrius *cit. disp.* 3. *num.* 168. & hoc 347.
tamen evidens Scoti testimonium eludere adducendo explicationem Vigerii Scotistæ dicentis addendum, concomitante voluntate creata volente bene uti, quia voluntas divina non determinat, nisi voluntas creata se determinaverit, quia voluntas creata concurrit ut causa secunda. Sed profectò glossa hæc parùm

favet,

favet, nam quomodocunque se determinet voluntas creata, se determinat ut causa secunda in suo ordine: ergo ut agens in virtute primæ causæ: ergo ut mota & determinata à causa prima, secundùm principia Scoti supra adducta. Unde Vigerius non intelligit de concomitantia illa, quam prætendit Mastrius, sed de concomitantia in operando, quam tradit Scotus, quæ præsupponit primam causam priùs naturaliter agentem, & secundam ut cooperantem, ut suprà fusè non semel explicuimus. Et ut hoc magis pateat, reducamus rationem Scoti in formam Syllogisticam: Certa prævisio futurorum contingentium liberorum est ex determinatione divinæ voluntatis: sed bonus usus liberi arbitrii creati est futurum contingens liberum: ergo Deus non prævidet certò istum bene usurum libero arbitrio creato, nisi quia vult & præordinat efficaciter istum bene usurum: sed voluntas Dei est causa rerum quas vult esse efficaciter: ergo est causa boni usus liberi arbitrii & determinationis ad bene operandum. Ex quo optimè subtilis Doctor infert; ergo bonus usus liberi arbitrii prævisus non potest esse ratio motiva prædestinationis, siquidem certò non potest prævideri ante determinationem & præordinationem divinæ voluntatis efficaciter volentis & præordinantis seu prædeterminantis, ut voluntas creata libero arbitrio bene utatur, quoniam non habet determinationem ad esse.

348. Deinde refellitur hæc evasio ex eodem Scoto *in* 1. *dist.*39. docente, idcirco à divino intellectu certò prævideri futura contingentia, seu liberos actus futuros creatæ voluntatis, quia voluntas

voluntas divina determinatè vult, quòd eveniant, & immutabiliter vult. In quibus subtilis Doctor duo indicat, quæ necessariò requiruntur, ad hoc ut eventus contingens futurus in sua causa certò & infallibiliter cognosci possit. Primum est, quòd causa illa sit determinata ad esse effectus pro aliqua temporis differentia; nam cùm res sic se habeat ad veritatem sicuti ad esse (ex eo enim quòd res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa) nisi effectus habeat determinationem ad esse in sua causa, non habebit determinatam veritatem in illa, subindeque non poterit in ea certò cognosci. Secundum est, ut causa illa habeat immutabilitatem nec possit deficere, cujus defectu licèt causa naturalis contingens v. g. arbor sit naturaliter determinata ad productionem determinati effectus, tamen in ea non prævidetur certò futurus eventus contingens, quia cum determinatione non habet immutabilitatem, sed est defectibilis & contingenter producit effectum; contingens enim est ut planta floreat, aut fructus producat, undè asserens quod planta hæc florebit, vel producet fructus hoc certò non cognoscit: sed voluntas creata ut prævidetur liberè se condeterminare cum Deo ad operandum, suaptè natura non habet immutabilitatem ad illum effectum, sed est potens deficere cùm sit contingens: ergo secundùm Scotum & veritatem, nil confert illa condeterminatio ad hoc ut Deus certò prævideat futurum eventum liberum & contingentem, sed tota certitudo pendet ex determinatione divinæ voluntatis efficacis & immutabilis, efficaciter quæ & immutabiliter decernentis de

futuro eventu & determinatione causæ secundæ ad operandum, sic enim causæ secundæ effectus habet quandam necessitatem ex suppositione illius determinationis efficacis, & certò cognosci potest.

349. Deinde conclusio prob. ex ipso Scoto in 2. dist. 37. 2. §. *Contra istam opinionem*, ubi refellens opinionem, quæ ponebat quòd voluntas esset causa totalis & immediata sui velle, non subordinata essentialiter Deo in causando, vel determinando se ad causandum (quod asserunt qui solam concomitantiam divini decreti admittunt, ut ex dictis constat) ita arguit: *Ex ipsa sequitur primò quod Deus non sit naturaliter præscius futurorum. Secundò quòd non sit omnipotens. Probatio primæ consequentiæ, quia non habet scientiam de futuris contingentibus nisi quia certitudinaliter novit determinationem voluntatis suæ respectu eorum ad quæ voluntas sua est immutabilis & in impedibilis: sed si voluntas creata est totalis causa sui velle, & ipsa contingenter se habet ad illud velle: ergo quantumcunque voluntas divina ponatur determinata ad unam partem eorum, quæ dependent à voluntate creata, poterit voluntas creata aliter velle, & ita non sequitur certitudo ex determinatione divinæ voluntatis.* Ex quibus ita arguo: Non potest certò & infallibiliter cognosci aliquis effectus in pluribus causis adinvicem ordinatis, vel concomitanter ad eum concurrentibus, nisi omnes sint determinatæ ad ipsum & immutabiles, etiam si altera earum, utputà prima, sit indefectibilis & necessaria ex se: sed posito quòd Deus decreto concomitante se condeterminet cum ipsa creata voluntate ad eventum futurum liberum & contingentem,

tingentem, tunc non omnes causæ illius effectus erunt determinatæ ad esse illius & immutabiles, sed prima duntaxat, nimirum divina voluntas: ergo Deus non potest in hujusmodi decreto concomitante certò & infallibiliter futuros liberos actus vel eventus voluntatis creatæ certò cognoscere. Major declaratur, nam ex quacunque causa deficiente vel deficere potente contingere potest defectus in effectu, ut patet in floritione arboris aut productione fructuum, nam sol ut prima causa, vel mons illius indefectibilis est; & tamen contingit effectum illum deficere, seu non florere arborem, aut producere fructus suo tempore. Minor verò prob. nam voluntas creata est causa contingens, & ad utrumlibet se habens, contingenterque se habet ad suum velle, nec est immutabiliter determinata: ergo non se habet immutabiliter ad esse illius effectus; & subinde quantumcunque voluntas divina ponatur determinata ad unā partem eorum quæ dependent à voluntate absoluta, poterit voluntas creata aliter in tempore velle; & sic non sequetur immutabiliter esse effectus illius, nec certitudo cognitionis in divino intellectu, qui non potest determinatè & immutabiliter cognoscere in causa aliquod futurum, nisi ista fuerit immutabiliter determinata.

Probatio secunda consequentia, inquit Scotus, *quia quidquid vult omnipotens hoc fit: sed si velit volitionem meam fore, & ista est in potestate voluntatis mea ut totalis causa contingenter se habentis ad illud: ergo ipsa potest determinari ex se ad unam partem, vel ad aliam indifferenter, & ita potest non fieri illud aliud, ad quod volun-* 350.

tas divina eam determinavit. Ex quibus ita arguo: si voluntas creata se condeterminet ad volendum ex se: ergo erit causa totalis suæ determinationis ad volendum; quoniam ad istam effectivè non concurrit Deus, in sententia horum auctorum, sed purè concomitanter se habet: ergo quantumcunque velit omnipotens volitionem creatæ voluntatis fore, poterit non esse & frustrari voluntas efficax divina Conseq. prob. quando duæ causæ purè concomitanter se habent ad causandum aliquem effectum, quantumcunque efficaciter altera ipsarum velit ipsum, potest ab altera impediri determinante se in oppositum; v. g. duo homines concomitanter se habent ad portandam trabem, quantumcunque unus efficaciter velit deferre, poterit ab alio prohiberi decernente oppositum, seu nolente concurrere, præsertim si ambo omnino necessarii sint ad deferendam illam, nec unus sufficiat: per illos divina voluntas & creata concomitanter se habent ad decernendum de futuro eventu, & utraque est causa suæ determinationis ad volendum, & necessaria ut sit effectus: ergo quantumcunque voluntas omnipotens & efficax Dei velit volitionem creatæ voluntatis fore, poterit non esse & frustrari divina voluntas.

§. 7.

Probatur ampliùs præcedens conclusio.

351. TAndem prob. concl. ratione, cognitio certa, quam habet Deus de actibus liberis futuris in tempore, est æterna: ergo causa illa in qua talem habet & præaccipit notitiam certam

tam, sive præscientiam futuri eventus debet ab æterno esse actu, seu existere in se vel in sua causa; quia non existente principio causante certitudinem cognitionis, ista non datur; sicuti non existente principio demonstrativo causante certam notitiam conclusionis demonstratæ, ista non habetur: sed determinatio futura creatæ voluntatis ab æterno neque actu existit in se, quia nil est æternum præter Deum, neque in sua causa, quoniam cùm Deus sit agens ex proposito, non alia posset assignari causa nisi voluntas Dei & determinatio ejus ut directa per scientiam, quam adversarii negant esse causam determinationis creatæ, aut præcedere illam: ergo Deus certò & infallibiliter non potest cognoscere ab æterno futuros actus liberos creatæ voluntatis in decreto illo concomitante, quo divina voluntas dicitur se condeterminare cum voluntate creata ad operandum.

Conf. 1. nullus rationabiliter se potest condeterminare ad operandum cum alio, vel decernere immutabiliter operari cum illo, nisi constet illi certò quod ille etiam infallibiliter decernet & volet concurrere cum illo ad hujusmodi operationem; cùm operatio à consensu & voluntate utriusque dependet, & defectu cujuslibet impediri potest; v. g. nequit Paulus rationabiliter, certò & immutabiliter decernere contrahere matrimonium cum Joanna, nisi ei constet quòd ipsá infallibiliter consentiet, quoniam contractus matrimonii æquè à voluntate utriusque dependet, & ex defectu consensus cujuslibet contrahentium impediri potest: sed futura libera operatio creatæ volun- 352.

tatis à divina & creata voluntate dependet, & defectu cujuslibet impediri potest, nimirum aut divinâ nolente, aut creatâ non consentiente: ergo nequit Deus rationabiliter decernere de futuro eventu libero, sive determinare se ad operandum cum creata voluntate nisi præsciat certò, quòd ista consentiet, & cooperabitur illi: sed, ut fatetur Mastrius *dicta disp.* 3. *q.* 3. *art.*8. *num.* 174. in priori signo ante decretum voluntatis divinæ non præcessit in scientia divina cognitio de condeterminatione creatæ voluntatis, vel præscientia ejusmodi liberæ determinationis creatæ: ergo Deus in tali decreto concomitate, & condeterminatione suæ voluntatis irrationabiliter operabitur & veluti à casu, quoniam non præscivit nec præordinavit voluntatem creatam ad hoc vel ejus oppositum se liberè determinaturam.

353. Conf. 2. nil potest certò cognosci in aliquo, præsertim si contingenter ad illud se habeat, nisi contineatur determinatè & immutabiliter in illo, quod fit dum causa est actu; sicuti Petro sedente, certò cognosco quòd sedet, quia ipso actu sedente necesse est illum esse sedentem: sed determinatio creatæ volútatis actu ab æterno non est, & effectus futurus liber seu contingens contingenter ad creatam voluntatem se habet: ergo nullo modo potest esse causa certæ cognitionis futuri eventus liberi, sed tota causa est determinatio divinæ voluntatis.

354. Hac ratione pressus Mastrius *d. disp.*7. *n.*174. & *seq.* multa congerit ut vim illius subterfugiat, primò namque docet, quòd stante generali decreto Dei de administratione suavi causarum secundarum, præsertim liberarum sinendo eas

motus

motus suos agere, ut ait Augustinus *lib. 7. de civit. Dei cap.* 30. tenetur ex vi illius, tam in decernendo ab æterno effectus futuros, quàm actualiter concurrendo in tempore, ita sese illis accommodare, ut sicut in tempore non efficit nisi effectum illis placitum, ita & ab æterno non decernat in tempore futurum ab eis, nisi quòd eis placuerit, & ad quod in tempore se se ex sua libertate determinabunt: quod quidem præstare nequit decreto antecedente seu prædeterminante, voluntatem creatam ad consensum, quia tunc non decerneret quod creatæ voluntati placet, sed tantùm quod sibi; nam tunc de voluntate creata in decernendo nulla prorsus haberetur ratio. Neque etiam id efficere potest decreto concomitante sumpto ex prævisione & præscientia conditionata futuri consensus creatæ voluntatis ante quodcunque decretum divinum, ut probatum est, inquit, *art.* 4. Et subinde restat quòd solùm fieri possit decreto concomitanti sumpto ex virtuali continentia voluntatis creatæ in divina sicut in primo libero, secundùm omnem suam virtutem, & volendi aut nolendi modum, ratione cujus definire ac determinare potest ab æterno quidquid à causis liberis determinatè futurum est simul cùm eis pro quolibet rerum ordine, perinde ac si se determinarent causæ secundæ, si ab æterno forent simul cum voluntate divina.

Et *num.* 178. ampliùs hanc virtualem conti- 355.
nentiam explicat dicens, non esse sensum, quòd velle nostrum involvat velle Dei, aut mutuò se involvant absque ulla dependentia & subordinatione, itaut inter se coincidant aut con-

veniant, veluti à casu & fortuna, aut quòd voluntas creata ex se habeat quòd coincidat cum velle Dei, priusquam Deus velit eam velle; sed sensus est, quòd determinatio creatæ voluntatis in divino decreto involvitur, quo actus liberos ejusdem decrevit futuros; & ideo nec ordine causalitatis præcedit decretum Dei, nec sequitur, sed illud omnino concomitatur, tanquam in illo virtualiter implicita, cum qua tamen simultate *in quo* stat prioritas *à quo*, ita quòd Deus velit à seipso facere, voluntatem autem creatam cum dependentia ab illo, quòd sufficit ad essentialem subordinationem servandam voluntatis creatæ ad divinam. Dicitur autem hæc concomitantia virtualis, quoniam sicut divina voluntas in ratione primi liberi continet eminenter omnes voluntates creatas non tantùm in ratione entis, sed secundùm illam perfectionem liberè eligendi quodcunque voluerint, ita quoque decretum ejus virtualiter includit determinationem voluntatis creatæ, non solùm quatenus hæc in tempore sequitur ad decretum Dei in æternitate præcedens, sed quatenus tale decrétum Dei præcedens est omnino illi æquivalens & conforme, adeo ut dici possit determinationem voluntatis creatæ seipsam in tempore positam virtualiter præcedere in divino decreto, ratione cujus æquivalentiæ dici debet decretum divinum omnino concomitans.

356. Hæc Mastrii solutio & explicatio vim rationum allatarum nullatenus infringit, & alioquin multa absurda & secum pugnantia involvit. Quod ut pateat singula in ea contenta examinabimus & refellemus. Ait imprimìs quòd

sicut

ſicut Deus in tempore non efficit effectum niſi voluntati creatæ placitum, ita ab æterno non decrevit in tempore futurum ab ea niſi quod ei placuerit, & ad quod in tempore ſe ſe ex ſua libertate determinabit. Quemadmodum jam adnotavimus §. 5. duplicem hæc verba ſenſum efficere atque reddere poſſunt, primus eſt, quòd Deus ad decernendum attendat quid voluntati creatæ placiturum ſit, & ad quod ipſa ſe liberè determinabit ex ſe, & non præſuppoſita efficaci voluntate Dei efficaciter decernente ut velit, & cauſante determinationem creatæ voluntatis ad volendum. Secundus eſt, quòd Deus ab æterno non decreverit in tempore futurum & producendum à voluntate creata niſi quod ei placuerit, liberè nimirum operando, vel ſe determinando liberè ad operandum cooperando Deo in ea & per illam operanti. Et hic ſenſus verus eſt, non enim voluntas creata cogitur à Deo ut operetur, aut nolens aliquid facit; quapropter Deus qui ſinit cauſas ſecundas motus ſuos agere, decernit etiam voluntatem creatam liberè ſe determinaturam ad operandum, liberéque operaturam: tamen operante divina voluntate in ea ut velit, & operetur. Eſt enim ipſa cauſa ſecunda, & Deus decernit ut quatenus talis operetur, & modo conſentaneo cauſæ ſecundæ & naturæ ipſius creatæ voluntatis, ut tali: ſed ex ipſo Scoto cauſæ ſecundæ competit ut operetur ut mota à cauſa ſuperiori, & ut in virtute illius agens, neque eſt contra naturam ejus determinari à cauſa ſuperiori, quia cùm hoc ſtat quòd ſit cauſa in ſuo ordine, ut patet ex locis ſuprà adductis: ergo ab æterno decrevit

Deus

Deus quòd creata voluntas operaretur liberè, liberéque se determinaret ad operandum, sed tamen ut determinata, præventa, motaque ab ipso Deo & ut in virtute illius agens, utpote causa secunda, contra cujus naturam non est, sed illi consentaneum determinari à causa superiori ad agendum, cui in operando est essentialiter subordinata; quia cùm hoc stat quòd sit causa in ordine suo, hoc est, secunda, agens ut mota à Deo, liberè tamen propter omnipotentissimam Dei potestatem & efficacissimam voluntatem in operando, quæ decernit & vult nedum effectum fore, sed & libertatem ejus, ut explicabitur infrà, & docet D. Thom. *quæst*. 19. *art*. 8. & *quæst*. 22. *art*. 4.

557. Primus autem sensus omnino falsus est, quem ubique reprobat D. Augustinus, ut ostendimus suprà, & ampliùs confutatur ex eodem lib. contra duas epist. Pelag. cap. 19. *Vt quid*, ait, *nobis Dominus præcepit, ut oremus pro eis qui nos persequuntur? Nunquid hoc oramus ut eis pro eorum bona voluntate gratia Dei retribuatur, ac non potiùs ut mala in bonum voluntas eorum mutetur? Sicut credimus tunc à Sanctis, quos persequebatur, non inaniter oratum esse pro Saulo, ut ad finem quam vastabat, voluntas ejus converteretur. Et illius quidem conversio desuper facta, manifesto etiam miraculo apparuit. Quàm multi inimici Christi quotidie subitò Dei occulta gratia trahuntur ad Christum! Quod verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset, cùm etiam nunc obluctetur, non mihi, sed illi qui clamat, nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum? Non*

enim

enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Hoc verum esse non conjecturam suspicamur humana, sed evidentissima divinarum Scripturarum auctoritate dignoscimus. Ex quibus ita arguo voluntas Pauli erat vastare fidem Christi, spirans erat minarum & cœdis in discipulos ipsius: ergo cùm Deus ex persequendi voluntate transtulit ipsum ad faciendum voluntatem Christi & amplectendam fidem ejus non fecit quod libebat Paulo, sed quod sibi, convertendo saulum ex persecutore in vas electionis, licèt convertendo fecerit, ut liberè vellet, & exclamaret, *Domine quid me vis facere.* Omnino ergo & simpliciter fatendum est Deum facere quod sibi placet, qui & ex nolentibus volentes facit, & in potestate sua voluntates hominum habet, omnipotentissimamque virtutem ad inclinandum corda etiam inimicorum & persequentium quò voluerit, Audiamus iterum eundem Augustinum lib. soliloq. animæ cap. 26. ubi Deum in fervore mentis alloquens ait: *Priusquam me formares, in utero novisti me, & antequam exirem de vulva quidquid tibi placuit praordinasti de me.* Perpetuò clamat Augustinus, quòd Deus de nobis, nostrisque voluntatibus faciat quidquid sibi placet, & recentiores malè libero arbitrio creato adulantes fingunt Deum facere quod voluntati creatæ libet. *O quàm pessimum nefas*, (aiebat supracitatus D. Fulgentius lib.

de

de incarn. & grat. Jesu Christi cap.29.) *asseritur, dum gratia Dei*, (& summæ illius potestati) *contumaciter repugnatur. Homines opere Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existerent. Ita ne rerum ordo cordi mutari permittitur, ut Deus qui creator est hominum, valeat hominem facere, non mutare; & qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit.*

358. Quapropter jure merito S. Scriptura de omnipotentissima illa divinæ voluntatis potestate verba faciens Proverb. cap. 21. ait: *Sicut divisiones aquarum cor regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud*, vel ut alii ex Hebræo cum M. Malvenda vertunt, *Sicut dispersiones aquarum, rivi, divergia, cor regis in manu Iehova, super omne quod bene complacebit extendet illud, divertet, deflectet.* Sumpta est metaphora ab agricolis sive hortulanis, qui aquæductibus & Sulcis rivos aquarum per hortos, sive agros & prata, quò sibi libuerit & opus fuerit ad irrigandum suaviter & ingeniosè diducunt; haud absimili ratione Deus veluti agricola sicuti dispersiones istas aquarum voluntates hominum, etiam corda regum, quæ minus videntur alterius potestati subdi, suique juris potissimùm esse, in manu & potestate habet, ut de illis faciat, quidquid sibi bene visum fuerit, & eò inclinet, quò sibi complacuerit, suaviter tamen cuncta disponens. Non ergo Deus decernit quod libet creaturæ, sed quod sibi tanquam supremo Domino complacet. Quod & ratio persuadet, nam dominii

actus

actus est præceptum sive imperium efficax & usus rei, cujus dominium habetur, unde anima dicitur dominari vi concupiscibili quatenus imperat illi, viribus autem naturalibus & ipsi corpori utendo illis, ut docet D. Thomas 1. *p.q.96. art.2.* Sed Deus habet supremum dominium supra voluntates creatas & operationes earum: ergo imperat eis, & utitur ipsis, ut vult, quoniam ejus imperium efficacissimum est, & non ut libet ipsis creaturis, modo primo explicato. Quo circa D. Augustinus in Enchirid. cap.98. exclamat: *Quis porro tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cùm facit, per misericordiam facit, cùm non facit, per judicium non facit.* Sed de hoc plura infrà. Ex quibus secundùm Mastrii dictum (nimirum quòd Deus decreto efficaci antecedente fieri non possit, quia tunc non decerneret quod voluntati creatæ placet, sed tantùm quod sibi) manet confutatum. Nam si Deus non facit quod sibi placet, sed quod etiam creaturæ libet, quomodo cujus vult, miseretur, & quem vult indurat? Est ne quispiam cui libeat indurari, & induratum ire in gehennam æternis suppliciis addicendum?

Accedamus jam ad refellendam virtualem illam continentiam creatæ voluntatis in divina voluntate tanquam in primo libero, ratione cujus ipse asserit Deum posse definire atque determinare ab æterno quidquid à causis liberis determinatè futurum est, perinde ac si se determinarent causæ secundæ, si ab æterno forent, simul cum voluntate divina. Hic dicendi mo- 359.

dus

dus impugnatur primò, auctoritate Scoti suprà §.6.n.340.adducta ex 1.dist.39.ubi de futuris cōtingentibus & cognitione, quam de illis habet Deus, loquens ait: *Tunc autem* (scilicet in primo instanti rationis) *non sunt vera contingentia, quia nihil est tunc per quod habeant determinatam veritatem. Positâ autem determinatione voluntatis divinæ jam sunt vera, videlicet pro illo secundo instanti, & hoc idem erit ratio intellectui divino intelligendi ista, quæ sunt jam vera in secundo instanti, & fuissent cognita in primo instanti, si fuissent in primo instanti.* Ex quibus ita arguo: in primo instanti virtualiter continetur in primo libero creata voluntas operatura, vel non? Si primum dicatur; ergo virtualis illa continentia non sufficit, ut Deus possit certò definire atque determinare ab æterno quidquid ab ea determinatè futurum est. Conseq. prob. voluntas creata operatura est contingenter in tempore, utpote ad utrumlibet se habens: sed nullum contingens futurum pro illo priori signo habet determinatam veritatem, sicuti neque determinatum esse, ex ipso Scoto: ergo Deus ratione illius continentiæ virtualis creatæ voluntatis in divina tanquam in primo libero non potest definire & determinare de futuro eventu, vel illum certò & determinatè cognoscere. Quoniam nihil certò cognoscitur, nisi prout determinatam habet veritatem & esse: quam non habet futura voluntas & operatio illius pro primo signo. Si autem dicatur secundum, ergo virtualis continentia creatæ voluntatis est in ipsa voluntate determinante de futuro eventu, ratione cujus determinationis habet determinatam veritatem futurus even-

tus,

tus, vel consensus & & determinatio futura creatæ voluntatis ad operandum; & subindè pro illo secundo signo potest jam certò cognosci à Deo, ut docet subtilis Doctor: sed cùm aliquid in alio virtualiter continetur tunc continetur in eo sicut in causa, contineri enim virtualiter est contineri in virtute activa ipsius, sicuti floritio arboris, vel calefactio dicitur virtualiter contineri in sole, quoniam virtus activa solis se extendit ad hujusmodi effectus producendos: ergo determinatio futura creatæ voluntatis continetur in determinatione voluntatis divinæ quam ab æterno habuit tanquam in causa: ergo illa determinatio, nedum duratione, sed etiam causalitate est antecedens, & prædeterminans voluntatem creatam ad operandum.

Conf. cognitio illa Dei est scientifica: ergo est cognitio rei per suam causam: sed ex Scoto determinatio voluntatis divinæ est causa cur futurum contingens, sicuti est futura determinatio liberæ voluntatis ad operandum in tempore, cognoscatur certò & scientificè à divino intellectu: ergo determinatio divinæ voluntatis se debet habere ut causa futuræ determinationis liberæ creatæ voluntatis: sed omnis causa ordine causalitatis præcedit suum effectum: ergo illa determinatio seu decretum divinæ voluntatis erit antecedens & prædeterminans voluntatem creatam ad operandum. 360.

Secundò impugnatur, nam ut docet D. Thomas *quæst.17. de verit. art.7.* aliqua perfectio potest contineri in sua causa effectiva dupliciter, nimirum secundùm esse naturale, quo pacto calor in igne continetur; & secundùm suum esse 361.

esse spirituale seu intelligibile, sicuti forma domus in mente artificis, ubi non est ut natura quædam & tanquam virtus calefactiva seu calor in igne, sed ut quædam intentio seu forma intelligibilis; & utroque modo rerum omnium perfectiones in Deo existunt, secundùm esse naturale nimirum licèt non secundùm eandem rationem, quoniam continentur in eo ut in causa æquivoca: & secundùm esse intelligibile, quoniam habet rationes omnium rerum tam earum quæ sunt, quæ fuerunt, aut erunt, quàm etiam earum quæ possunt esse, sed nunquam erunt, aliàs non cognosceret; ex eo enim aliquid ab aliquo cognoscitur quod ratio ejus est ex intellectu ipsius. Modò quæro, utrùm creata voluntas & determinatio futura illius ad operandum dicatur contineri virtualiter in divina tanquam in primo libero, vel secundùm esse naturale solùm, vel etiam intelligibiliter ac spiritualiter? Si primum dicatur, tunc sic arguo: primò quidquid secundùm suum esse naturale est in Deo est ipsemet Deus, quo pacto D. Anselmus dixit quòd creaturæ prout in Deo sunt ipsamet creatrix essentia, & subinde cognoscitur cognitâ essentiâ seu potentiâ & bonitate Dei antecedenter ad quodlibet decretum divinæ voluntatis per scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus seipsum, & quidquid in se est, comprehensivè cognoscit: ergo pro primo signo rationis antecedenter ad determinationem divinæ voluntatis jam cognoscitur certò futura voluntas creata, & determinatio illius libera in tempore facienda, quod est contra Scotum, neque id potest concedere Mastrius, alioquin concedere tenebitur, quòd præscientia

futuri

futuri eventus divinæ voluntatis determinationem præcedat, quod ipse mordicùs negat. Secundò, quia continentia virtualis ante decretum divinæ voluntatis solùm facit rem esse possibilem, & non futuram; si enim ante hujusmodi decretum & determinationem liberæ voluntatis divinæ futura esset, necessariò futura esset, & per scientiã simplicis intelligentiæ certò cognosceretur, quia quidquid liberum divinæ voluntatis decretum antecedit, necessarium est, & ab hujusmodi scientia cognitum: Ergo per illam continentiam virtualem, quatenus concipitur determinationem divinæ voluntatis præcedere in signo aliquo rationis, non potest Deus definire ac determinare ab æterno quidquid à causis liberis determinatè futurũ, est quoniam pro illo rationis signo nil omnino futurum est. Quod si illa virtualis continentia ex determinatione divinæ voluntatis, & in ea habeatur, ipsa erit causa cujuslibet eventus futuri, & subinde etiam determinationis liberæ creatæ voluntatis, quoniã & hæc in tempore futura est.

Conf. per continentiam virtualem res non sunt determinatæ ad esse pro aliqua temporis differentia habendam: Ergo neque ad veritatem quæ sequitur ad ipsum esse: Ergo ratione continentiæ virtualis non potest Deus definire ac determinare de futuro eventu secundùm omnem modum & rationem illius. Antecedens prob. antequam se Deus determinaret ad productionem creaturarum, jam istæ in Deo virtualiter continebantur, nimirum in ejus potentia & bonitate, aliàs non potuisset eas producere, seu velle producere: Sed pro illo signo non magis erant determinatæ ad essendum pro aliqua tem- 362.

poris differentiâ, quàm ad non eſſendum, cùm potuerint non eſſe: Ergo per continentiam virtualem res non ſunt determinatæ ad eſſe pro aliqua temporis differentia habendam.

363. Supereſt ergo dicendum, quòd futurus eventus contineatur virtualiter in divina voluntate ſpiritualiter, & intelligibiliter, mediante Ordinatione practicâ ipſius intellectus: quod prob. nam Deus in quocunque opere ad extra eſt agens, non quidem naturale, ſed ex propoſito & cum ratione, ſecundùm illud Apoſtoli ad Epheſ. c. 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*: Sed omne agens ex propoſito, & ordinans de rebus neceſſariò debet habere cognitionem operis ſui apud ſe; & determinatè ſe habere ad effectum producendum, quando illum efficaciter intendit; ut patet in artifice creato v. g. domificatore, qui habet formam domus in mente ſua, & per voluntatem ſuam determinatur ad operandum illam: Ergo ut futurus eventus contineatur virtualiter in divina voluntate per modum intelligibilem debet contineri in divina cognitione & voluntate practicè ordinante de illo, & cauſante determinationem ad eſſendum: Ergo cùm determinatio libera creatæ voluntatis ſit quid futurum, & facienda in virtute primi liberi, debet præcedere cognitio practica illius in Deo & determinatio voluntatis ad eſſe tanquam cauſa: & ſubinde voluntatis divinæ determinatio eſt conjuncta cum præſcientia & cognitione infallibili futuri eventus ut cauſa ipſius.

364. Ex his facilè diſſolvetur Maſtrii ratio nimirum: Voluntas divina eſt infinita & eminenter continens voluntatem creatam ſecundùm omnem

omnem ejus inclinationem: Ergo cùm ab intellectu divino fuerint divinæ voluntati oblati omnes rerum ordines, cum quibus ipsa poni potest voluntas creata, ipsa ex vi talis eminentiæ poterit se conformare seu coïncidere cum voluntate creata, ac si illam expectasset, aut decretum illius seu futuram inclinationem cognovisset. Conseq. prob Ex quo Deus est primùm efficiens continens eminenter omnium causarum secundarum effectrices rationes non minùs sine illis quàm cum illis earum effectus producere potest, & cum eadem perfectione: Ergo etiam divina voluntas infinita in genere potentiæ volitivæ liberæ potest ab æterno omnes effectus futuros etiam liberos velle, coincidendo prorsus in eandem determinationem. Neque hoc in imperfectionem redundat, quoniam & in nobis perfectioni ingenii tribuitur, quòd unus interdum in prudentem determinationem alterius incidat nulla existente in illo præscientia & pro notione hujusmodi determinationis.

Conf. ex D. August. *lib. de corrept. & grat. c.* 14. Ubi ratione infinitatis divinæ voluntatis ostendit Deum velle posse quidquid nos volumus, & quidquid ipse vult, quia magis habet voluntates hominum in sua potestate, quàm ipsi suas. Quod probat ex electione tum Saülis cùm Davdis in regem: *Qui tamen*, inquit S. D, *hoc non fecit* (nimirum subdere Israëlitas Saüli) *nisi per ipsorum hominum voluntates sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Et postèà loquens de electione David in Regem *nunquid*, ait, *cooporalibus ullis vinculis alligavit? Eos voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est,* 365.

traxit. Si ergo cùm voluerit Deus reges in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipse suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio? Non, inquam, hoc reducit in efficaciam divinæ voluntatis quasi nos prædeterminet ad volendum quod ipse vult, sed in infinitatem potentiæ volitivæ, ratione cujus habet omnimodam potestatem inclinandi nostras voluntates, inquam nobis & sibi libuerit partem, & ratione cujus magis habet in potestate sua voluntates hominum quàm ipsi suas: sed sic est quòd nos ipsi ita habemus in nostra potestate voluntates nostras ut seu eas determinare possimus quidquid nobis placet ut ait Augustinus lib. 3. de libero arbit. cap. 3. *Nibil magis est in nostra potestate, quàm ipsa voluntas:* Ergo sic etiá & tantò magis potest determinare Deus ab æterno absq; ullo nostræ libertatis detriméto. Rursus hanc decretorum concomitantiam insinuat idem S.Aug.l.1.ad Simpl.q.2.cùm ait, *Deus ut velimus & suũ esse voluit & nostrum.*

366. Resp. ad 1. dist. antec. voluntas divina est infinita & eminenter continens voluntatem creatam secundùm omnem ejus inclinationem, continentia naturali duntaxat, nego: continentia intelligibili, & per modum agentis intellectualis seu ex proposito, concedo antec. & nego conseq. Ad prob. transeat anteced. & dist. consequens: potest ab æterno omnes effectus futuros liberos velle præfiniendo illos efficaciter, & sic coincidendo in eandem determinationem ut præfinitam à se, concedo consequent. absque tali præfinitione, nego conseq. Quoniam sic vellet & operaretur à casu, ut probatum est suprà. Quod in maximam illius imperfectionem refundere

refunderetur. Neque hoc in nobis perfectioni tribuitur, quòd caſu in eandem ſententiam incidamus, ſed quòd ex principiis rectis operabilium prudenti judicio eandem concluſionem deducamus, unde ſi in ſententiam imprudentem coëant aliqui caſu vitio eis tribuitur.

Ad conf. reſp. quòd equidem D. Auguſtinus ait Deum magis habere in poteſtate voluntates hominum quàm ipſe ſuas habent, ratione infinitatis divinæ voluntatis non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in operando, ratione cujus facit quidquid ſibi placet de voluntatibus ipſis, & non quod nobis libet, niſi quatenus faciendo nos velle facit ut liberè velimus, ſicut explicatum eſt ſuprà: potuitque determinare ab æterno abſque noſtræ libertatis præjudicio, quidquid ſibi benè viſum fuit, præfiniendo actus noſtros liberos, ſed non coincidendo, ut vult Maſtrius, vel ficto illo decreto purè concomitanti. Neque hancce decretorum concomitantiam ullo pacto inſinuat Auguſtinus, ſed quam explicuimus ſuprà. 367.

CAPUT XIII.

Vtrum Deus futura contingentia abſoluta in decreto efficaci præfinitivo ſuæ divinæ voluntatis certò & infallibiliter cognoſcat.

§. 1.

Quibuſdam prænotatis ſtabilitur veritas.

DIximus ſuprà ex D. Thoma *q. 16. de malo art.* 7. dupliciter futura contingentia co- 368.

gnosci posse: Uno modo in seipsis, vel prout sunt in actu suo: quo pacto certò & infallibiliter à Deo cognoscuntur in mensura æternitatis, sicuti nos fusè probatum reliquimus suprà *cap.* 5. Alio modo cognosci possunt in causis suis; quo modo cognoscere futura, est cognoscere præsentem inclinationem sive ordinem causæ ad effectus illos futuros, *cognoscere*, inquit, *futurum in causa sua nihil aliud est quam cognoscere præsentem inclinationem causæ ad effectum. Unde hoc non est propriè cognoscere futurum sed præsens.* Et quoniam multæ sunt causæ contingentes, quæ impediri possunt, nec dicunt infallibilem ordinem ad suos effectus contingenter ab eis provenientes, difficultas est, utrum Deus certam de illis cognitionem habere possit in sua essentia, tanquam in causa universali ipsorum, & unde proveniat primò & per se certitudo illius cognitionis in Deo.

368. Revocanda sunt in memoriam quæ diximus suprà, *art.* 6. *cap.* 2. nimirum quòd in cognitione divina ipsa essentia Dei, ut est similitudo omnium rerum, nedum habet rationem medii sub quo seu luminis vel medii quo sive speciei intelligibilis, ratione cujus de singulis rebus propriam cognitionem efficere potest, sed etiam medii in quo; quoniam in ea tanquam in causa priùs cognita Deus quoslibet intuetur effectus. Essentia autem Dei est causa adæquata rerum & in actu secundo productiva ipsarum proximè, quatenus habet rationem potentiæ agentis, quæ cùm sit liberum operandi principium præsupponit intellectum ut dirigentem, & voluntatem ut decernentem sive operantem opus, quemadmo

quemadmodum fusè explicatur infrà *q. 19. a. 4.* intellectus enim primò concipit formam seu ideam operis, voluntas decernit opus conceptum executioni demandare, & potentiâ exequitur illud. Unde causa adæquata in qua Deus cognoscit futura contingentia, & quælibet alia est divina potentia ut directa per intellectum, & per voluntatem determinata ad opus. Et ita intelligendus venit S. D. cùm 1. *contra gent. cap.* 68. ait: *Ea quæ sunt præsentia, præterita, vel futura nobis cognoscit Deus, secundùm quod sunt in potentia sua.* Quod intelligendum est de cognitione certa; cùm alia in Deo non sit. Igitur in præsenti inquirimus à quo tanquam à prima radice certitudo & infallibilitas cognitionis divinæ de futuris contingentibus proveniat, tum scil. à decreto & determinatione divinæ voluntatis præfinientis, ac prædeterminantis opus, seu imperantis illud, ac decernentis vel aliunde? Namque certum est, quòd rationem operis præscribat intellectus, & in idea ejus ceu ratione cognita opus faciendum intueatur. Sed ex hac parte certitudinem de opere faciendo, & executioni demandando non habet, cùm de rebus quæ nunquam erunt ideæ etiam esse possint. Potentia similiter non est determinata, sed ad infinita illius virtus se extendit. Quapropter tota difficultas reducitur ad voluntatem decernentem opus, vel ad aliquid extrinsecum.

Conclusio, Deus futura contingentia certò & infallibiliter cognoscit in sua essentia prius visâ & cognita tanquam in causa, prout habet rationem ideæ, & potentiæ activæ ut determinatæ per voluntatem, itaut prima radix certi- 369.

tudinis illius cognitionis, sit ipsum decretum præfinitivum ipsius divinæ voluntatis. Unde simpliciter asserendum est, quòd ea certò & infallibiliter cognoscat in ejusmodi constitutione & decreto, seu prædeterminatione divinæ voluntatis, ut importat ideam ceu rationem operis, & potentiam executivam, & actum voluntatis determinantem utramque ultimò ad opus, seu imperantem ac decernentem efficaciter illud.

370. Prima pars, videlicet quòd ea cognoscat in seipso, seu in essentia sua priùs visa tanquam in causa, sumitur ex D. Hilario lib. 9. de Trinit. ubi Arianos redarguens Christum nescientiæ & ignorationis accusantes, quòd nimirum diem judicii nesciret, ita ratiocinatur: *An credibile esse potest, ut aliquid ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt, atque erunt auctor est? Si enim omnia per Christum & in Christo, & ita per ipsum ut omnia in ipso sint, id quod neque extra eum, neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia ejus sit; cum plerumque scientia ea etiam, quæ neque in se neque per se sint, per virtutem naturæ non nescia apprehendat? At verò quòd causam nisi ex eo non sumit, & motum ad id quod est eritque, nisi intra se non capit, quomodo extra ejus naturæ scientiam est, per quam & in qua id quod efficiendum sit continetur.* q. d. Qui cognoscit causam, in ea priùs visa & cognita intuetur effectus illius: Sed quæcumque sunt, etiam motus & operationes, à Christo & per Christum sunt tanquam per causam: ergo cùm ipse se perfectissimè cognoscat, quæcunque alia etiam in seipso tanquam in causa cognoscit, ac subinde ipsum judicii diem.

Id ipsum apertè docet D. Thomas in 1. *d.* 38. 371.
q. 1. *art.* 5. dicens : *Intellectus divinus ab æterno intuetur unum quodque contingentium, non solùm prout est in causis suis, sed prout est in suo esse determinato.* Et quoniam causæ proximæ contingentium non sunt ad unum determinatæ, oriri poterat difficultas quomodo cognitio Dei de illis certa esse posset, idcirco statim subdit : *Deus ab æterno non solùm vidit ordinem sui ad rem, ex cujus potestate erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur.* Quibus verbis utrumque modum cognoscendi futura exprimit, nimirum in seipso seu in potentia sua activa ut determinata per intellectum & voluntatem ad futuritionem eorum : & in mensura æternitatis, quo pacto illa intuetur, ut habent esse in esse suo.

Prob. ratione hæc prima pars : Deus de fu- 372.
turis contingentibus perfectam habet scientiam, & propriè dictam: sed ad hanc non sufficit quòd sit certa & infallibilis cognitio, sed causam ulteriùs desideratur ut sit rei scitæ per suam necessariam : ergo requiritur quòd in Deo ab æterno sit cognitio certa futurorum contingentium per causam necessariam & infallibilem : sed cognitio, quæ de futuris contingentibus habetur præcisè, quatenus ab æterno Deus ipsa intuetur ut sunt in actu essendi, sive prout sunt sibi physicè coëxistentia in mensura æternitatis, est quidem certa & intuitiva rei, non tamen est cognitio illius per suam causam, præcisè ut talis est ; quemadmodum neque dum video sortem actu sedere, vel currere est cognitio sessionis vel cursus per causam, esto certa atque necessaria sit : ergo præter illum modum, quo Deus futura contingentia ab æterno in mensura

æternita

æternitatis intuetur, necessarium est alium modum assignari, quo illa ab æterno cognoscat per causam infallibilem & necessariam. Minor patet, nam cognitio principiorum est certa & infallibilis, nec tamen est scientia propriè dicta sed contra illam dividitur, ut sumitur ex D. Th. 1. *Poster. Lect.* 7.

373. Quapropter idem S. D. hunc modum apertè tradit. quæst. 2. de verit. art. 12. in sed contra 6, dicens: *Scire est rem per causam cognoscere: sed Deus scit omnium contingentium causas; scit enim eipsum, qui est causa omnium: ergo ipse scit contingentia.* Et lib. 1. Sent. ad Annibald. dist. 38. q. 2. art. 1. *Deus scit res inquantùm est causa rerum: sed est causa non solùm necessariorum, sed etiam contingentium: ergo ipse scit non solùm necessariorum, sed etiam contingentium: ergo ipse scit non solùm necessaria futura, sed etiam contingentia.* Eadem habet lib. 1. cont. gent. cap. 66. & 67. ubi ita scribit: *Divina cognitio est causa rerum contingentium: nihil igitur prohibet ea in se contingentia esse de quibus Deus necessariam scientiam habet.* Et cap. 68. *Deus cognoscendo essentiam suam alia cognoscit, sicut per cognitionem causæ cognoscuntur effectus: omnia igitur cognoscit essentiam suam cognoscendo ad quæ sua causalitas extenditur.* Ex quibus manet probata conclusio quoad 2. part. videlicet quòd noscat illa in essentia sua priùs visa tanquam in causa, prout habet rationē ideæ, & potentiæ activæ determinatæ per voluntatem: quoniam omnis effectus cognoscitur in virtute suæ causæ: sed essentia divina causat ipsa res quatenus habet rationem causæ exemplaris & potentiæ activæ determinatæ per voluntatem, cùm sit agens liberum: ergo futura

futura contingentia ceù effectus suos certò cognoscit in essentia ut habet rationem ideæ & potentiæ activæ determinatæ per voluntatem ad productionem illorum.

Quoad tertiam autem partem prob. primò ex D. Augustino lib. 26. contra Faustum cap. 4. ubi ait : *Illud sanè scimùs hoc de illo* (nimirum Helia) *factum quod Dei voluntas habet ; fieri de quoquam omnino non posse. Proinde si mihi dicatur posse fieri ut caro v. g. hujus vel illius hominis in corpus cœleste mutetur , concedo fieri posse , sed utrum futurum sit nescio. Et ideo nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas , me latet :* Ergo secundùm S. D. si quis sciret quid de futuro habeat divina voluntas , illud nosceret , & subinde hæc est Deo causa cognoscendi futurum qui perfectissimè noscit , quid de illo sua habeat voluntas. Quam etiam rationem insinuat D. Thomas in 1. *dist.* 45. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 5. ubi ad ostendendum quòd sive voluntas Dei sit causa sufficiens omnium rerum , & ex causa sufficienti possint res demonstrativè sciri , tamen nobis viatoribus non est sufficiens medium ad sciendum omnia , ait : *Præcipuè cùm voluntatem ejus non plenè cognoscamus, ut in ea propriam rei rationem videamus , sicut ipse Deus videt , qui in se omnia cognoscit.* 374.

Præterea idem S. D. Augustinus *lib. de prædest. Sanct. cap.* 10. differentiam inter prædestinationem & gratiam assignans ait : *Prædestinatio est gratiæ præparatio , gratia verò jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus : Non ex operibus , ne fortè quis extollatur ; ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis , gratia est.* 375.

Quod

Quod autem sequitur: Quæ preparavit Deus ut in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictum est, fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata. Vocat S. D. Prædestinationem gratiæ præparationem, & eam in illis Apostoli verbis, *Quæ præparavit*, intellectam agnoscit. Quod quidem intelligi debet non de præparatione materiæ, quâ præparatur ac disponitur ad ipsam formam suscipiendam; sed de præparatione agentis, qualis est in artifice secundùm quòd concipit formam operis & illud operari intendit, quemadmodum adnotavit D. Thomas in 1. dist. 40. q. 2. ad 2. dicens: *Quædam est præparatio agentis ut sit agens, quæ est in artifice secundùm quod concipit formam artificiali, & proponit eam exequi in opere, & talis præparatio est in Deo etiam respectu futurorum.* Quapropter præparationis vox in definitione prædestinationis propositum sive prædefinitionem divinæ voluntatis nominat, ut docet idem S. D. ibid. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 2. his verbis: *Præparatio, quæ ponitur in definitione prædestinationis intelligitur secundùm propositum divinæ voluntatis*: Ergo idem est dicere, quòd Deus prædestinatione præscivit ea, quæ fuerat facturus, atqui dicere, quòd Deus prædeffinitione atque decreto prædirigente atque prædeterminante futura præscivit, subinde præscientia infallibilis futurorum fundatur in decreto efficaci divinæ voluntatis; non autem decretum in ipsa præscientia.

Quapro

Quapropter idem S. D. lib. de bono perſeve. cap. 17. ita concludit : *Hæc, inquam, Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo : præſciuntur autem : hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus :* Igitur prædeſtinatio, ſeu præconſtitutio, & præordinatio divinæ voluntatis de futuris eſt cauſa cur à Deo præſciantur, ſeu infallibiliter prævideantur. Conſeq. prob. id quo poſito ponitur res, & ablato aufertur, cauſa rei cenſetur : ſed poſitâ ejuſmodi prædeſtinatione & præordinatione divinæ voluntatis de futuris ipſa præſciuntur, *Prædeſtinatione quippe Deus*, inquit Auguſtinus ubi ſuprà, *præſcivit quæ erat ipſe facturus*, & ipſâ ablatâ non præſciuntur, *Si nulla eſt*, ait, *prædeſtinatio, non præſciuntur à Deo* : Ergo præconſtitutio illa ſive præordinatio & prædeſtinatio eſt cauſa cur à Deo ſciantur. Unde ibidem ſæpe repetit, *Si Deus bona opera præſcivit, profectò prædeſtinavit, quæ verò non prædeſtinavit bona, non præſcivit* ; præſertim verò cap. 18 *Sine dubio*, inquit, *præſcivit, ſi prædeſtinavit ; ſed prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.* 376.

Hinc etiam idem S. D. cit. lib. de prædeſt. cap. 9. explicans ea verba quæ dixerat quæſt. 2. ad Simplician. videlicet, *Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*, Quibus verbis propoſitum ſive decretum divinæ voluntatis præſcientiæ innixum ſtabilire videbatur, hæc ſcribit : *Cernitis me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere* 377.

sufficere videretur. Sed utrùm prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præsciverit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac disserere tunc necessarium non putavi. Ubi particula, *prædestinaverit*, idem sonat, atqui præordinaverit, prædefinierit, & præconstituerit efficaciter dare illis ut crederent, sicuti ex antecedentibus verbis constat, & nos ostendimus suprà *cap.* 12. §. 1. Ergo prædestinatione Deum præscire aliqua à se agenda, idem sonat atqui præscire in decreto, prædeffinitione, præordinatione, & præconstitutione suæ divinæ voluntatis. Eandem veritatem expressè docet D. Hilarius lib. 9. de Trinit. (relatus à P. Gonet) dum ait : *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit :* Decrevit autem omnia futura etiam libera facere; quia, ut ibidem docet, *per ipsum est constitutio futurorum :* Ergo illæ in decreto seu determinatione efficaci suæ divinæ voluntatis certò prævidit.

378. Eandem veritatem tradit D. Thomas lib. 1. contra gent. cap. 68. *Deus*, inquit, *non solùm cognoscit res secundùm quòd in seipsis sunt, sed etiam secundùm quòd sunt in causis suis, cognoscit enim ordinem causæ ad suum effectum : sed artificialia sunt in artificibus per intellectum & voluntatem artificum, sicut res naturales sunt in causis suis, per virtutes causarum; sicut enim res naturales assimilant sibi suos effectus per suas virtutes activas, ita artifex per intellectum inducit formam artificiati, per quam assimilatur suæ arti; & similis est ratio de omnibus quæ à proposito aguntur : scit igitur Deus & cogitationes & voluntates*, hoc est, actus liberos voluntatis seu volitiones :

sunt

sunt autem artificialia in artificibus per suas ideas ut habent adjunctam voluntatis determinationem, & ad ea quæ erunt producenda determinantur ex proposito divinæ voluntatis, ut expressè docet idem S. D. *quæst. 3. de verit. art. 6.* & nos suprà *cap. 11.* fusè probatum reliquimus: ergo futura contingentia etiam libera habent, quòd certò cognoscantur à Deo in suis causis ex determinatione ac decreto efficaci prædefiniente ipsius divinæ voluntatis. Et quoniam hoc videbatur præjudicium libertati creatæ & actionum liberæ voluntatis afferre, S. D. subjungit: *Dominium quod habet voluntas suprà suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem naturalem virtutis ad unum, & violentiam exterioris causæ agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse & operari: & sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus seipsum cognoscendo hujusmodi cognoscere possit;* seipsum, inquam, cognoscendo ut causam earum; est autem causa rerum per determinationem suæ voluntatis, & in hac completur ratio causæ, ut docet idem S. D. in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1. & dist. 45. art. 3. ergo Deus certò & infallibiliter prævidet futura contingentia in decreto suæ divinæ voluntatis.

§. 2.

Probatur hæc conclusio quoad tertiam illius partem ratione.

SEcundò prob. concl. ratione quoad tertiam ejus partem: Ab illo habet futurum certò 379.
&

& infallibiliter cognoſci in ſua cauſa, à quo habet determinatum & infallibilem ordinem ad ſui productionem, vel ad exiſtendum pro aliqua temporis differentia, ſeu ex quo infallibiliter ſequitur tanquam ex cauſa, ut docet D. Thom. in 1. d. 38. quæſt. 1. art. 5. ſupracit. & quæſt. 16. de malo art. 7. c. Sed res à determinatione & decreto efficaci divinæ voluntatis habet, quòd ſit ſimpliciter, & infallibiliter futura, itaut impediri non poſſit: ergo ex ejuſmodi decreto primo & per ſe habet quod à Deo in ſeipſo tanquam in cauſa cognoſci & prævideri certò & infallibiliter poſſit. Minor. prob. 1. ex D. Auguſt. cit. lib. 26. contra Fauſt. cap. 4. ubi poſt ſupracitata §. præced. verba, ſubjungit: *Illud me tamen non latet ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet*, hoc eſt, decernit & approbat, ut eſt illud Virgilii Æneid.

Hoc habet, hoc melior magnis data victima divis.

Et prudentius.

Hoc habet, exclamat victrix Regina:

380. Deinde prob. ex D. Thoma 1. p. q. 16. art. 7. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quòd illud quod nunc eſt, ideo futurum fuit, antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat ut fieret. Vnde ſublatâ causâ non eſſet futurum illud fieri: ſola autem prima cauſa eſt æterna unde non ſequitur quòd ea quæ ſunt, ſemper verum fuit ea eſſe futura, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit ut eſſent futura:* ſed non fuit ut eſſet aliquid determinatè futurum in cauſa prima niſi ratione voluntatis divinæ efficaciter decernentis illud fore, ſeu futuritionem illius: ergo futura habent quòd ſimpliciter & infallibiliter futura ſint ex decreto & determinatione efficaci

efficaci divinæ voluntatis ita constituentis. Minor prob. licèt Deus per viam exemplaritatis secundùm omnia sua attributa rerum causa dicatur, tamen secundùm ordinem attributi ad objectum voluntas, scientia & potentia, vel quæ ad hæc spectant, earum causa dicuntur, sicuti docet idem S.D. *quæst.5. de verit. art.1. ad 7.* sed res ab ipsa scientia vel potentia absolutè sumptis non habet quòd sit determinatè & infallibiliter futura: ergo illud habet à determinatione voluntatis efficaciter decernentis illam fore, & intantùm scientia aut potentia sunt causa futurorum, inquantùm habent adjunctam ejusmodi divinæ voluntatis determinationem. Minor prob. ex eodem S. D. in 1.dist.45. quæst.1. art.3. cap. ubi ait: *Opus determinatum non progreditur nisi à determinato agente: Potentia autem Dei cùm sit infinita non magis determinatur ad hoc quàm ad illud: Unde oportet quòd supra rationem potentiæ sit aliquid aliud per quod opus determinetur: Similiter scientia se habet ad opposita, est enim & bonorum & malorum: ideo oportet adhuc aliquid addere, in quo perficiatur ratio causæ: & hoc est voluntas, quæ determinatè accipit unum ex duobus quæ scit, vel quæ potest. Unde perfecta ratio causalitatis in his, quæ non agunt ex necessitate naturæ, invenitur primò in voluntate, ut dicit Philosophus in 9. Metaphys. text.3. Et hoc convenit voluntati inquantùm objectum ejus est finis, qui est causa causarum, & à quo sumitur determinatio operis, ut patet ex 2. Phys. text. 31. Et ideo voluntati divinæ ascribitur causalitas rerum.* Quod & conformat ibidem Philosopho *lib.6. Metaphys.text.* 1.ubi docet quòd omnium artificiatorum principium est voluntas

artificis, quantumcunque enim sciat artifex opus facere, & possit, tamen nunquam fiet nisi, ad operandum à voluntate imperante determinetur & applicetur ad opus, nec simpliciter censetur illud opus futurum, nisi intendat efficaciter & immutabiliter illud facere: sed omnia creata procedunt à Deo tanquam artificiata ab artifice, ut communiter asserunt Sancti Patres, & Theologi? ergo principium eorum est voluntas divina; nec simpliciter futura esse possunt, nisi inquantùm ipsa Dei voluntas est immutabiliter determinata ad productionem illorum pro aliqua temporis differentia subsequenti.

381. Prob. 3. eadem minor ex D. Thom. cit 1. p. q.16. art.7. à causa activa quæ actu non est, non potest habere effectus, quod sit simpliciter & inimpedibiliter futurus: sed nulla causa creata & proxima sine naturalis sive necessaria ipsius futuri ab æterno est actu & in seipsa, quia nihil est æternum præter Deum: ergo ab æterno non potest res habere quòd sit certò futura à suis causis proximis secundùm se sumptis, & subinde illud habebit duntaxat primò & per se à determinatione divinæ voluntatis, quæ sola æterna est. Major prob. causa activa, quæ actu non est, non potest actu fundare ordinem certum & infallibilem ad productionem rei, vel ad dandam illi existentiam in re pro aliqua temporis differentia: sed aliquid duntaxat est futurum in causa, per hoc quod ipsa est actu ordinata ad productionem illius, quemadmodum ex D. Thoma fusè probavimus suprà *cap.* 1. ergo à causa activa quæ actu non est, non potest habere effectus quod sit simpliciter & inimpedibiliter futurus.

Conf. 1. ex D. Thom. *cit. dist.* 45. res determinatè & simpliciter futura est quodammodo in statu medio inter statum rei intra cancellos puræ possibilitatis contentæ, & statum rei actu existentis; sed res merè possibilis non dicit determinatum ordinem ad sui productionem, vel ad habendam actu existentiam pro aliqua temporis differentia; res autem actu existens jam est in actu existendi determinatè: ergo res futura debet actu esse determinata in causa ad existendum; seu causa illa, in cujus virtute activa continetur, debet dicere actu determinatum ordinem & inclinationem ad productionem illius, quod etiam docet D. Thomas *quæst.* 2. *de verit. art.* 12. *ad* 7. & *q.* 12. *à* 10. & 11. Sed determinatio ad opus seu ad productionem rei primò & per se non potest esse nisi à voluntate divina: ergo hæc primò & per se atque simpliciter est causa futuritionis rei. Prob. min. in agentibus sine causis voluntariis determinatio operis est ex fine, unde agens respiciens superiorem finem & ultimum habet primò determinare & regulare opus, & cæteris præscribere productionem ejus & modum accommodum ad finem; sed voluntas divina respicit bonitatem suam, propter quam omnia operatur, tanquam finem ultimum simpliciter: ergo determinatio ad opus sive productionem rei primò & per se debet desumi à determinatione efficaci divinæ voluntatis, & ipsa habet primò determinare opus, præscribere operandi regulas, & inferioribus causis imperare operationem ejus atque modum accommodum ad finem consequendum, quod facit adaptando causas necessarias ad naturales effectus produ- 382.

cendos, contingentes verò ad eliciendos effectus contingentes. Major declaratur, finis est causa causarum & gratiâ illius fit quidquid fit: hinc est quod in omnibus quæ sunt ad finem materia determinatur secundùm exigentiam finis; ut patet *ex 2. lib. Phys.tract.*88.& docet D. Thomas *quæst. 12. de verit. art.2. c.* Unde materia navis non sunt lapides, quoniam non sunt consentanei ad navigationis finem. Similiter & forma est secundùm exigentiam finis, & agens introducit formam fini convenientem; v. g. navifactor introducit formam & dispositionem in navi congruentem ad dictum navigationis finem; & architectus determinans de navi facienda, præscribit regulas, imperat dolantibus ligna, & compaginantibus, productionem navis prout ad finem navigationis expedit: atque Rex respiciens bonum commune totius regni cœteris omnibus sibi subordinatis imperat prout ad illum finem spectat & indicat conveniens.

383. Conf. 2. res secundùm triplicem causalitatis modum in Deo continentur, in omnipotentia quidem ejus tanquam in virtute activa seu efficiente; in ideis ut causa exemplari; & in bonitate ejus ut causa finali, & à nulla ex his secundùm se sumpta habet res quod simpliciter & determinatè futura fit: non quidem ab omnipotentia & bonitate, quoniam, si ita esset, res omnes possibiles quæ in Dei omnipotentia & bonitate illius continentur, (in quantum potest omnia possibilia, & bonitas ejus aliis innumeris modis communicari potest, quibus ad extra non est communicata, neque communicabitur unquam) essent simpliciter futuræ,

futuræ, quod est absurdum: sed neque ab ipsa idea secundùm se sumptâ, quoniam sicuti artifices creati multarum rerum ideas habent, quas nunquam producent, neque futuræ sunt, ita & Deus habet etiam omnium quæ cognoscit & facere potest, ideas, licèt nunquam futuræ sint, ut docet D. Thomas *quæst. 3. de verit.* ergo solùm res à determinatione efficaci voluntatis divinæ habent quòd simpliciter & infallibiliter futuræ sint.

Hinc à S. Scriptura secundùm versionem 70. interpretum Esaiæ 45. Deus quæ futura sunt fecisse dicitur, *Qui fecit*, inquit, *quæ futura sunt* (quo & eodem modo loquendi sæpiùs utuntur Patres) quoniam scil. voluntas ejus ab æterno habet & decrevit quòd futura sint, cujus dispositio & constitutio ita est efficax & inimpedibilis, ut jam fecisse dicatur, quòd facere disposuit, atque definivit: atque illa tam præsentia habet in sua æternitate, ac si jam existerent. Quod egregiè explicat D. Augustinus *tract. 68. in Ioan.* concilians apparentem quandam contradictionem, quam præ se ferunt verba illa Christi Domini apud Ioan. cap. 14. Quibus ante passionem alloquens discipulos ait: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: Vado parare vobis locum*: ita scribit: *Quomodo vadit, & parat locum, si jam multæ mansiones sunt? An mansiones & sunt, & parandæ sunt? Quomodo paramus, nisi quomodo etiam Propheta prædicat Deum, Quia fecit quæ futura sunt? Non enim ait, qui facturus est quæ futura sunt; sed, qui fecit quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea. Nam neque facta sunt, si ipse non fecit; neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit*

384.

ergo ea prædestinando, facturus est operando. Sicut Discipulos quando elegerit satis indicat Evangelium, tunc utique quando eos vocavit: & tamen ait Apostolus; elegit non ante mundi constitutionem, prædestinando utique non vocando. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit. Elegit prædestinando ante mundi constitutionem, elegit vocando ante mundi consummationem. Sic & mansiones præparavit & præparat, nec alias, sed quas præparavit, has præparat, qui fecit quæ futura sunt. Quas præparavit prædestinando, præparat operando.

385. Tertiò prob. ratione eadem pars: quilibet effectus potest certò cognosci in causa ex qua infallibiliter atque inimpedibiliter sequitur; sicuti conclusio demonstrativa in principiis suis certò cognoscitur, seu per resolutionem ad illa, ex quibus necessariò consequitur: sed ex decreto efficaci divinæ voluntatis tanquam ex causa infallibili sequuntur omnia futura contingentia & libera: ergo Deus illa certò cognoscit & prævidet in decreto efficaci suæ divinæ voluntatis. Minor prob. ex illo Apocalyp. cap.2. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erunt, & creata sunt.* Et Psal. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.* Quæ verba expendens S. Augustinus in Enchirid. cap. 95. hæc scribit: *Deus noster in cælo sursum & omnia in terra deorsum quæcunque voluit fecit. Quod utique non est verum si aliqua voluit & non fecit: & quod est indignius ideo non fecit, quoniam, ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit;* Et statim subdit: *Nisi hoc credamus periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum*

Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Sed de his infrà tractantes de efficacia decretorum divinæ voluntatis.

Conf. scientia Dei de futuris contingentibus saltem bonis, est scientia approbationis & beneplaciti, ut docet D. Thomas *hic art.* 8. sed hæc est causa rerum secundùm quòd habet adjunctam voluntatem seu voluntatis divinæ determinationem, ut docet S. D. ibidem, & nos fusè ostendimus suprà: ergo prima radix certitudinis cognitionis divinæ respectu futurorum contingentium est divina voluntas. Quod autem illud decretum debeat esse præfinitivum ac prædeterminativum constat ex dictis, & fusissimè probabitur infrà. Constat etiam ex dictis quòd decretum hujusmodi involvat tum causam idealem, cùm etiam potentiam divinam; quoniam cùm Deus sit agens per intellectum & voluntatem, debet habere rationes operis sui apud se; & cùm potentia sit principium proximum operandi quoslibet effectus ad extra, in quo continetur effectus tanquam in virtute suæ causæ, necesse est ut Deus intelligatur potens proximè ad agendum, ut in eo dicatur contineri & prævideri effectus tanquam in causa: determinatio autem ad operandum tota est à divina voluntate liberè operante ad extra. Quapropter aliquando dicuntur futura contingentia certò à Deo cognosci in suis ideis, ut determinatis scil. per voluntatem ad opus: aliquando dicuntur prævideri in potentia divina, ut directa nimirum per intellectum, & determinata sive imperata per voluntatem; aliquando verò in determinatione divinæ voluntatis. Et meo judicio proptior loquendi mo- 386.

dus est dicere quòd certò prævideantur in potentia Dei activa ut determinata ad opus: quoniam hæc est ut virtus completa proxima divina ad operandum, ideam ut formam seu principium formale operandi includens, voluntatem autem divinam, ut imperantem opus seu moventem ad illud.

387. Ex dictis sequitur, quòd licèt Deus futura contingentia in suis causis proximis ad utrumlibet se habentibus secundùm se sumptis certò prævidere ac præscire nequeat; tamen ut istæ subsunt divinæ voluntatis decreto, quod omnino efficax est, jam dicunt infallibilem ordinem & inclinationem ad effectum futurum, ratione cujus dicitur Deus fecisse quæ futura sunt, & subinde etiam ut sic in suis causis proximis ut tali decreto præfinitivo subsunt, certò etiam prænosci valent. Unde S. D. lib. 1. contrà gentes cap. 66. ait: *Ea verò quæ sunt præsentia, præterita, vel futura nobis cognoscit Deus secundùm quod sunt in potentia sua, & in propriis causis, & in seipsis.* Et cap. 67. *Divinus intellectus ab æterno cognoscit res non solùm secundùm esse quod habent in causis suis* (nimirum remotis & proximis) *sed etiam secundùm esse quòd habent in seipsis.* Unde cùm S. D. negat ejusmodi futura contingentia certò cognosci à Deo in seipsis, loquitur de illis absolutè & secundùm naturam suam sumptis.

§. 3.

Solvuntur argumenta contraria.

388. ARg. 1. quotiescunque D. Thomas agit de scientia Dei respectu futurorum contingentium

gentium ad illorum physicam in æternitate præsentiam recurrit, in qua attinguntur ut sunt in suo esse, quo pacto essendi necessitatem habent: sed si Deus ea cognosceret in decreto efficaci suæ divinæ voluntatis vanum ac superfluum omnino esset ad ejusmodi præsentiam recurrere: igitur ea indecreto ejusmodi certò non cognoscit. Major patet ex his quæ docet hic *art.* 13. & in 1. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 5. & aliis in locis suprà *cap.* 5. adductis.

Conf. D. Thomas sæpe sæpius hoc statuit 389.
discrimen inter effectus causarum naturalium sive necessarium, & effectus causarum contingentium ad utrumlibet se habentium, quod illi certò possunt in suis causis proximis prævideri, non autem isti: sed hocce discrimen nullum esset, si præscientia Dei in sua infallibilitate respectu futurorum sit decreto innixa: ergo tali medio non innititur. Prob. min. vel enim loquitur D. Thomas de hujusmodi causis proximis secundùm se sumptis præciso respectu quolibet ad decretum divinæ voluntatis præfinitivum, vel cum tali ordine? Si primum: ergo saltim effectus necessarii ac naturales, quales sunt illuminatio solis, & calefactio ignis, poterunt certò cognosci ut futuri independenter à tali præfinitione divinæ voluntatis, quod non est admittendum in sententia Thomistarum. Secundùm verò dici nequit quoniam tam illi quàm isti effectus contingentes possunt certò cognosci in causis suis ut subsunt tali decreto præfinitivo divinæ voluntatis, sicuti notavimus suprà.

Resp. ad arg. negando majorem, cujus con- 390.
trarium multis & appertissimis S. Doctoris testimoniis

ſtimoniis ſuprà oſtendimus. Cur autem iis in locis ſolummodo ad phyſicam eorum in æternitate præſentiam recurrerit, ſuprà fusè expoſuimus: & in præſenti breviter dicimus, quòd ibi S. D. ſpecialiter intendit removere ac refellere eorum ſententiam, qui certam de futuris contingentibus ſcientiam Deo denegabant, ex eo quod ex parte objecti deeſſet illis determinatio adeſſe ac ſubinde neceſſitas, quæ exigitur ex parte objecti ad cognitionis certitudinem idcirco docet hanc non deeſſe, quoniam attinguntur à Deo in menſura æternitatis conſiderantur ſecundùm quod habent eſſe in actu ſuo; quo pacto non minus neceſſaria ſunt, quàm quæcumque alia. Nec attinguntur ut futura ſunt, ſed ut præſentia. Quod patet tum ex dicto *art.* 13. *hujus quæſt.* cùm etiam ex his quæ docet cit. lib. 1. contra gent. cap. 67. ubi ait: *Contingens enim certitudini cognitionis non repugnat, niſi ſecundùm quòd futurum eſt, non autem ſecundùm quod preſens eſt: Divini autem intellectus intuitus ab æterno fertur in unum quodque eorum, quæ temporis curſu peraguntur prout præſens eſt. Relinquitur igitur quod de contingentibus nihil prohibet Deum ab æterno ſcientiam infallibilem habere.* En quomodo S. D. & cùm ex hoc capite intendat oſtendere nihil obſtare contingentiam, quominus de rebus contingentibus certam & infallibilem notitiam habeat. Unde ſtatim ſubdit: *Item contingens à neceſſario differt ſecundùm quod unum quodque eſt in ſua cauſa; contingens enim ſic eſt in ſua cauſa, ut non eſſe ex ea poſſit & eſſe: neceſſarium autem ex ſua cauſa non poteſt non eſſe: ſecundùm id verò quod utrumq; horũ in ſe eſt, non differt quantùm ad eſſe, ſupra quod fundatur verum; quia*

in contingenti secundùm id quod in se est, non est esse & non esse sed solùm esse, licèt ut futurum contingens possit non esse. Divinus autem intellectus ab æterno cognoscit res non solùm secundùm esse quod habent in seipsis: nihil igitur prohibet ipsum habere æternam cognitionem de contingentibus infallibilem. Et infrà: *Igitur necessitati scitorum contingentia non repugnant.* Quæ verba notanda sunt ad intentum nostrum. Unde esto Deus ejusmodi contingentia cognoscat in decreto suæ divinæ voluntatis tanquam in causa infallibili futuritionis eorum, quod fundat certitudinem ex parte cognitionis, non est vanum recurrere ad ejusmodi physicam eorum præsentiam in æternitate ad fundandam certitudinem ex parte scitorum.

Resp. ad conf. concessâ majori, negando minorem. Ad cujus prob. dico S. Doctorem loqui de causis necessariis & contingentibus proximis secundùm se sumptis, & discrimen assignat, ex eo quod effectus necessarius determinatè in sua causa continetur, quæ de se determinata ad illius productionem existit, non autem causa contingens, sicuti patet ex illis verbis supra adductis: *Contingens à necessariò differt, &c.* Ad illud quod inde sequi arguitur, videlicet, quod effectus necessarii & naturales poterunt certò cognosci ut futuri independenter à tali præfinitione, secundùm respectū ad omnem causalitatis rationē, nego conseq. secundùm respectū præcisè ad causas proximas, concedo conseq. Nam ut sic etiam certò à nobis cognoscuntur. Licèt ut accipiant actu esse, vel simpliciter futuri sint dependeant à decreto divinæ volūtatis tanquam à causa universali & remota dante causæ proximæ necessariæ determinationē illam ad 391.

esse

esse effectus ex vi conditionis ipsius, non autem causæ proximæ contingenti.

392. Argum. 2. In causa remota & universali non potest certò & infallibiliter cognosci effectus; v.g. in motu Solis non potest certò præviderì germinatio plantæ in particulari: sed divinæ voluntatis decretum est causa remota & universalis ipsius effectus futuri: ergo in ejusmodi voluntatis divinæ constitutione seu decreto certò & infallibiliter cognosci nequit. Minor prob. nam virtus causæ remotæ & universalis à causa proxima determinatur quoad necessitatem atque contingentiam, & ab ea multoties impeditur ne suum producat effectum, quemadmodum docet D. Thomas in 1. d. 38. qu. 1. art. 1. dicens: *Quandocumque sunt causæ multæ ordinatæ, effectus ultimus non sequitur causam primam in necessitate & contingentia, sed causam proximam: quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda secundùm modum causæ secundæ: effectus enim ille non procedit à causa prima nisi secundùm quod virtus causæ primæ recipitur in causa secunda, ut patet in floritione arboris, cujus causa remota est motus Solis, proximam autem virtus generativa plantæ: floritio autem potest impediri per impeditionem virtutis generativæ, licèt motus Solis sit invariabilis.* Ergo in illa non potest certò cognosci effectus, cum ex alio capite deficere possit, & subinde non esse.

393. Respond. ad argu. dist. mai. in causa remota & universali in impedibili atque continente totam rationem & modum causalitatis causæ proximæ, & subinde effectus, nego majorem. Si virtus ejus sit impedibilis à causa secunda, nec contineat totam rationem & modum causalitatis

tatis causæ proximæ, & subinde neque esse ipsius effectus, concedo majorem. Divinum autem decretum tantæ est imprimis efficaciæ, ut à nulla causa secunda impediri queat; ut constat ex illo Esther cap. 13. *Domine Rex omnipotens in tua ditione cuncta sunt posita, & non est qui tua possit resistere voluntati.* Et præterea continet totam rationem & modum causalitatis causæ secundæ, ipsiusque effectus intelligibiliter quidem secundùm quod decretum illud includit ideam divinam de opere faciendo, eminenter verò ratione virtutis & potentiæ illius infinitæ activæ. Quapropter certò & infallibiliter potest in eo cognosci effectus futurus. Ad prob. autem majoris dico quòd licèt virtus causæ remotæ universalis in aliquo genere, & quæ non continet totam rationem & modum causalitatis causæ proximæ ab ea determinetur quoad necessitatem & contingentiam, tamen causa universalissima ut putà voluntas Dei est prima causa necessitatis & contingentiæ in rebus, itaut effectus ceu primam radicem sequatur efficaciam divinæ voluntatis conjunctam cum summa libertate in operando, licèt ipse sequatur causam proximam in necessitate & contingentia tanquam causam formalem & proximam à qua egreditur. Unde S. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 2. ait: *Licuit vanitati Philosophorum etiam aliis causis ea* (scil. effectus contingentes) *tribuere, cùm omnino videre non possent superiorem omnibus causam:* quibus verbis Philosophos vanitatis damnat, quod effectuum contingentiam minimè in Deum ceu causam primam & radicem essendi & cujuslibet modi essendi non reducerent. Quam doctrinam tradit, & explicat

D.Thomas

D. Thomas infra q. 19. art. 8. Quapropter cùm D. Thomas cit. dist. 38. post allata verba subdit: *Similiter autem scientia Dei est invariabilis causa rerum, sed effectus producuntur ab ipsa per operationes causarum secundarum: & ideo mediantibus causis secundis necessariis producit effectus necessarios, ut motum Solis & hujusmodi; sed mediantibus producit effectus contingentes*; nullatenus intendit asserere Deum non esse primam radicem necessitatis & contingentiæ in rebus; sed docere solummodo, quòd invariabilitas divinæ præscientiæ non præjudicet libertati & contingentiæ rerum. Quoniam sicuti necessitas & invariabilitas motus cœlestis non tollit quin effectus contingenter eveniant propter causas proximas à quibus egrediuntur; ita neque infallibilitas divinæ præscientiæ. Quoniam præsciendo effectus contingentes aptavit illis causas accommodas ut contingenter evenirent, habens efficacissimam voluntatem ad efficiendum omne id quod sibi placuerit, ut probabitur infrà.

394. Argument. 3. Si Deus in decreto suæ divinæ voluntatis futura hujusmodi certò prævideret ac præsciret, sequeretur scientiam visionis in Deo differre attributaliter à scientia purè possibilium: consequens est falsum & contra communem Theologorum sententiam: ergo & antecedens. Sequela prob. sententiarum distinctio ex parte medii sive motivi desumitur: sed si Deus futura absoluta per scientiam visionis præsciret in decreto & præfinitione suæ divinæ voluntatis, haberet medium virtualiter adæquatè distinctum à medio quo purè possibilia per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit, quòd est divina bonitas, vel omnipotentia, quemadmo

quemadmodum docet S. D. *quæst.* 2. *de verit. art.* 8. Nam bonitas sive omnipotentia virtualiter à divina voluntate distinguuntur : ergo si Deus in decreto suæ divinæ voluntatis futura præsciret sequeretur scientiam visionis distingui attributaliter à scientia simplicis intelligentiæ.

Variè huic argumento respondent nostri Authores, Illustriss. Godoy & P. Gonet aiunt, non distingui attributaliter ; quoniam decretum liberum non est medium per modum rationis formalis, sed solùm per modũ applicationis omnipotẽtiæ; in qua ut per decertum applicata cognoscuntur futura. Nam ut esset inter præditas scientias virtualis distinctio deberet intervenire nedum inter conditiones applicantes, sed etiam rationes formales & motivas. At verò Mag. Ferrè *qu.* 8. *de scient. Dei* §. 9. *num.* 1299. hanc solutionem rejicit, quoniam decretum non solùm est conditio ad causandum, sed vera causa effectus futuri, omnia enim quæcunque voluit Deus fecit. Et respondet ipse non esse ibi distinctionem quoad primarium actum divinæ scientiæ, qui versatur circa ipsummet Deum; sed quoad actum secundarium. Quod non sufficit ad formalem distinctionem ejusmodi scientiarum. Quibus omissis. 395.

Resp. negando sequelam. Ad cujus prob. dist. majorem : scientiarum distinctio desumitur ex parte medii formalis quo & sub quo, seu ratione formali quæ & sub qua, concedo majorem. Ex parte medii in quo seu rationis materialis objectivæ, nego majorem. Decretum autem divinæ voluntatis non est medium formale quo vel sub quo, hoc enim est divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis & luminis, 396.

ut

ut docet D. Thomas qu. 2. de verit. art. 5. ad 10. dicens: *In visu corporali est duplex medium; scil. sub quo cognoscit, quod est lumen, & hoc medio non determinatur visus ad aliquod speciale objectum: est & aliud medium quo cognoscit, scil. similitudo rei cognitæ, & hoc medio determinatur visus ad speciale objectum. Essentia autem divina in cognitione divina habet locum utriusque.* Ut autem concipitur in genere entis & ad res producendas est determinata per voluntatem, & completa per rationem potentiæ, habet rationem medii in quo, & objectivi: unde ex hac parte non est variatio. Eò præsertim quod ordo ad productionem rerum scitarum est extra genus notitiæ, ut suprà ex D. Thoma explicatum est; unde attribualiter scientiam visionis seu approbationis à scientia simplicis intelligentiæ non distinguit, ex propriis & simpliciter. Alia argumenta de læsione libertatis ob infallibilitatem ejusmodi decreti commodiùs dissolventur in tractatu de providentia, atque prædestinatione. Unde ipsa illud remittimus dissolvenda.

CAPUT XIV.

In quo medio Deus peccata futura cognoscat.

397. DUplex decretum in Deo distingui solet: alterum positivum, quo Deus positivè decernit atque efficaciter constituit aliquid in tempore facere, vel cooperari ad faciendum illud; v. g. condere mundum, vel efficaciter movere

movere hominem ad bonum : Alterum permissivum , quo ob sua inscrutabilia judicia statuit permittere homines labi in peccatum , denegando eis specialia gratiæ suæ auxilia quibus illud devitare possint , & quibus non concessis sibimetipsis relicti homines cadant. Primum est respectu bonorum duntaxat , secundum verò respectu malorum. Primum respicit esse rei absolutè ac simpliciter ; non autem secundum,versatur enim non circa esse rei absolutè considera-tum , sed circa permissionem ejus. Utrumque videtur insinuare D. Augustinus in Enchirid. cap. 9. dum ait : *Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit , vel sinendo ut fiat , vel faciendo.* Faciendo quidem quoad bona , sinendo autem sive permittendo quoad mala. Unde statim subdit : *Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcunq; fiunt malè.*Idem sumitur ex D.Th. hic*a.9.ad* 3. cujus verba retulimus suprà.

Conclusio propriè & simpliciter loquendo 398. Deus peccata futura cognoscit nedum quoad malitiam , sed etiam quoad entitatem actus in decreto permissivo suæ divinæ voluntatis adæquatè sumpto : neque opus est duplex distinguere decretum , alterum permissivum , quo peccatum quoad malitiam ac deffectum cognoscatur ; alterum positivum , quo noscatur à Deo quoad entitatem actus. Prima pars sumitur ex verbis D. Augustini suprà adductis , ex quibus ita argui potest : In eo habet Deus certò cognoscere sive præscire peccata futura , in quo habent quod futura sint : sed peccata habent quod futura sint à decreto permissivo Dei, quo vult permittere illa esse , si quidem non fit aliquid nisi ipse fieri velit , vel sinendo quoad

mala, vel etiam faciendo quoad bona, itaut nisi sineret, mala nunquam forent, *Cui proculdubio*, ait S. D. ibibem, *quàm facile est quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, non sinere*: Ergo Deus peccata futura certò cognoscit in decreto permissivo suæ divinæ voluntatis tanquam in prima radice certitudinis.

599. Probari etiam solet à recentioribus Thomistis hæc conclusio ista ratione: Illud quod habet infallibilem connexionem cum alio, potest in illo certò cognosci: sed peccata futura habent infallibilem connexionem cum decreto permissivo Dei: ergo à Deo certò cognoscuntur in tali decreto. Minor prob. decretum permissivum est decretum non impediendi peccatum & denegandi auxilium speciale ad illud evitandum, quo concesso homo illud evitaret: sed peccatum ad istud saltim quoad suam malitiam infallibiliter consequitur consecutione logica & illationis: ergo habet infallibilem nexum cum decreto permissivo. Minor prob. nam non stat Deum denegare hujusmodi auxilium efficax seu non impedire peccatum denegando illud, & hominem non peccare; v. g. in adimpletione præcepti charitatis non stat hominem Deum diligere ut authorem supernaturalem ex toto corde & super omnia, si denegatum illi fuerit auxilium necessariò requisitum ad illud adimplendum; quo concesso adimpleret. Qua ratione Innocentius Papa epist. 25. ad Patres Concilii Carthaginensis scribit: *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, iterum non adjuvante vincamur.* Et Psalm. 80. *Divisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adjuventionibus suis.* Hoc est, exponente Augustino

Augustino, *Divisi eos non secundùm salutem præceptorum meorum, sed secundùm affectiones cordis eorum donavi eos sibi: Ibunt in affectionibus suis: Alii defendunt circum, alii amphiteatrum, alii casas in vicis, alii theatra, alii illud, alii postremò Deo recentes suos. Ibunt in affectionibus suis.*

Quam rationem confirmant exemplo addu- 400.
cto in annihilatione; nam Deus certò scit, quòd si non conservaret creaturam in suo esse, statim in nihilum redigeretur, quoniam creatura seipsam conservare non potest absque conditore illam in esse continente: ergo etiam scit, quòd nisi conservaverit hominem in bono rationis, per aliquod auxilium speciale ipsum adjuvans & præservans ne deficiat, ipse non se conservabit, sed infallibiter peccabit: ergo in decreto, quo statuit non auferre auxilium illud speciale tali tempore & loco quo homo tenetur bonum operari, & à tali vel tali peccato abstinere, certò sit, quòd homo infallibiliter peccabit, & deficiet à rectitudine rationis.

Quæ profectò doctrina explicatione indiget, 401.
ut rectè percipiatur: & enim cùm ex D.Thoma defectus ejusmodi prima causa sit creata voluntas, quæ ut deficiens exit ab ordine divinæ causalitatis, non satis capi potest, quomodo peccata ut includunt cùm defectum ac deformitatem possint habere infallibilem connexionem cum decreto permissivo. Quapropter pro pleniori intelligentia ex dictis suprà, *art.* 10. *cap.*1. cum D. Thoma, adnotandum Deum cognoscere mala secundùm ordinem ad bonum, quatenus videlicet à bono creato discordant. Bonum autem creatum dupliciter dicitur. Uno modo simpliciter & absolutè; quo pacto dici,

tur bonum omne illud, quod actu est, vel dicit ordinem ad esse, ut materia prima. Alio modo dicitur bonum hoc, quando scilicet habet propriam & debitam sibi perfectionem; sicut dicitur bonus oculus, qui perfectionem oculi habet, ut putà perspicaciter & acutè videre. Primum bonum est subjectum mali, neque malum huic opponitur; sed est privatio boni hujus, hoc est, specialis bonitatis ac debitæ perfectionis; unde cùm privatio relinquat subjectum suum in potentia bonum quod est ipsius mali subjectum est in potentia ad ejusmodi perfectionem atque bonitatem hanc, cui quidem bonitati ac perfectioni speciali malum in particulari opponitur. Bonum autem quod reperitur in actu morali bono, seu actu virtutis, cui peccatum seu actus moralis malus opponitur, est bonum rationis quod consistit in eo quod sit bene ordinatus & regulatus regulis rectæ rationis concordantis cum lege divina, unde malum rationis est privatio talis ordinis, seu inordinatio quædam. Cùm ergo omnis privatio cognoscatur per formam oppositam, debet cognosci malum morale per ordinem ad bonum prout nimirum ab eo discordat.

402. Quapropter cùm Deus primò decernit peccatum hoc vel illud permittere, decretum illud permissivum attingit substantiam actus illius in genere naturæ considerati volens ad eum effectivè concurrere, videtque fore, ut ille, prout in exercitio à voluntate creata exiturus est, careat bono rationis, si voluntas sibi ipsi relinquatur, nec in agendo speciali auxilio adjuvetur, sine quo rectè illud opus efficere non potest; nec tamen vult ob sua inscrutabilia judi-

cia

cia illud ei conferre, & hoc modo permittit eam in peccatum labi seu deficere. Et sic prima quidem radix illius defectus est creata voluntas, & cum ea habet connexionem, veluti cum causa sua, non quia naturaliter ad malum determinata sit, bona enim est; sed quia suaptè natura est deffectibilis, & quanvis possit non deficere, non stat tamen quod non deficiat in adimpletione præcepti charitatis v. g. nisi divina gratia specialiter adjuvetur. Et hoc pacto intelligenda venit illa connexio peccati cum decreto illo permissivo, si quæ admittenda est: Itaque voluntas creata ut respicit illum actum secundùm speciem naturæ sicuti & ipsemet actus hoc pacto consideratus habet intrinsecam connexionem cum illo decreto permissivo, quo Deus efficaciter decernit concurrere ad illum actum ut causa universalis boni, sine quo concursu permissio illa efficaciam non haberet. Et quia voluntas creata humano modo in exercitio operans rectè operari tenetur & secundùm regulas rectæ rationis, quod non perficiet adimplendo præceptum v. g. de amore Dei, nisi speciali auxilio gratiæ adjuvetur, quod decrevit Deus illi non præstare justo suo judicio; prævidet certò Deus de futuram illi actui debitam ordinationem & bonitatem specialem, seu discordaturum illum actum à bono rationis. Et hoc modo cognoscit peccatum tam quoad entitatem, quàm quoad malitiam moralem. Quoad entitatem quidem in decreto permissivo ut præfinitivum illius; quoad malitiam autem prout eodem decreto videt illum actum certò à debito rationis bono ac perfectione discordaturum.

Non ergo videntur quidam recentiores aptè 403.

loqui, dum aiunt quòd in peccato privationis est & defectus habere infallibilem connexionem cum decreto permissivo; nam voluntas divina de permittendo peccato immediatè non respicit pro objecto peccatum producendum, sed voluntatem creatam defectibilem, quam constituit in tempore movere ad entitatem actus per intentionem boni, & mediante istâ efficaciter applicare ad consulendum, seu judicandum de mediis, nec in eligendo adjuvare per auxilium gratiæ ne erret: ergo non habet per se infallibilem connexionem defectus ille cum decreto permissivo, quod non est causa per se illius defectus, sed reducitur primò & per se in voluntatem deficientem, quæ per se defectibilis est, & deficit in opere arduo, nisi à Deo specialiter adjuvetur.

404. Ex quibus relinquitur probata secunda pars conclusionis, videlicet, quod non sit distinguendum duplex decretum; alterum permissivum quo defectum & malitiam cognoscat; alterum positivum, quo entitatem intueatur. Primò, quia S. Augustinus & D. Thomas solummodo duplex decretum distinguunt, positivum pro bonis, permissivum pro actibus malis. Et meritò, quoniam decretum permissivum versatur circa ipsum peccatum in particulari & exercitè sumptum, seu quatenus in re exiturum est: sed exercitè & in re malitia non est sejuncta ab ipsa entitate actus, sed illi conjuncta; peccatum enim essentialiter quidam actus est: ergo in tali decreto debet Deus attingere tam entitatem ipsius actus, quàm malitiam illi conjunctam.

405. Conf. Deus peccatum permittere constituit,

ut

ut ex eo bonum eliciat, quemadmodum præclariſſimis verbis docet D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 100. Sed bonum, quod elicitur ex tali permiſſione, ſaltem multoties, non ſequitur ad ipſam malitiam, ſed ad ipſam actus entitatem; ſicuti bonum quod ex adulterio permiſſo ſequitur, nimirum generatio prolis, ad actum adulterii ſequitur, & non ad malitiam ejus: ergo Deus in decreto permiſſivo cognoſcit nedum malitiam, ſed etiam entitatem malitiæ ſubſtratam; quoniam malum nonniſi in bono reipſa eſt.

§. I.

Solvuntur Argumenta.

OBjicies: Decretum permiſſivum non habet infallibilem connexionem cum peccatis futuris: Ergo Deus in illo ceu medio nequit peccata futura certò cognoſcere, ac prævidere. 406.
Probatur antecedens, decretum permiſſivum duo importat, ſcilicet propoſitum non impediendi peccatum, in quo includitur denegatio auxilii efficacis ad devitandum illud, vel ad efficiendum actum virtutis oppoſitum: & voluntatem concurrendi ut cauſam univerſalem totius eſſe & boni ad entitatem ipſius peccati: ſed decretum permiſſivum nullo ex his capitibus habet infallibilem connexionem cum futuritione peccati: Ergo nullatenus cum peccatis futuris nexum infallibilem nullatenus cum peccatis futuris nexum infallibilem ſortitur. Minor probatur imprimis nequit habere infallibilem connexiònem cum illis ratione denegationis auxilii ſpecialis, alioquin ſequeretur, quòd vo-

luntas sibi ipsi relicta non posset nisi peccare, nec valeret cum solo concursu generali aliquod opus morale bonum operari, quod est falsum. Deinde neque ratione voluntatis concurrendi effectivè ad entitatem actus, quia tunc talis voluntas esset causa peccati: qui enim vult & causat aliquid, à quo malitia est ita inseparabilis, ut non possit poni sine illa, eam consequenter vult & causat; quemadmodum qui producit essentiam, per naturalem resultantiam causat proprietates, quæ cùm ipsa essentia intrinsecè connectuntur, & ad illam infallibiliter consequuntur.

407. Conf. posito decreto de permissione peccati & ipsa permissione non necessariò ponitur peccatum: ergo non habet infallibilem connexionem decretum illud cum peccato. Prob. antec. posita permissione vel decreto permissivo voluntas adhuc remanet indifferens ad peccandum, seu ad actum peccati eliciendum & non eliciendum: sed quandiu remanet indifferens non est infallibile illam peccaturam: ergo posito decreto de permissione peccati, non necessariò ponitur peccatum futurum. Et subinde in tali decreto certò non cognoscitur.

408. Resp. ad hoc arg. omissis variis solutionibus dist. antec. decretum permissivum non habet infallibilem connexionem cum peccatis futuris, immediatè & per se, concedo antec. mediante voluntate creata, quam ad operandum entitatem actus prædeterminat ac præmovet, nego antec. ac conseq. Ad prob. minoris negatur minor. Ad probationem primæ partis illius dist. Non habet infallibilem connexionem cum illis ratione denegationis auxilii, absolutè & secundùm

secundùm se consideratæ, concedo: mediante voluntate creata tanquam causa deficiente illius actus, nego. Neque inde sequitur, quòd voluntas creata sibi ipsi relicta non possit nisi peccare, quasi naturaliter ad malum determinata atque inclinata, quoniam absolutè potest non deficere, & agere bonum saltem cum solo auxilio sufficienti, licèt bonum actum effectura non sit completivè, nisi Deus qui incepit perfecerit ampliùs adjuvando seu tribuendo auxilium illud speciale gratiæ suæ efficacis. Quod licèt justo suo judicio non concedat, non tamen sequitur, quod directè vel indirectè sit causa peccati, quia illud non subtrahit potens & debens; quemadmodum docet S. D. 1. 2. quæst. 79. art. 1. dicens: *Deus peccati causa, etiam indirectè, dici non potest, nec debet. Quia tametsi aliquibus non præbeat auxilium, quod si præberet, non peccarent, hoc totum facit secundùm ordinem suæ sapientiæ & justitiæ; cùm ipse sapientia & justitia sit: unde non imputatur ei quod alius peccet sicut causæ peccati. Sicut gubernator non dicitur causa subversionis navis, ex hoc quod non gubernat navim, nisi quando subtrahit gubernationem potens & debens.* Similiter non sequitur quod non possit aliquod bonum opus morale absque tali auxilio speciali facere; sed quod etiam ad hoc concursu Dei indigeat universali seu ordinis naturalis. Unde probat. Secundæ partis, dist. antec. decretum permissivum non habet infallibilem connexionem peccato, ratione divinæ voluntatis, immediatè & secundùm se consideratæ, concedo, mediante voluntate creata exercente actum sine ordine ad regulas rectæ rationis, nego.

nego. Nec ſequitur inde quòd divina voluntas ſit cauſa peccati, quia cauſat entitatem illam, à quo malitia eſt omnino inſeparabilis; quoniam entitas, illa ut deficiens eſt atque inordinata exit ab ordine divinæ cauſalitatis, & tota in voluntatem creatam deficientem refunditur. Et quoniam exit ab ordine divinæ cauſalitatis, exit pariter à regulis rectæ rationis, incurrítque inordinationem, ſeu privationem debiti ordinis, ratione cujus eſt moraliter malus, & ut talis habet cognoſci per formam oppoſitam, modo ſuprà explicato.

409. Ad conf. ſimiliter reſp. poſita permiſſione ſeu decreto permiſſivo, non neceſſariò ponitur peccatum, ex vi talis permiſſionis ſeu decreti ſecundùm ſe conſiderati, concedo antec. ex vi voluntatis creatæ deficientis, quæ tali decreto ſubjacet, nego antec. Et diſt. conſeq.permiſſio non habet infallibilem connexionem cum peccaro, ex ſe & immediatè, concedo: mediante voluntate creata deficiente, nego conſeq. Ad prob. diſt. poſitâ permiſſione vel decreto permiſſivo voluntas remanet indifferens, ſi fiat ſermo de indifferentia activa & poteſtativa, concedo: ſi loquamur de indifferentia, paſſiva, ſeu privativa & ſuſpenſionis nego; hæc enim tollitur per prædeterminationem voluntati impreſſam, qua movetur voluntas ad entitatem actus, qui in peccato reperitur, quæ quidem prædeterminatio in decreto illo permiſſivo, ſeu permiſſione adæquatè ſumpta includitur. Nam primo omnium ordine intentionis decrevit Deus peccatum permittere, & ſubinde ea omnia facere quæ ſibi conſentanea ſunt ad illius decerni impletionem, quod efficax

cax est. Unde cùm voluntas nonnisi à Deo mota agere possit, ordine executionis primò illam reducit de potentia in actum, movetque per intentionem finis & boni, & mediante efficaci intentione finis ad consulendum sive practicè judicandum de mediis convenientibus ad finem: nec tamen illius intellèctum dirigit per speciales illuminationes ne erret; aut præbet, sed denegat illi gratiæ auxilium speciale quo rectè eligat & operetur, & ibi completur permissio. Voluntas sibi relicta opus arduum non efficit, sed deficit & peccat, & talis defectus attribuitur primò illi non autem voluntatis decreto permissivo, aut prædeterminationi divinæ, quâ ad bonum præmovetur; quoniam nisi à tali causalitatis & motionis ordine sua culpa deflecteret, bonum operaretur, seu bene ageret, Deo illi gratiam concedente, quam non accipit. Qua de causa D. Thomas 1. 2. q. 112. art.3. ad 2.ait: *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est ex Deo, secundùm illud Osee* 13. *Perditio tua ex te Israël est, tantummodo ex me auxilium tuum.* Sed de his ampliùs infrà, ubi disputabitur utrum actus nostri mali sint à divina voluntate prædefiniti.

CAPUT XV.

Sit ne ſcientia media conſentaneum & conveniens medium ad hoc ut Deus de futuris conditionatis liberis ſcientiam habeat.

§. 1.

Reiicitur hujuſmodi ſcientia tanquam Arrianorum Pelagianorum ac Semipelagianorum inventum ad eludendum propoſitum Dei & efficacitatem gratiæ illius.

410. DEum de futuris conditionatis liberis certam habere notitiam multis demonſtravimus ſupra cap.7. & cap.8. modum, quo Deus illa præſciat ac prævideat examinantes oſtendimus P. Molina, quem ut Anteſignanum in hac parte Societatis auctores agmine facto ſequuntur, quandam in Deo confingere ſcientiam, quam ipſe mediam nuncupat, per quam abſque libertatis humanæ præjudicio Deus de liberis creatæ voluntatis operationibus ſub cõditione futuris definiat, certamque cognitionem habeat, ante quodlibet divinæ voluntatis decretum actuale, quo ipſarum futuritionem prædefiniat atque prædeterminet. Quanvis enim tam ipſe quam ſequaces ejus decretum quoddam generale & indifferens antecedens vel concomitans ejuſmodi præſcientiam conditionatam admittant, quo decernat Deus cùm cauſis liberis concurrere ſi ipſæ voluerint, & ad quodcunque voluerint manum præbere; negant

gant tamen omne decretum de se efficax & prædeterminans, quo ipse ante prævisionem ac præscientiam liberi consensus & cooperationis voluntatis humanæ ejusmodi actuum & operationum futuritionem prædefiniat atque prædeterminet. Ea propter ejusmodi scientia est conditionata, quoniam circa ejusmodi actus liberos ut conditionatè futuros versatur. Vocatur autem media, vel quia inter scientiam simplicis intelligentiæ atque scientiam visionis mediat: vel quoniam circa futura conditionata versatur, quæ veluti medium obtinent locum inter merè possibilia & futura absoluta, quorum illa per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscuntur; ista verò per scientiam visionis.

Hujus scientiæ mediæ se primum inventorem facit idem P. Molina in concord. quæst.14. art.13. disp. 19. ubi ait: *Neque enim silere debuimus, quæ nobis de novo ea de re occurrebant, si fortè temporis decursu ab aliis probarentur.* Et seq. quæst.23. art.4. & 5. ita scribit: *Hæc nostra ratio conciliandæ libertatis arbitrii cum divina prædestinatione à nemine, quem vidimus, fuit hucusque tradita.* Et quæst. 14. art. 13. disp. 50. vel 52. esse admittendam scientiam mediam ait, *Nisi periculosè in concilianda libertate cum divina præscientia hallucinari velimus.* Sanè P. Molina ita se de nova doctrina adinventa jactanti posset non immerito jure dici illud D. Hieronymi in epist. ad Pammach & Oceanum: *Quisquis assertor es novorum dogmatum quæso ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolorum ore laudata est. Cur post mille & quingentos ampliùs annos docere nos niteris quod antea nescivimus?* 411.

nescivimus? Usque in hunc diem sine vestra ista doctrina mundus Christianus fuit. Quinimo addere ausus est cit. quæst.23. disp.1.min.ultimo, de novis hisce dogmatibus suis, *Si data, explanatáque semper fuissent, fortè neque Pelagiana heresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia & predestinatione cohærere non posse; neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent; faciléque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ.* Proh dolor! ut cum D. Hilario loquar, *Tardè Ecclesiæ hos piissimos Doctores ætas nunc hujus sæculi protulit, serò hos habuit fides nostra, quam tu Deus erudisti*, quam tu Augustine labore infatigabili propugnasti, tam fœlici successu, & tanto veritatis ac doctrinæ corusco, ut eam semper Ecclesia Catholica venerata sit ac servarit, quemadmodum testatur Joannes II. Romanus Pontifex in epist. 3. ad quosdam Senatores: *Sanctus*, inquit, *Augustinus cujus doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia*, tanquam pretiosissimam dotem sibi relictam, ut asseveravit Summus Pontifex Clemens VIII.. vidit sanè & rectissimè vidit Augustinus talem explicandæ præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ modum; *nec enim cœlestis sapientiæ vir, præstantissimus gratiæ magister, doctrinæ Christianæ culmen, Doctor Doctorum, Spiritu revelationis ab ipso duce & fonte sapientium illuminatus*, potuit talem concordiam, rem omnibus in promptu positam

tam

tam ignoravit: sed eam tradere noluit, quæ veram Christi gratiam non salvat, & dum libertatem salvare contendit, malè adulando præcipitat. Vidit profectò Massiliensium (*quos viros religiosos, claros & egregios in omni virtutum studio*, vocat D. Prosper,) nec non & aliorum fidelium turbationem, *Ad summum*, (ait D. Hilarius in epist. ad August.) *fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potiùs querela convertitur, consentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant: Quid opus fuit hujuscemodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari:* At noluit S. Doctor veritatem prodere sed propalare, Hæreticis mederi non adulari, turbentur illi, dummodo fidei veritas non perturbetur sed firma subsistat: Cùm nullis legibus obstrictus esset Christus tamen Petro præcipit, ut tributum pro se & pro eo pendat, quemadmodum refert Matthæus cap. 17. *Ut non scandalizemus eos*, inquit, *vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore inveniens staterem: illum sumens da eis pro me & te.* Qui tamen priùs Pharisæorum scandalum omnino contempserat; dicentibus enim ipsi discipulis: *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* eorum scandalum minimè, solvit, quin potiùs eos redarguit & increpavit dicens: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur:* Cujus rationem reddit D. Gregorius Magnus homil. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitum, utiliùs permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur:* ibi autem de doctrina scandalum fuerat exortum, quapropter increpando &

& redarguendo subdit Christus supradicta verba, quæ exponens D. Remigius ait: *Omnis falsa doctrina, cum suis actoribus permanere non potest: & quia à Deo Patre non est, cum eisdem eradicabitur. Illa ergo sola permanebit, quæ à Deo Patre est.*

412. Vidit, inquam, & pervidit Augustinus, qui per tot annos indefesso studio ac labore contra Pelagianos egit, quorum jnventum hæc scientia Media fuisse à doctissimis viris putatur. Et quidem sub nomine præscientiæ ab ipsis agnitam, illisque in usu fuisse satis evidenter constat ex epistola quadam Alexandri Alexandrini, quæ inter Acta Concilii Niceni habetur, in qua de exoriente Arrianorum hæresi alterum Alexandrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistitem monitum faciens, ita scribit: *Quo circa, fratres charissimi, abjectâ cunctatione ingenij mei vires, quò istorum vobis infidelitatem significarem, excitavi, qui asserunt tempus aliquando fuisse, cùm non esset filius Dei, postea factum cùm non antè extiterit: talem fuisse tunc factum, cùm factus erat, qualis quisque homo, omnia enim Deum ex nihilo fecisse. Quâ sententia Dei filium in creatione omnium rerum, sive rationis sunt illæ participes sive expertes, concludunt. Quibus etiam consequenter addunt, eum natura posse mutari, virtutis & vitii capacem esse: Est enim quoque in nostra situm potestate (istæ Ecclesiæ pestes aiunt) filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est. Scriptum namque esse, Filios genui & exaltavi. At cùm illis objicitur sententia, quæ deinceps sequitur: Et ipsi spreverunt me; quòd planè natura Salvatoris, qui est natura immutabilis repugnat, tunc omni exatâ erga Deum pietate ac reverentiâ, aiunt, Deum cùm*

illum præscientiâ & præsentione prænovisset, neutiquam aspernaturum, idcirco ex omnibus elegisse. Non enim eum aut naturâ aut prærogativâ quidquam præter cæteros filios habuisse; nullum Namque naturâ filium Dei esse affirmant. Neque quemquam esse qui ullâ cum eo proprietate, conjunctus sit; sed cùm esset naturâ mutabilili,& propter singularem in vita & moribus ritè instituendis diligentiam ac studium non ad vitia deflecteret, Deum illum elegisse, à Deo ut Paulum & Petrum, si in hoc & ipsi obnixè incubuissent, eodem modo futuros fuisse asserant filios Dei, quo ille fuit. Idem de Arianis referunt Theodoretus lib. hist. Eccles. capit. 4. & Prateolus verbo *Achillas*.

P. Suarez in opere tripartito *Prologo de scientia conditionata cap.* 4. contendit Arianos de absoluta præscientia fuisse locutos non verò de conditionata. Sed profectò licèt respectu præsentionis ac præscientiæ habitæ ab æterno de Christo, quod deum non esset aspernaturus, & ideo ex omnibus ab eo electum, præscientia absoluta dici queat, non tamen respectu Petri & Pauli, quoniam isti sunt Deum aspernati, & nequaquam eo pacto, quo Ariani Christum esse Dei filium dicebant, & ipsi filii Dei effecti sunt, qui tamen effecti fuissent, si Deus idem & de illis, ac de Christo præsensisset, atque prænovisset: ergo respectu Petri & Pauli fuit præscientia merè conditionata, quippe cujus conditionum quam fuit posita in esse, & positis talibus circunstantiis posita fuisset: *Atque adeo,* inquiunt, *ut Petrum & Paulum, si in hoc & ipsi incubuissent, eodem modo fuisse futuros filios Dei, quo ille fuit.* Utrumque igitur præscientiam, absolutam videlicet atque conditionatam, seu 413.

illam quæ decretum de futuro absoluto antecedit, & eam quæ est de fututo conditionato agnoverunt; & ipsâ ad suum pestiferum dogma stabiliendum usi, atque abusi sunt.

414. Hocce Arrianorum virus etiam Pelagiani ex parte hauserunt, asserentes etiam ipsi Christo Domino divinitatem ex meritis fuisse collatam, ut habetur ex Div. Prospero in Epitaph. hæres. Nestor. & Pelago. ubi ita loquitur:

Nam Christum pietate operum, & mercede volentes.
Esse Deum, in capitis fœdere non fletimus.

Idem eis attribuit Cassianus lib 5. de Incarnat. cap. 2. ubi Nestorium alloquens ait: *Hoc utique illa etiam, quam ante dixi, haresis* (Pelagiana) *asserebat, Christum non propter se colendum, videlicet quia Deus esset, sed quia bonis ac piis actibus, Deum in se habere meruisset. Ergo vides*, inquit, *Pelagianum te virus vomere, Pelagiano te Spiritu sibilare.* Unde & prædestinationem ex prævisione meritorum, seu operum, vel fidei (quæ sine præscientiæ illa conditionata non est) omnino Pelagiani admiserunt. Nam Pelagius in cap. 8. epist. ad Roman. ait: *Quos pravidit conformes futuros in vita voluit ut fierent conformes in gloria.* Et Pelagiani apud D. Augustinum lib. de prædest. SS. cap. 18. ita loquuntur. *Prasciebat ergo* Deus *qui futuri essent Sancti & immaculati per libera voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua prascientia, qua tales futuros esse prascivit, elegit.*

415. Quam etiam doctrinam usque ad parvulos extenderunt. Unde cùm eos D. Augustinus in epist. 105. ad Sixtum, illo Apostoli loco, quo non

non ex operibus, sed ex vocante Jacob dilectus dicitur, Esaü verò odio habitus, confutasset, subjunxit: *Mirum est, cùm his coarctantur angustiis, in quanta abrupta se praecipitent, metuentes retia veritatis.* Et explicans quodnam sit illud præcipitium statim subdit: *Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, scilicet Esaü, & Iacob diligebat, quia futura eorum opera praevidebat.* Quæ responsio omnium Pelagianorum communis fuit. Nam & Pelagius in capit. 8. epist. ad Rom. per Esaü & Jacob eos prophetari docet, *Qui futuri erant ex operibus boni & mali: & ex ipsis operibus aut odium Dei habere, aut misericordiam ejus consequi.* Et Julianus apud Augustin. lib. 1. oper. imperf. ostendi putat, *Non in seminibus, sed in moribus esse distantiam: siquidem Iacob & Esaü unâ seminis exceptione concepti, & unavi parientis effusi diversos nimium exitus pro meritorum diversitate pertulerunt.*

Cùm verò explicare cogerentur, quo pacto 416.
illa merita invenirentur in parvulis ex quorum præscientia amor Dei vel odium nasceretur, in diversa deliramenta præcipitati sunt. Et inter alia dixerunt commenti sunt, propter opera, futura, quæ majores vel facturi sunt, vel facturi essent, si viverent, Deum præsciendo dilexisse parvulos, vel odisse: *Neque enim* (subdit ibidem Augustin.) *Si duorum de Isaac Patriarcha geminorum (quòd quidem jam ostendimus quanta cacitate dicatur) futura praevidit Deus opera, quia vixerunt & senuerunt, & propterea Iacob dilexit, Esaü autem odio habuit, ideo moriturorum etiam parvulorum potest quicquam dicere, ut huic ad percipiendum baptismum non consulat, illi autem consulat; Deum futura*

eorum opera prævidere. Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt? Sed Deus, inquiunt, in eis quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque si viveret, & ideo quem nequiter novit esse victurum sine baptismo facit & mori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit: Attendant quàm falsò polliceantur in damnationem parvulos non ituros, qui sine baptismate moriuntur, qui propterea non baptisantur, quia malè victuri erant, si viverent: propter ipsam quippe malam vitam proculdubio damnabuntur, si etiam mala, quæ fuerant futura damnantur. Deinde si eis ad percipiendum baptismatis Sacramentum consulitur, quos novit Deus, si viverent, bene esse victuros, cur non omnes tenentur in vita, quam bonis operibus ornaturi sunt?

417. Ex quibus manifestè liquet Peligianos merita coditionata prævisa tandem confinxisse, & ad scientiam Mediam, sive præscientiam conditionatam veluti ad azylum confugisse, ut eluderent efficacissimam Augustini rationem de parvulis, quorum aliqui absque baptismi gratia decedentes pereunt, & alii baptismi gratiam consequentes salvantur, absque aliqua eorum voluntate, vel operibus bonis aut malis: & ne discretionem unius ab alio in gratuitam Dei electionem & prædestinationem referre cogerētur. Per dictam itaque præscientiam conditionatam nil aliud reipsa illos intellexisse quam scientiam illam Mediam à recentioribus assertam breviter ostenditur: Præscientia, quâ Deus præscit aliquid futurum, si talis conditio apponeretur, est verè scientia Media à recentioribus asserta: sed Pelagiani, ut constat ex D. Augustino

guſtino, conſtituebant in Deo præſcientiam qua Deus prænoſcebat ac prævidebat, quòd parvuli quidam, ſi in vita ſervarentur bene victuri, alii verò ſi ad eandem ſervarentur vitam, malè victuri eſſent, & ſecundùm hanc conditionatorum præſcientiam meritorum eorum fieri diſcretionem aſſerebant: Ergo Pelagiani in Deo ſcientiam mediam ſub nomine præſcientiæ conſtituebant ad eludendum divinæ voluntatis propoſitum, efficacitatem gratiæ illius, ac prædeſtinationis gratuitæ.

Sed præ cæteris omnibus Semipelagiani expreſſiùs hanc mediam ſcientiam ſub eodem præſcientiæ nomine tradiderunt, ſicuti manifeſtè conſtat ex epiſtolis SS. Proſperi & Hilarii ad Auguſtinum. Etenim S. Proſper ad S. D. ſcribens, certioremque illum faciens de Semipelagianorum vireſcentibus dogmatibus inter cætera hæc ſcribit: *Propoſitum vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quòd Deus conſtituerit nullum in regnum ſuum niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere: & ad hoc ſalutis donum omnes homines univerſaliter, ſive per naturam, ſive per legem ſcriptam, ſive per Evangelicam prædicationem vocari. Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, ſub quo omnes homines ſimiliter in primi hominis damnatione naſcuntur nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones non ſine Dei judicio ſecernuntur, ut ante diſcretionem boni ac mali de uſu vitæ iſtius auferendi, alii per regenerationem inter cæleſtis regni aſſumantur hæredes, tales aiunt perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad adultam ſervarentur ætatem, ſcientia divina* 418.

praviderit. Et paulò infrà : *Sed in tantum quibuſcumque commentitiis meritis electionem Dei ſubjiciunt, ut quia præterita quæ non extant, futura quæ non ſunt, futura confingant, novóque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint.*

419. Et rationem quorumdam Semipelagianorum afferens cur Evangelium quibuſdam promulgatum non fuerit, aliis verò ſit annunciatum, ſtatim ſubdit : *Cumque ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis ſæculis dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec ulla eis aut legis aut Evangelii illuminatio coruſcavit, cùm tamen in quantum prædicatoribus oſtium apertum eſt, & via facta eſt, gentium populus qui ſedebat in tenebris & in umbra mortis lucem viderit magnam, & qui quondam non populus, nunc autem populus Dei ſit; quorum aliquando non miſertus eſt, nunc autem miſereatur, præviſos inquiunt à Domino non credituros, & ad unamquamque gentem ita diſpenſata tempora ac miniſteria magiſtrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, quandoquidem inexcuſabiles ſint, qui & ad unius veri Dei cultum potuerint inſtrui intelligentiâ naturali : & Evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi.*

420. Id ipſum apertiſſimo & ad rem hanc aptiſſimo D. Hilarii teſtimonio in epiſt. ad Auguſt. convincitur, in qua Semipelagianorum referens errorem ait : *Cùm autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur; vel nunc prædicetur, quod aliquando pene omnibus*

bus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit, dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore & ibi & illis veritas annunciaretur, vel annuncietur, quando & ubi pranoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur. Vbi tamen eandem gratiam non minore veritatis perspicuitate docueris, ut est illud, quod dixit sanctitas tua in quæstione contra Porphyrium de tempore Christianæ religionis: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.

Ex quibus ita arguo: illa scientia, quâ Deus certò & infallibiliter cognoscit, quid voluntas creata constituta in tali vel tali occasione, conditione, & circunstantiarum seu rerum ordine operatura, vel non operatura esset, est reipsa illa scientia media à P. Molina & aliis recentioribus asserta: sed hanc sub nomine præscientiæ in Deo agnoverunt & constituerunt Semipelagiani: ergo verè agnoverunt scientiam illam mediam, & illâ usi sunt. Major ex supradictis patet. Minor prob. ideo inquiebant Semipelagiani noluisse Deum multis prædicari Evangelium suum, quia certò prævidebat, quòd non essent credituri, nec Evangelio obtemperaturi, *Ideo non audierint, quia nec fuerant recepturi*; quod tamen eis prædicatum fuisset, si aliàs ipsi præsciti fuissent credituri, cùm Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ergo in Deo Semipelagiani sub nomine præscientiæ agnoverunt scientiam conditionatam de futura vel non futura 421.

prædicatione Evangelii & obedientia non præstanda Evangelio si aliquibus fuisset prædicatum, quibus idcirco annunciatum non est.

422. Conf. ideo Semipelagiani in D. Augustini doctrina suam fundabant sententiam, quia S. D. in epist.49. (quæ est de sex quæst. Paganor.) quæst.2. dixerat, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat; & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri:* in quo eodem testimonio suam fundare nituntur opinionem recentiores; vel igitur isti malè & extra rem hoc ipsum in suæ sententiæ de scientia media patrocinium adducunt Augustini testimonium, vel fateri tenentur, quòd hæc ipsa eorum scientia conditionata à Semipelagianis agnita fuerit, & illis in usu.Hinc D.Augustinus lib.de prædest.sanct. cap.12. *Quis*, inquit, *audiat, quòd dicuntur à Semipelagianis parvuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita, & ideo alii non baptizati in eadem ætate movi, quia & ipsorum præscita sunt merita futura.* Quod sanè nonnisi per ejusmodi præscientiam conditionatam præsciri potuerunt, ut est manifestum.

423. Et reipsa quidem quòd res ita se habeat ingenuè fassi sunt ipsius Societatis Doctores, dum celeberrima ista quæstio Romæ agitaretur, ut constat ex quodam eorum scripto, tunc temporis ab eis edito & oblato judicibus deputatis, cui titulus erat, *Rescriptum de scientia media, seu conditionata:* Initium autem ejusdem, *Certum est secundùm fidem*, & finis, *Paratus non ignoravit.* In quo quidem scripto versus finem sequentia habebantur: *Ex quibus sequitur*

verum

verum eſſe, quòd Patres Prædicatores in ſcripto quodam evulgarunt, videlicet etiam ipſos Maſſilienſes Semipelagianos hanc ſcientiā mediam docuiſſe, quod bene inferunt ex illis verbis Hilarii: Cùm autem dicitur eis &c. Quoniam verò non ſatis tutum videbatur, quòd eandem ipſi cum Semipelagianis præſcientiam conditionatam, ſub nomine ſcientiæ mediæ in Deo conſtituerent, P. Cobos in Reſponſione quadam nomine Societatis oblatâ, ita ſatisfecit: *Maſſilienſium Semipelagianorum error, quem P. Proſper & Hilarius referunt, erat, Deum prædeſtinare aut reprobare propter opera bona vel mala, quæ Deus ſciebat ipſos facturos, ſi ſupervixiſſent, aut Evangelium, vel lex fuiſſet aliquibus prædicata. In qua aſſertione non ideo errabant, quia putabant Deum ſcire, quid ejuſmodi parvuli vel alii, ſi ſupervixiſſent, aut Evangelium audiviſſent, fuiſſent facturi, ſed quia cauſam prædeſtinationis vel reprobationis eſſe contendebant ea parvulorum opera, quæ nunquam futura erant.* Et hanc fuiſſe unicam & totam illorum ſolutionem atque reſponſionem in omnibus congreſſibus, in quibus tunc apud S. Sedem de hac re actum eſt, teſtatur & refert Sapientiſſimus Mag. Fr. Thomas Lemos, *tomo* 1. *Panopl. p.2. tract.5. cap.6.* multiſque confutat oſtendens illam mediam ſcientiam ſive præſcientiam à SS. Patribus rejectam fuiſſe, tum propter dictam rationem, tum etiam quia certa in Deo conſtituebatur de illis futuris conditionatis ante propoſitum ſive decretum efficax divinæ voluntatis. Immo hanc fuiſſe quæſtionem inter Pelagianos hoc aſſerentes & SS. Patres qui contrarium aſſerebant atque tuebantur.

Quod

424. Quod quidem colligit ex citata S. Prosperi Epistola ad S. August. in qua inter alia de quibus cupit instrui S. Prosper præcipuè hoc unum est: *Vtrum præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, ut ea ipsa, quæ sunt proposita sint accipienda præscita, an per genera causarum & species personarum ista varientur, ut quia diversæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere: in his autem, qui aliquid boni acturi sunt per præscientiam possit stare propositum; an verò uniformiter, licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen sub quodam ordine sit subnixa proposito. Et sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quòd non scientia divina prævenerit, ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo authore defluxerit.* Ex quibus verbis constat inter Catholicos & Pelagianos sive Semipelagianos hoc in quæstione præcipuè fuisse, quòd isti ante omne voluntatis divinæ propositum efficax illam præscientiam constituebant, per quam staret certum firmumque propositum; Catholici autem omnem boni præscientiam post divinæ voluntatis propositum sive decretum tribuens illud bonum asserebant. Unde S. Prosper de hoc à S. Augustino se edoceri postulat. Quocirca idem S. D. Augustinus ad scriptas sibi Epistolas respondens libro de prædestinat. Sanct. cap.9. explicansque id quod in libro de sex quæst.Pagan. quæst.2. dixerat, nimirum, *Vtrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac differere tunc necessarium non putavi* (En quæstionis agitatæ

agitatæ cardinem, utrum Deus tantummodo præsciret, an etiam prædestinaret) c. 10. ait: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*: En præscientiam post prædestinationem, seu voluntatis divinæ propositum. Quod & Apostolis confirmat testimonio dicens: *Quoniam quæ promisit, potens est & facere, non ait prædicere, non ait præscire; sed ait potens est & facere; ac per hoc facta non aliena sed sua.* Id ergo in quæstione apud Catholicos & Semipelagianos erat positum, alioquin D. Augustinus in eo explicando non tantùm insudaret, ut ibidem videre est. Sed de his plura infrà, præsertim in tractatu de Prædest. & §. seq.

§. 2.

Refutatur scientia media testimoniis adductis ex eodem D. Augustino.

QUæ in superiori §. ex D. Augustino testimonia adduximus satis supérque ostendunt, totum esse Augustinum in negando ac rejicienda præscientia illa, quam Pelagiani ac Semipelagiani admittebant ante divinæ voluntatis propositum, quâ prævideret ac certò prænosceret Deus quid liberum arbitrium creatum ex seipso operaturum esset, si in tali rerum ordine, & in talibus circunstantiis constitueretur; quâ prænotione habitâ postea decerneret divina voluntas ita illum constituere. Impræsentiarum tamen id ampliùs ex eodem commonstrare necessarium visum est. Quanvis enim hujus S. Doctoris auctoritas maximi in omnibus semper habenda sit, in hac tamen specia- 425.
liter

liter ad eam confugiendum veluti ad Lydium lapidem, quo verum à falso discerni queat. Itaque sicuti totus est in negando, hominem ex se & non ex Deo donante bene operaturum, ita perpetuus est in neganda præscientia, quæ ad Dei propositum non sequatur: & sicuti absoluta præscientia apud illum sequitur ad absolutum divinæ voluntatis decretum sive propositum; ita præscientia conditionata sequitur ad decretum conditionatum, sive propositum de objecto conditionato: & quemadmodum præscivit Deus absolutè hos bene operaturos, quia ipse voluit, & absolutè decrevit ut bene operarentur; ita præscivit & alios bene operaturos, si in tali rerum ordine, ,& talibus circunstantiis collocarentur, quia ipse voluit & decrevit, ut sic constituerentur bene Deo donante operaturi.

426. Antequam ad id probandum testimonia S. Doctoris adducamus, advertendum ex dictis suprà occurrit, quòd divina prædefinitio, propositum, sive decretum divinæ voluntatis, prædestinatio à S. Augustino non rarò appellatur, quemadmodum & prædestinandi vocabulum pro præfinire seu decernere accipitur. Ita sumit tract.68. in Ioan. dicens: *Fecit* futura, *ea prædestinando, facturus est operando*. Hoc est, fecit futura ea prædefiniendo, & decernendo futuritionem illorum, quæ in tempore facturus est operando. Idem habetur ex libro de prædest. Dei Augustino tributus ubi dicitur: *Prædestinavit Deus, ut cœlum semper volveretur, terra immobilis circumvolventi cœlo loco centri haberetur: Sol & Luna diei, noctique praeessent: dies & nox certis temporibus vicissim succederent.* Et infrà:

infrà : *Interroganti alicui quare cœlum volvitur, respondemus, quia Deus prædestinavit*; hoc est, prædefinivit, decrevit, constituit. Eodem modo usurpasse hæc nomina inveniuntur S. Dionysius *de divin. nom. cap. 5.* D. Damascenus *orat. 1. de imagin.* & D. Isidorus *lib. 5. sent. c. 18.*

Quo supposito iterum subjiciendus venit celebris ille locus Augustini ex libro de prædest. sanct. cap. 10. *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Ex quibus ita arguo : Quæ Deus facturus est, in sua prædestinatione, hoc est, præfinitione & decreto suæ divinæ voluntatis præscit, sive certò prænoscit : ergo præscientia eorum, quæ Deus facturus est, habet pro causa suæ certitudinis ac infallibilitatis ipsam prædestinationem seu decretum divinæ voluntatis, illique innititur : sicuti cùm dicimus, principiis seu medio demonstrationis conclusionem sciri, sensus est, principia seu medium demonstrandi esse causam notitiæ certæ sive scientiæ conclusionis, & hujus certitudinem illis inniti : sed Deus omnia opera nostra quantumcunque libera in nobis operaturus est : ergo illa certò in sua prædestinatione seu decreto suæ divinæ voluntatis prænoscit, sive præscit, nec datur præscientia independens à decreto illo. 427.

Ut vis & efficacia primæ consequentiæ magis percipiatur diligenter advertendum est, quòd Semipelagiani, ne læderetur arbitrium creatum efficaci divinæ voluntatis proposito, illa quæ à Deo proposita erant, præscita priùs asserebant, negantes præscientiam subniti proposito divino ; quinimmo propositum ipsi præscientiæ, itaut priùs præsciret Deus qui in eum essent 428.

ſent credituri, & deinde eos prædeſtinaret, quod erat præſcientiam prædeſtinatione priorem in electis, conſtituere. Quemadmodum ſumitur ex epiſtola D. Proſperi ad Auguſtinum, in qua idcirco ſe ab Auguſtino inſtrui petit: *Vtrum praſcientia Dei ita ſecundùm propoſitum maneat, ut ea ipſa qua ſunt propoſita* (hoc eſt, præfinita, ſeu prædeſtinata) *ſint accipienda praſcita* (hoc eſt, an præſcientia innitatur quoad certitudinem ſuam propoſito ſive decreto divino) *An per genera cauſarum & ſpecies perſonarum iſta varientur* (nimirum quæ ſunt propoſita, itaut diverſitas meritorum præviſorum propoſitum diverſificet, vel è contra) *ut quia diverſa ſunt vocationes, in his qui nihil operaturi ſalvantur* (nimirum parvulis cum baptiſmo decedentibus) *quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere* (abſque præſcientia meritorum:) *in his autem qui aliquid boni acturi ſunt* (nimirum adultis) *per praſcientiam poſſit ſtare propoſitum* (itaut iſtud à præſcientia meritorum firmitatem habeat:) *an verò uniformiter, licet dividi praſcientiam à propoſito temporali diſtinctione non poſſit, praſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito.* Idem habetur ex epiſtola D. Hilarii ad eundem Auguſtinum, cujus verba retulimus ſuprà *num.* 420. Eiſdem igitur reſpondens D. Auguſtinus cit. lib. de prædeſt. Sanct. atque ſolvens quæſtionem ait: *Pradeſtinatione quippe Deus ea praſcivit, qua fuerat ipſe facturus*; quod eſt idem atqui dicere, infallibilitatem præſcientiæ divinæ propoſito ſive decreto divino eſſe ſubnixam. Quapropter S. Doctor ſtatim ſubdit: *Vnde dictum eſt, fecit qua futura ſunt*: nimirum *ea pradeſtinando*; ut dictum eſt ex

eodem

eodem *tract.*68. *in Ioan.* Igitur præscientia futurum eventum prospiciens, putà futurum bonum usum liberi arbitrii, præsupponit prædestinationem Dei, & illi innititur: aliàs futurum non esset, *Nam*, inquit Augustinus, *neque facta sunt si ipse non fecit, neque futura sunt si ipse non fecerit:* quod si futura non sunt neque præsciuntur à Deo: ergo præscientia futurum præsupponens, præsupponit prædestinationem, qua Deus prædestinando facit quæ futura sunt; illique subnititur. Proinde est scientia visionis & approbationis, non autem scientia media.

Prosequitur S. Doctor dicens: *Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium dicens: Patrem multarum gentium posui te (Vnde dicit Apostolus: Ideo ex fide ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini) non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promissit enim quòd ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinet ad colendum Deum, ipse fecit ut illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, ut ipse faciat quòd promisit.* Ex quibus sic arguo: Quòd Deus de sua prædestinatione & non de nostra libera potestate promittit, non potest à Deo præsciri ex nostra potestate, sed in sua prædestinatione; itaut prædestinatio sit causa promissionis, & subinde præscientiæ illius, non autem libera potestas, sed Deus futuram fidem gentium promisit non de nostræ libera potestate sed de sua prædestinatione: ergo non præscivit de nostra libera potestate; sed quod non præscitur de nostra libera potestate, non præscitur per scientiam mediam exploratricem 429.

nostræ

noſtræ liberæ poteſtatis, & futuri conſenſus ut decernat de re futura; ſed præſcitur in decreto efficaci illius: ergo Deus certò præſcit noſtræ liberæ voluntatis futurum conſenſum non per ſcientiam mediam priùs explorantem quid operatura ſit libera poteſtas creatæ voluntatis, ſi in talibus & talibus circunſtantiis conſtituatur. Major prob. promiſſio quæ fit de prædeſtinatione divina, & non de poteſtate liberæ voluntatis habet pro cauſa ipſam prædeſtinationem divinam & non liberæ voluntatis poteſtatem; nam propoſitio *de* notat cauſam ſive materialem, ſive efficientem, ut docet D.Thomas 1.p. quæſt. 39. art.2. ad 5. materialis autem cauſa locum non habet in divinis, quapropter in Deo denotare debet cauſam efficientem, ſic dicitur in Symbolo Chriſtus *de* Spiritu Sancto conceptus, quoniam Spiritus ſanctus conceptionem Chriſti effectivè operatus eſt: ergo cauſa certæ illius promiſſionis Abrahæ à Deo factæ non fuit præſcientia futuri conſenſus liberæ voluntatis gentium, ſed prædeſtinatio & decretum fuit cauſa promiſſionis ac præſcientiæ illius.

430. Quapropter jure merito S. D. ſtatim ſubjungit: *Promiſit enim quod ipſe facturus erat, non quod homines.* Q. d. ſi gentes ex poteſtate ſuæ liberæ voluntatis habituræ eſſent fidem, & non à Deo donante, certè Deus fidem illam debuiſſet promittere de poteſtate libera gentium: ſed gentes non erant habituræ fidem ex ſua poteſtate Leo, à Deo donante: ergo non debuit Deus, neque potuit certò promittere fidem gentibus de poteſtate illarum, ſed de ſua prædeſtinatione, qua decrevit ac prædefinivit ſe

datūrum

daturum fidem gentibus. *Quia & si faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum* (ut credere in illum fide divina) *ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit; non illi faciunt, ut ipse faciat quod promisit.* Declaratur: Promisi Petro de absoluta ac libera voluntatis meæ potestate dare Petro centum aureos, certè infallibilitas illius promissionis tota innititur proposito meæ voluntatis, nec aliter possunt certò scire promissionem illam fore habituram effectum nisi de liberæ meæ voluntatis potestate id promittente: at verò si de alterius potestate id promittam, non possunt capere certitudinem illius promissionis nisi ex potestate alterius: Sed ex D. Augustino Deus promisit fidem futuram semini Abrahæ de sua prædestinatione, hoc est, potestate & decreto suæ divinæ voluntatis efficaciter decernentis illi dare fidem non autem promisit de voluntatis humanæ potestate: Ergo se daturum fidem præscivit in decreto efficaci suæ voluntatis, & non per aliquam scientiam mediam exploratricem futuri consensus liberæ voluntatis creatæ, quod esset promittere de potestate fidem illam.

Conf. cognitio certa quàm habuit Deus ab æterno de fide gentium futura & promissione sua fuit verè scientifica, & subinde cognitio rei per suam causam efficientem: sed causa efficiens illius promissionis non est libera potestas creata, sicuti neque ista in tempore causat ex fidem, sed causa est divina prædestinatio & decretum divinæ volũtatis: ergo promissio illa & futura fides fuit à Deo præscita in prædestinatione & decreto divinæ suæ volũtatis constituentis certò fidem promissam gentibus elargiri. Quapropter 431.

non sine causa S.d.præmisit, *Prædestinatione quippe Deus præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Quoniam præscientia dandæ fidei & promissionis illius adimplendæ infallibilitas tota innititur in prædestinatione Dei, & decreto efficaci divinæ voluntatis ipsius. Major patet, quoniam de ratione scientiæ propriè dictæ est, quòd sit cognitio rei per suam causam, ut habetur *lib.* 1. *Posterior.* Minor etiam est desumpta ex verbis Divi Augustini asserentis primò, quòd Deus futuram gentium fidem de sua prædestinatione promisit, ubi particula *de* causam notat; & non de potestate creatæ voluntatis, quod è converso notat liberæ voluntatis creatæ potestatem non esse causam illius promissionis. Deinde affirmat Deum facere ut faciant in tempore homines bona, quibus colitur Deus, inter quæ est fides; quidquid autem Deus facit in tempore efficaciter ab æterno in sua prædestinatione priùs constituit: ergo causa illius fidei in tempore est divina prædestinatio, ad quam sequitur præscientia futuri consensus, non autem ista est causa prædestinationis ut statim dicetur.

432. Præterea D. Augustinus in eodem lib. de prædestinat. Sanct. cap. 17. ait: *Quid est quod ait Apostolus sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profectò si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes: contra istam præscientiam loquitur Filius Dei dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit; electi sunt de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit, implevit.* Ex quibus ita arguo: per præscientiam illam

lam conditionatã, ſive ſcientiam mediam Deus præſcit credituros, ſi in talibus ac talibus circunſtantiis conſtituantur, non autem ſimpliciter præſcit ſe facturum credentes, eligendo ſimpliciter & efficaciter ad fidem: ſed eos Divus Auguſtinus aſſerit Deum homines ante mundi conſtitutionem ſimpliciter elegiſſe ad fidem, non quia præſcivit eos credituros, ſed quia facturus erat eos credentes: ergo omninò rejicit ſcientiam illam mediam, ſive præſcientiam conditionatam, qua Deus præſcierit ab æterno credituros homines, ſi in talibus ac talibus circunſtantiis conſtituerentur; & ſimpliciter admittit præſcientiam futuri eventus fundatam in decreto efficaci, ſeu conſtitutione & prædeſtinatione divina quâ prædefinivit daturum ſe illis ut credant. *Electi ſunt itáque*, ait, *ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in quâ Deus ſua futura facta præſcivit*: Ergo præſcientia futuro fidei, quæ eſt donum Dei, & factum illius, fundatur in decreto prædeſtinativo, & præſupponit illud tanquam medium & cauſam illius, præſcientiæ: alioquin ſua futura facta non diceretur Deus in ſua prædeſtinatione præſcire; id enim in quo aliud præſcitur, importat ordinem cauſæ & prioris ad id quod in eo præſcitur; ſicuti principia ad concluſiones, quæ in principiis illis præſciri dicuntur: & futura eclypſis præſciri dicitur in motu & diſpoſitione luminarium, quoniam hæc ſunt cauſa illius; & quaſi ſit futura domus in idea artificis præſciri dicitur, quoniam idea eſt cauſa domus, ut determinata per voluntatem ipſius artificis.

§. 3.

Adducuntur quadam Adversariorum explicationes ad dicta Divi Augustini testimonia & refelluntur.

433. DUplici potissimùm solutione conantur adversarii præfata ac similia Divi Augustini testimonia eludere. Quidam asserunt imprimis, quòd quando Divus Augustinus ad certam futurorum cognitionem atquæ præscientiam requirit ac desiderat prædestinationem, in qua illa præsciat, seu decretum efficax divinæ voluntatis, illi sermo est de decretis absolutis, quæ ad scientiam visionis spectant, non autem de decretis conditionatis, & præsupponentibus præscientiam illam conditionatam futuri eventus, sive scientiam mediam. Secundò alii respondent, quòd quando Sanct. Doctor rejicit præscientiam futurorum à decreto ac Prædestinatione sive prædefinitione Dei independentem, solummodo illam reprobat quantum ad modum illum erroneum, quo à Semipelagianis admittebatur, ac constituebatur, asserentibus videlicet, priùs Deum præscire bona electorum opera, ut fidem, quæ illi facturi erant ex se ac suapte natura incipientes bene operari, quos postea Deus adjuvaret auxilium suæ gratiæ conferendo, atque ex ejusmodi Deo offerri motiva idonea prædestinationis, & gratiæ dandæ: non autem rejicit præscientiam qua Deus præscit bona opera futura ex gratia Dei, ad quæ sequatur prædestinatio. Hinc P. Amicus disp. 12. sect. 12. num. 218. illum locum Augustini de prædestinat

destinat. Sanctor. cap. 10. *Prædestinatione Deus ea præscivit; quæ fuerat ipse facturus*, ita exponit: Quæ conditionata præscivit, non præscivit futura ex sola voluntate hominum, sed dependenter à suamet electione & decreto purè conditionato: quia quæ sub conditione præscivit erant ea ipsa, quæ fuisset ipse facturus: quæ pendent ab electione Dei, sive actu posita sive sub conditione ponenda.

Sed prima evasio efficaciter refellitur, primò: 434.
quia Divus Augustinus locis citatis ex lib. de prædest. Sanct. de illis futuris mentionem facit, de quibus à Sanctis Prospero & Hilario fuerat per literas requisitus: sed de futuris conditionati fuerat ab eis requisitus, an ante decretum divinæ voluntatis vel post ipsum certò à Deo cognoscerentur: ergo in citatis locis Divo Augustino potissimùm & unicè est sermo de futuris conditionatis an ista ante vel post decretum illud certò cognoscantur. Major patet nam in illo opere de prædestinatione Sanctorum respondet D. Prosperi & Hilarii epistolis, quibus ad ipsum scripserant de dogmatibus Semipelagianorum, ut constat ex initio illius. Minor etiam manifesta relinquitur ex his quæ suprà §.1. retulimus ex dictis epist. Hilarii & Prosperi. nam inter cætera D. Prosper de Semipelagianis assignantibus rationem cur quidam absq; baptismo decederent & subinde antequam peccassent ipsi damnarentur; alii verò absque propriis meritis baptismum susciperent, & salutem æternam consequerentur, hæc de illis scribit: *Tales aiunt perdi, talésque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina prævîderit.* Sed hoc futurum est

conditionatum; ergo loquitur Prosper de futuris conditionatis. Quapropter statim subdit Semipelagianos *futura quæ non sunt futura confingere*: futura autem quæ non sunt simpliciter & absolutè futura, nonnisi conditionata esse possunt.

435. Et statim de adultis cur quibusdam prædicetur, aliis verò non promulgetur Evangelium, introducit D. Prosper loquentes eosdem Semipelagianos & dicentes, *Pravisos à Domino credituros: & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora, ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonum credulitas voluntatum.* Sed futura illa expresse conditionem involvunt, reddunt enim hunc sensum, Deus non prædicavit quibusdam, quibus prædicasset, si prævisi fuissent credituri; & Deus his quibus prædicavit, non prædicasset nisi essent credituri: ergo ibi erat sermo de futuris conditionatis.

436. Deinde Sanct. Hilarius de illis refert, quòd asserant, *Iudicari quenquam non secundùm merita, quæ habuit quandiu fuit in corpore, sed secundùm merita, quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore*: quod futuram conditionem involvit, à Deo præscitam, sicuti & futura illa merita sub eadem conditione. Et iterum, *Cùm autem dicitur eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit; dicunt id præscientia esse divina, ut eo tempore & ibi, & illis veritas annunciaretur, quando & ubi prænuntiabitur esse credenda.* Quæ pariter conditionem implicant, nimirum decrevisse eis prædicare supposito quod vellent credere: atque illis, quibus Evangelium annuntia

nuntiatum non est futurum fuisse ut annuntiaretur, si præsciri fuissent velle credere.

Secundò refellitur hæc evasio: futura salus cujuslibet præscita & volita à Deo in sententia adversariorum, necessariò conditionem istam involvit, si velit, seu voluerit ipse salvari: ergo est futura conditionatè, & ut talis præscitur, ac præfinitur seu decernitur à Deo. Probatur antec. nam adversarii, ut infrà ostendetur q.19. art. 6. Illud Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ita interpretantur, si ipsi voluerint: ergo, secundùm illos, salus futura cujuslibet præscita & volita à Deo necessariò est conditionatè volita & præscita; ac futura conditionatè. Et subinde fides futura, & alia bona opera: sed de his in libro de prædest. Sanct. potissimùm loquitur D. Augustinus, ut patet: Ergo loquitur de futuris conditionatis, qualia à semipelagianis admittebantur. 437.

Tertiò impugnatur: Divus Augustinus asserit Deum præscire ejusmodi futura in prædestinatione sua, hoc est, proposito & decreto suæ voluntatis de illorum futuritione decernentis, ut probatum est suprà: sed secundùm communiorem adversariorum sententiam, Deus futura absoluta præscit in veritate objectiva ipsorum; ergo neque de futuris absolutis possunt in sententia adversariorum, hæc testimonia D. Augustini legitimè exponi. Præterea, illud quod infallibiliter in alio cognoscitur, debet necessariam connexionem cum illo habere; sicuti conclusiones necessariò in illis duntaxat principiis cognoscuntur, cum quibus necessariam & infallibilem habitudinem sortiuntur ac necessitatem habent; unde conclusio necessaria ex 438.

ex propositionibus probabilibus illata certò non cognoscitur in illis: sed D. Augustinus asserit futura illa à Deo in prædestinatione sua præsciri atque subinde infallibiliter cognosci: ergo debent habere infallibilem connexionem cum prædestinatione divina,& necessariam habitudinem ad illam dicere; tanquam ad causam & principium de se efficax & causans futurum illud, & non purè indifferens & expectans determinationem à libero arbitrio creato, seu eventu futuro. Nam quod est principium de se indiferens & ad utrumlibet se habens, non potest esse principium necessarium, seu in quo aliquid aliud necessariò cognoscatur; quia necessariam dicit determinationem seu obligationem ad unum: ergo illa prædestinatio operum quæ Deus facturus est in nobis, ut ait Augustinus, non præsupponit præscientiam aliquam conditionatam, quinimo præscientia supponit illam tanquam medium & principium in quo futura quælibet cognoscat: & sic è medio tollitur media illa scientia, quæ secum non compatitur; aut minimè præsupponit decretum aliquod divinæ voluntatis de se efficax & causalium infallibiliter ipsius eventus futuri.

439. Conf. idcirco à Divo Augustino dicuntur futura absoluta cognosci à Deo in sua prædestinatione certò & infallibiliter, quoniam infallibilem connexionem habent cum illâ, ceu causâ futuritionis illorum: sed sicuti habent futura absoluta cum prædestinatione seu decreto,absoluto Dei infallibilem connexionem, ita futura conditionata cum conditionato: Ergo pariter & ista in decreto conditionato cognoscere debet, & subinde præscientia ejusmodi conditionatorum

natorum ad illud ſequitur, & non ipſum antevertit, atque ſubinde non poteſt eſſe præſcientia illa conditionata, ſive ſcientia media ab adverſariis aſſerta.

Quod ad ſecundam ſolutionem ſpectat, jam rejecta eſt ſuprà §. 1. ubi oſtenſum eſt, præſcientiam illam conditionatam reprobatam in Semipelagianis à Divo Auguſtino, quoniam ab eis conſtituebatur reſpectu bonorum operum ex naturæ viribus provenientium, ut initii fidei, ſed etiam quatenus ab eiſdem aſſerebatur prævenire conſtitutionem & decretum efficax divinæ voluntatis decernentis de futuro eventu. Et præterea fusè refelletur infrà in tractatu de prædeſtinatione. Unde breviter impræſentiarum contra illam arguemus, primò, quoniam S. Auguſtinus nedum prædicto lib. de prædeſt. Sanct. impugnat Semipelagianos aſſerentes ex nobis eſſe fidei initium, & præſcire Deum quòd ſi quibuſdam prædicaretur Evangelium ex ſeipſis eſſent credituri, ſed pariter rejicit omnem præſcientiam, qua Deus præſciat & prævideat homines non ex ipſo Deo donante ut credant, credituros, ſi illis Evangelium prædicaretur, ut conſtat ex verbis allatis ſuprà, in quibus perpetuò ſtabilit, Deum facere ut homines faciant bona illa quæ requiruntur ad Deum colendum, & promittere de ſua poteſtate quæ ipſe facturus eſt in nobis, ut fidem, non autem de noſtra poteſtate: ſed præſcientia illa, quâ Deus præſcit homines credituros ſi eis prædicetur Evangelium, & ipſe contulerit gratiæ ſuæ auxilium, non eſt præſcientia qua præſciat ſe facturum ut homines credant, ſed qua credituri præſciuntur ſi velint conſentire: ergo & iſtam præſcien 440.

praescientiam conditionatam rejicit D. August.

441. Conf. D. Augustinus rejicit opinionem Semipelagianorum constituentium homines sub auxilio gratiae dante posse perseverandi ex se perseveraturos, reddendo illud auxilium efficax ad perseverandum, ut constat ex libro de dono perseverant. Et suo loco ampliùs ostendemus: Ergo pariter rejicienda venit, secundùm doctrinam S. Augustini, sententia illa quae constituit, praescire certò Deum qui sint credituri sub auxilio gratiae dante posse ad credendum, quòd ex consensu liberae voluntatis creatae efficax reddatur, quae est praescientia conditionata, sive sciétia media, quoniam par utrobique curritratio

442. Secundò impugnatur: Esto D. Augustinus tam in lib. de praedestinat. Sanct. cap. 12. 13. 14. & 17. quàm in lib. de dono perseverant. nec non epist. 105. hanc praescientiam conditionatam damnet, quatenùs à Semipelagianis constituebatur causa praedestinationis & gratiae, tamen pariter in d. lib. de praedestinat. Sanct. cap. 9. illam rejicit, quatenus certa in Deo constituebatur ante omne divinae voluntatis decretum decernentis de futuritione rei, ubi incipiebat de hujusmodi praescientia tractare, evertens primam veluti radicem, ex qua Pelagiani ac Semipelagiani deducebant esse causam praedestinationis, ut salvarent libertatem creatae voluntatis se determinantis ad operandum, ut constat ex dictis. Quod etiam alibi praestitit ex duplici illo capite refellens dictam praescientiam conditionatam, nimirum quia afferebatur causa praedestinationis, & ponebatur esse certa ante decretum divinae voluntatis. Et ut alia loca omittam constat hoc imprimis ex lib. 2. ad Bonifac.

niſac. cap. 7. ubi redarguens Pelagianos qui prædeſtinationem illam & gratiam facientem operari ab Auguſtino & Catholicis traditam fati nomine accuſabant, *Hic reſpondetis,* inquit, *hanc ipſam Dei benevolentiam, qua non merita ſequitur, ſed bona indebita gratuitâ bonitate largitur, fatum potiùs eſſe dicendum &c.* Poſt multa, quibus nervosè id impugnat ſubjungit. *Propter quod profectò deſipitis, qui dicente veritate, non ex operibus, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Iacob fuiſſe dilectum: atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus; quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus: ſed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret: Sed ut vobis auferretur omnis veſtra caliginis latebra, propterea geminos tales propoſuit, qui neque parentum meritis juvarentur, & ambo infantiæ primordio unus baptizatus, alter ſine baptiſmate morerentur, ne diceritis Deum, ſicut de Iacob & Eſau contra Apoſtolum dicitis, opera eorum futura præſciſſe.* En quomodo Auguſtinus præſcientiam cujuſlibet futuri operis, ex Apoſtoli doctrina, ſimpliciter & abſolutè rejicit, & negat eſſe cauſam prædeſtinationis.

Si dicatur rejicere duntaxat præſcientiam operum futurorum quæ præſciebantur ex naturæ viribus facienda, & non ex gratiæ auxilio; idem objiciam quòd ipſe Auguſtinus de doctrina Apoſtoli, *Quaſi non poſſet dicere Auguſtinus, non ex operibus bonis futuris ex naturæ viribus faciendis; ſed ait, non ex operibus futuris,* ſi ergo Apoſtolus dicendo *non ex operibus* quælibet opera, ſecundùm Auguſtinum negavit, tam præſentia quàm futura, ut gratiam commendaret, 443

mendaret, cur asserens Augustinus non vocari aut prædestinari quenquam ex futuris operibus, quæ Deus facturum ille præsciebat, non erit intelligendus absolutè & simpliciter de quibuslibet futuris operibus? Forsan latuit Augustinum futura opera posse fieri ex gratia, & absque illa? Absit hoc dicere. Sed jam videamus quid subjungat. *Quomodo enim præscivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præscientia ejus falli non potest præscivit potiùs non futura?* Q. d. Præscientia Dei falli non potest: ergo non potest præscire futura, quæ certò futura non sunt: nam si certò futura non sint, infallibilem cognitionem terminare non possunt: sed bona illa opera in infantibus decessuris in primordio ætatis, certò futura non sunt, sed potiùs non futura: ergo Deus non præscivit ea ut futura, sed potiùs ut non futura. Vide quomodo S. Doctor rejiciat præscientiam illam conditionatam à Pelagianis assertam, quoniam constituebatur ab eis certa respectu quorundam futurorum, quæ certò futura non erant, sed potiùs non futura. Postea addit, *Aut quid prodest eis, qui rapiuntur ex hac vita ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam eorum, si peccatum etiam quod non est factum, dictum, cogitatum, tanquam commissum fuerit sic punitur.* Quibus reprobat eorundem opinionem, quatenus asserebant salvari vel damnari quempiam propter futura opera, quæ si vixisset, patraturus erat. Eadem habet S. D. lib. 1. de anima & ejus origine cap. 12. ubi ex eodem duplici capite præscientiam reprobat: primò scil. quatenus Semipelagiani dicebant judicari infantes, qui rapiuntur è vita sine baptismo

ptiſmo ob peccata, quæ ſi vixiſſent Deus præſcivit eos commiſſuros. Secundò, quia certa ab ipſis conſtituebatur abſque decreto divinæ voluntatis, & de re incerta. Ait enim: *Quid quod ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit. Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?*

§. 4.

Rejicitur ſcientia media teſtimoniis D. Thomæ, & aliorum Patrum.

IN D. Thomæ doctrina & aliorum Patrum multa occurrunt, quæ hanc ſcientiam mediam manifeſtè oppugnant. Primò quidem, quoniam nedum S. Auguſtinus, ſed etiam SS. Proſper, Hilarius, Fulgentius, & D. Thomas nervosè impugnant præſcientiam illam ſive prævisionem meritorum, quæ ſit cauſa prædeſtinationis ac certitudinis illius: ſed hoc eſt apertè reprobare atque rejicere ipſam ſcientiam mediam: ergo illi convincuntur prædictam ſcientiam omnino reprobaſſe atque refelliſſe. Minor conſtat, nam eo præcipuè fine admittendam cenſent adverſarii hanc ſcientiam mediam, ut ſalvetur libertas arbitrii in ordine ad infallibilitatem ac certitudinem divinæ prædeſtinationis, atque efficacitatem gratiæ, quam quidem arbitrii libertatem cohærere non poſſe contendunt Adverſarii ſi ponatur Deus in prædeſtinatione ſua præſcire futura bona opera, abſque eo quod illam præcedat præſcientia futuri conſenſus liberi. Major verò infrà q. 23. art. 5. oſtendetur copiosè ex teſtimoniis eorundem SS. Patrum ſcil. Proſperi, Hilarii & Fulgentii, 444.

gentii: impræsentiarum contenti erimus id D. Thoma comprobare. Occurrit pro hac re imprimis celebre testimonium ex quæst.6. de verit. art. 3. c. ubi ait: *Non enim potest dici quòd prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addat nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato scit quòd non deficiet à salute; sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventus: & sic præscientia esset causa prædestinationis; nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum.*

445. Ex quibus ita arguo: Datâ hypothesi, quòd prædestinatio supra providentiam nil aliud addat nisi certitudinem præscientiæ, prædestinatus non differt à non prædestinato ex parte ordinis sed solùm ex parte præscientiæ; & subinde præscientia est causa prædestinationis, neque ista est per electionem prædestinantis, quod est contra S. Scripturam & Patres: sed tota ratio & vis hujus scientiæ mediæ à recentioribus assertæ constitit in danda certitudine divinæ prædestinationi, & ut sit causa cur Deus prædestinet aliquem prævidendo merita futura ipsius: ergo ex doctrina D. Thomæ sequitur, quod sit contra S. Scripturam & dicta sanctorum, & subinde omnino rejicienda. Minor prob. ex P. Molina, qui communiter habetur primus hujus mediæ scientiæ inventor: Nam in concordia sua quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. ita scribit: *Vt explicatum est, in æterna prædestinatione non alia est certitudo, quòd prædesti*

prædestinatus sempiternam sit beatitudinem consecuturus, quam quæ est in divina præscientia. Hoc est sciencia illa media, ut patet ex ibi dictis, & iterum. *Certitudo*, inquit, *quòd parvuli prædestinati vitam æternam consequentur non est ex certitudine mediorum, effectûve prædestinationis, qui in se non est certò futurus; sed ex certitudine divinæ præscientiæ, quâ Deus altitudine sui intellectus, quod in se est incertum potuitque non esse, cognovit certò futurum.* Quod semel & iterum ibidem repetit, & tanquam præcipuum doctrinæ suæ de prædestinatione fundamentum constituit.

Secundò, hanc scientiam mediam apertè rejicit D. Thomas loquendo de eadem prædestinatione 1. p. q. 23. art. 5. ubi refert opinionem quorundam *quid dixerunt, quòd merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis: ut intelligatur, quòd ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum bene usurum gratia; sicut si rex det alicui militi equum, quem scit eo bene usurum:* quibus verbis apertissimè hanc scientiam mediam insinuat, illiusque objectum ut asseritur ab adversariis: sed hanc sententiam ipsæmet S.D.rejicit ibidem affirmans, bonum illum liberi arbitrii usum debere esse ex prædestinatione & gratia, & non ex eo quod præsciatur liberum arbitrium bene usurum fore gratia si tali vocatione vocetur, & gratia ejusmodi illi concedatur: ergo apertè ibi rejicit scientiam mediam, nedum prout ponebatur à Pelagianis & semipelagianis asserentibus bonũ illum usum præscitum non esse quoad sui initium ex gratia, sed etiam prout constituitur à recentioribus asseveran 446.

asseverantibus illum esse ex gratia & libero arbitrio creato.

447. Tertiò idem S. D. hanc scientiam mediam reprobat eadem quæst.6.de verit. art.3. ad 4.ubi ait: *Ordo divinæ prædestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanæ nihilominus tamen absolutam habet certitudinem*; quoniam scil. non præsupponitur ad decretum prædestinationis, sed est effectus ejus, ut præmiserat, *Ad* 4. *dicendum*, ait, *quòd causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subjacet; & ideo ordo divinæ prædestinationis, &c.* Sed si prædestinatio regularetur, & haberet certitudinem per illam præscientiam conditionatam, sive scientiam mediam, non haberet certitudinem absolutam: sed conditionatam, ut patet, fundatam nempe in consensu & determinatione liberi arbitrii creati volentis divinæ vocationi consentire: ergo vel illa scientia Media omnino superflua est ad regulandam divinam prædestinationem, dandamque illi certitudinem, ad quod minus potissimum adinventa est ab adversariis, vel rejicitur à D. Thoma asserente prædestinationem habere certitudinem absolutam & non conditionatam.

448. Quartò S.D. in hac quæst.14.art.9.& q.2. de verit. art.9.ad 2. atque alibi non semel, duplicem tantùm in Deo distinguit scientiam, nimirum visionis, quâ Deus videt omnia quæ sunt in actu, fuerunt, & erunt sive præsentia, præterita, & futura: atque scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognoscit omnia quæ sunt in potentia Dei vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt: vel duplicem

cem

cem distinguit scientiam, ut purà necessariam sive naturalem atque liberam: sed scientia media à Recentioribus asserta neque est visionis aut libera, neque simplicis intelligentiæ vel naturalis ac necessaria: ergo D. Thomas illam scientiam non admisit, vel ipse cum omnibus aliis antiquis Theologis diminutus fuit in tradenda divisione scientiæ divinæ, quod de tanto Doctore non est asserendum.

In assignando & explicando qualis sit illa 449.
scientia media multum variant illius defensores. Molina in Concord. disp. 52. §. *Triplicem*, & §. *Sciscitabitur*, nec non P. Vasquez, & P. Lessius cap. 19. Author opusculor. Theologicor. atque alii asserunt hanc esse reducendam ad scientiam simplicis intelligentiæ, sive necessariam ac naturalem.

Contra: Ex eodem D. Thoma quæst. 2. de 450.
verit. art. 9. ad 2. *Scientia simplicis notitia & visionis nullam differentiam important ex parte scientis: sed solùm ex parte rei scita. Dicitur enim scientia visionis in Deo ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur. Unde per scientiam visionis Deus scire non dicitur nisi qua sunt extra ipsum, qua sunt præsentia, vel præterita, vel futura. Sed scientia simplicis notitia etiam est eorum, qua nec sunt, nec fuerunt, nec erunt. Nec alio modo Deus scit ista & illa.* Similiter scientia naturalis & libera ex parte scientis sive actus divini minimè distinguuntur, sed ex parte actus omnis scientia est necessaria, sicuti sumitur ex eodem S. D. qu. 23. de verit. art. 4. cap. ubi ait: *Dicendum quod divinum velle necessitatem habere ex parte ipsius volentis & actus indubitabiliter verum est; nam actio Dei est*

ejus essentia, quam constat esse æternam (& subinde necessariam, quoniam omne æternum necessarium est :) quod multò magis verificatur de actu divini intellectus sive scientiæ divinæ, quæ pariter est ejus essentia : debent ergo distingui ex parte rei scitæ, vel ordinis ad illam : sed ex parte rei scitæ vel ordinis ad illam scientia media non respicit objectum scientiæ simplicis intelligentiæ aut necessariæ ac naturalis, neque eundem dicit ordinem ad illud atqui scientia naturalis aut simplicis intelligentiæ : ergo non potest dici scientia simplicis intelligentiæ aut necessaria. Prob. minor, nam scientia simplicis intelligentiæ respicit merè possibilia, quæ nec sunt, nec erunt, neque fuerunt : scientia naturalis quæ sunt necessaria, nec possunt non esse : sed objectum ipsius scientiæ mediæ, quod est conditionatè futurum non est purè possibile, aut necessarium, sed est contingens & liberum : ergo ex parte objecti vel ordinis ad illud scientia media non respicit objectum proprium scientiæ simplicis intelligentiæ aut necessariæ. Patet major ex dictis suprà. Minor verò prob. quoad 1. partem primò : quoniam futurum conditionatum dicit actualem ordinem ad existentiam conditionatè futuram, ut probabitur infrà & purificata conditione reducitur in actum ; v. g. hoc futurum conditionatum, Deus vult omnes homines salvari, vel fore salvos, si velint (ut explicant adversarii) purificatâ multis conditione, qui liberè consentiunt vocationi accedente auxilio gratiæ, reducitur in actum, & fiunt salvi, ut constat, & docent ipsimet adversarii : similiter illud futurum (de quo toties occurrit mentio) *si in*

Tyro

Tyro & Sidone, &c. Licèt tempore prædicationis Christi impletum non fuerit, tamen impletum fuit, cùm postea prædicantibus Apostolis Tirii & Sidonii crediderunt, quemadmodum inter alios docent D. Remigius in Catana D. Thomæ Matth. cap. 11. Theophilactus, & Lyranus in glossa ad eundem locum: sed merè possibile neque dicit actualem ordinem ad existentiam, etiam conditionatè futuram, nec ullo pacto unquam reducetur ad actum, sed simpliciter neque est, neque erit, neque fuit: ergo non est purè possibile. Deinde, si illud futurum conditionatum est merè possibile, non est cur multiplicetur alia scientia præter scientiam simplicis intelligentiæ, quæ per se circa merè possibilia causatur. Quoad secundam verò partem probatur eadem minor, quoniam voluntas posita in talibus & talibus circunstantiis, in quibus etiam Deus offerat suum concursum, liberè est operatura & non necessariò, & hoc cognoscitur à Deo, ut aiunt, per scientiam illam mediam: ergo scientia media est de objecto libero, & non necessario. Præterea, scientia futurorum absolutorum, præsertim quæ pendet à libertate creata, est simpliciter libera: ergo etiam scientia futurorum conditionatorum, quæ pendent à voluntate creata libera, simpliciter erit libera & non necessaria: quoniam conditio illa non est necessaria necessitate consequentis sed ut maximè necessitate consequentiæ, quæ non tollit libertatem, ut ampliùs declarabitur infrà q.19. & 23.

Quapropter alii asseverant scientiam mediam pertinere ad scientiam visionis seu liberam; Ita P. Suarez apud Lemos tomo 1. Panopl. p. 2. 451.

tract. 5. cap. 11. & alii non pauci. Quinimo cùm Romæ causa hæc ageretur Patres Societatis in quodam Manuscripto Judicibus ac censoribus oblato apertè affirmarunt ad scientiam visionis spectare, quemadmodum refert idem M. Lemos loco citato, Quoniam scilicet ex objecto potissimè scientia denominatur, objectum autem ejusmodi scientiæ est quid liberum futurum sub conditione.

452. Contra: Actus quilibet sive intellectus, sive voluntatis dicitur & est simpliciter necessarius vel liber ob antecedentia vel subsequentia ad libertatem subjecti in quo est; v. g. idem actus si antecedat deliberationem rationis & voluntatis, ut motus primo primus, est naturalis: si subsequatur est liber: sed scientia illa media, quæ est actus divini intellectus, in Deo simpliciter antecedit omnem libertatem, seu decretum liberum divinæ voluntatis: ergo non potest dici neque esse libera, saltem simpliciter. Conf. quoniam, ut aiunt adversarii, Deus præscit quid divina voluntas operatura sit: sed hoc necessariò præscit, quoniam naturaliter cognoscit & comprehendit seipsum: Ergo illa scientia nequit dicit libera.

453. Respondent adversarii, quod licèt ista scientia omnem actum liberum divinæ voluntatis antevertat; neque sit in Dei potestate aliud per illam scire quam scivit: tamen est in potestate hominis aliud facere, quàm reipsa facturus est & subinde etiam efficere quòd Deus aliud sciat, quàm reipsa scivit. Sed contra primò, ergo aliquid est in potestate hominis facere quod non est in potestate Dei, & homo potest aliquid facere, quod non potest facere Deus ut ipse faciat:

ciat: quod injuriosum est divinæ omnipotentiæ, & manifestè reprobatur ab Augustino lib. de corrept. & grat. cap. 14. vbi ait; quòd *Deus de ipsis hominum voluntatibus quod vult facit*: Et quòd *sine dubio habet humanorum cordium quocunque voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Quòd *magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas.*

Contra secundò, quia ex hoc sequeretur manifesta implicatio, videlicet quòd illud fu- 454.
turum conditionatum sit contingens & non contingens. Primum probatur, quia homo in tali rerum ordine constitutus illum actum à Deo prævisum conditionatè, ut fatentur ipsimet adversarii, operatioque illius erit libera. Secundum etiam constat, qua id quod Deus non potest impedire ne eveniat, omnino necessariò evenit, & subinde futurum contingens minimè appellari aut esse potest. Quod si dicatur, esse futurum contingens respectu causæ secundæ, non autem respectu primæ, hoc implicat: quoniam cùm contingentia & libertas sint quidam modi reales entis sequeretur aliquem modum entis esse à creatura, quod non esset à Deo. Vide infrà quæst. 19. art. 8. ubi hoc refellitur.

Tandem alii respondent, quòd neque est sim- 455.
pliciter libera, neque naturalis, sed medium quidpiam. Contra: actus ille cognitionis sive scientiæ in Deo debet procedere ab intellectu divino, secundùm modum intelligendi, vel ut à potentia naturali & determinata ad unum, vel ut à potenta libera & indeterminata ratione voluntatis adjunctæ: cùm esse determinatum, & esse indeterminatum contradictoriè opponantur: si primum est scientia naturalis ac neces-

faria : si secundum est scientia libera : ergo esse debet naturalis vel libera, & non quid medium inter utramque. Conf. in hominibus, in quibus non dantur actus indeliberati (ut in beatis secundùm probabilissimam opinionem) omnis actus est simpliciter necessarius, aut simpliciter liber : sed in Deo nullus est actus indeliberatus, quippe qui imperfectus ; ergo omnis actus illius vel est simpliciter necessarius, vel simpliciter liber.

456. Dices, quòd diversis rationibus sub naturali scientia, ac libera continetur : Si enim consideretur quatenus est de objecto libero, quod potest pro humana libertate esse, & non esse, est censenda libera : Si verò consideretur quatenus antecedit actum liberum divinæ voluntatis, illa non est libera. Contra : actus antevertens rationem deliberatam & liberè operantem, quantumcunque sit de objecto contingenti & libero, simpliciter est necessarius reputandus ; v.g. motus primò primus iræ vel concupiscentiæ de objecto libero quod potest liberè amari, & tamen quoniam antevertit rationem deliberatam, & ex consilio operantem est simpliciter naturalis : Ergo scientia media antevertens actum liberum divinæ voluntatis, simpliciter debet dici necessarius & naturalis. Innumera sunt alia loca in doctrina D. Thomæ, quæ manifestè contradicunt positioni hujus scientiæ Mediæ : à quibus consultò abstinemus, tum quia supra tacta sunt, & infrà non semel inculabuntur : tum quia omnes fere Interpretes Sanct. Doctoris in comm. hujus articuli illa adducunt, ibi videnda. Confusè etiam M. Lemos tomo 1. Panopl. part. 2. tract. 5. cap. 20.

§. 3.

§. 3.

Impoſſibilitas ſcientiæ Mediæ oſtenditur ratione deſumpta ex incertitudine objecti.

PRobatur deinde ratione : ante decretum divinæ voluntatis non poteſt eſſe certa prænotio futurorum conditionatorum : Ergo neque ſcientia media. Probatur antecedens quod non eſt certò ac determinatè futurum, ſeu dicens determinatum ordinem ad eſſe non eſt certò cognoſcibile ut futurum eſt, cùm non habeat determinatam veritatem, quæ ad determinatum eſſe conſequitur : ſed futurum conditionatum ante decretum divinæ voluntatis non eſt certò & determinatè futurum : Ergo non eſt certò & infallibiliter cognoſcibile. Minor prob. primò, ante decretum abſolutum divinæ voluntatis nihil eſt certò & determinatè futurum abſolutè, ut oſtenſum eſt ſuprà : Ergo ante decretum conditionatum divinæ voluntatis nihil eſt futurum certò conditionatè. Conſeq. patet à paritate rationis, quoniam ſic ſe habet futurum conditionatum ad fore ſeu ad eſſe ſub conditione habendum, ſicuti ſe habet futurum abſolutum ad fore, ſeu habendam exiſtentiam abſolutè.Prob. ſecundò eadem minor : Nihil eſt determinatè futurum conditionatè, niſi quatenus dicit determinationem cauſarum ad productionem illius conditionatè : ſed futurum conditionatum non dicit determinationem hujuſmodi ante decretum divinæ voluntatis hujuſmodi futuritionem ſub conditione præfinientis atque decernentis : Ergo futurum conditionatum ante hujuſmodi divinæ voluntatis decretum non eſt 457.

certò & determinatè futurum. Major probatur nihil est absolutè futurum nisi quatenus dicit determinationem causarum ad productionem absolutam illius rei, seu quatenus importat determinatum ordinem ad existentiam absolutè habendam, ut probatum est suprà *capit.*1. Ergo nihil est determinatè futurum conditionatè nisi quatenus dicit determinationem causarum ad productionem illius conditionatè, seu determinatum ordinem ad existentiam sub conditione habendam. Consequentia patet, quia est par ratio de utroque, nec enim conditio rationem futuri variat, aut tollit.

458. Minor etiam prob. vel futurum conditionatum habet hujusmodi determinationem in causa prima, vel in causis proximis, vel in seipso: quodlibet istorum dicatur, talis determinatio semper erit dependenter à decreto divinæ voluntatis tanquam à causa & radice: Ergo futurum conditionatum non dicit determinationem illam ante decretum divinæ voluntatis futuritionem illius sub conditione præfinientis atque decernentis. Minor prob. imprimis non habet determinationem illam in causâ prima, neque etiam in suis causis proximis independenter à divino decreto, sicut fusè probatum est suprà *cap.* 12. §. 2. Deinde neque in seipso: quoniam nequit futurum esse determinatum in seipso nisi priùs intelligatur determinatum in causis suis: sed non est determinatum in causis suis: Ergo neque in seipso. Major prob. 1. non habet esse actu nisi dependenter à causis suis, neque fit actu nisi quia priùs erat in causis illius ut fieret quemadmodum docet D. Thomas 1. *parte qu.*16. *art.* 7. *ad* 3. hoc est enim rem esse futuram, quòd sit

ſit virtus & inclinatio in cauſa ad producendam illam: Ergo nequit illud eſſe determinatum in ſeipſo, niſi priùs intelligatur determinatum in cauſis ſuis. Probatur ſecundò quod in ſeipſo nihil eſt, nequit in ſeipſo determinationem ad eſſe habere: ſed quodlibet futurum, antequam actu ſit, in ſeipſo nihil eſt actu, alioquin non eſſet ampliùs futurum ſed exiſtens, & ab æterno daretur aliqua realis entitas extra Deum: Ergo in ſeipſo non habet determinationem ad eſſe independenter à cauſis ſuis.

Conf. futuritio conditionata ſupra ſtatum puræ poſſibilitatis aliquid debet addere, ratione cujus rei dicatur conditionatè futura realiter, & extra ſtatum illum; hi enim ſtatus inter ſe opponuntur, ſeu diſtinguuntur: ſed non poteſt addere niſi ordinem certum & determinatum ad eſſe ſub conditione habendum; à quo ſtatus puræ poſſibilitatis præſcindit: Ergo illum ordinem actu dicit: Sed non niſi dependenter à decreto illo: Ergo futuritio conditiónata, illiuſque certitudo eſt omnino dependens à decreto divinæ voluntatis illius futuritionem ſub conditione decernentis. Probar. iſta minor: Deus ad extra agit liberè & quilibet effectus ab illo dependet ut opus ſeu artificiatum ab artifice, ut ſæpius dictum eſt: ſed radix agendi liber eſt poſitum ſeu decretum voluntatis; unde & hujuſmodi agens vocatur agens ex propoſito: Ergo impoſſibile eſt, ut aliquid dicat determinatum & actualem ordinem ad eſſe independenter à decreto ſeu beneplacito divinæ voluntatis. Vide ſuprà. *dict. cap.* 12. §. 2. 459.

Conf. 2. nullum futurum ſingulare in materia contingenti habet determinatam veritatem: 460.

ergo

ergo non est certò cognoscibile. Probatur primò anteced. ex Arist. lib. 1. Peraherm. capit. 8. ubi ait: *In his igitur quæ sunt & fuerunt necesse est affirmationem vel negationem esse veram vel falsam in singularibus autem atque futuris non similiter se se res habet.* Quoniam scilicet in his una non est determinatè vera & altera determinatè falsa: non enim est in eis determinatio ad ad esse, ut in præsentibus & præteritis. Deinde prob. idem antec. ut aliqua propositio sit determinatè vera, debet enunciare certò, & determinatè objectum sicuti est; ex eo enim quòd res est vel non est propositio dicitur vera vel falsa: Ergo ut ex duabus propositionibus conditionalibus de futuro contingenti, altera affirmativâ & alterâ negativâ, una sit determinatè vera, ut putà affirmativa, necessariò ac determinatè debet enuntiare objectum sicuti est, nimirum futuritionem illius rei; & subinde quod infallibiliter sit ponenda in re illicò existentia, saltim conditionatè: sed hoc implicat esse ante omne decretum divinæ voluntatis: ergo implicat quòd ante decretum divinæ voluntatis determinatam habeat veritatem. Minor probatur cùm aliquid ex se est tale, non potest non esse tale, nisi ab alio fiat non tale: sed futurum contingens ut tale de se est indifferens ad esse & non esse, aliàs necessarium esset; ergo impossibile est ut sit non tale nisi ab aliquo determinetur ad fore, seu ad habendam existentiam: primum autem determinans aliquid ad esse extra est divina voluntas, nihil enim habet extra esse, nisi Deus voluerit.

§. 6.

§. 6.

Adversariorum quædam evasiones præcluduntur.

HAnc rationem variè eludere conantur Adversarii. Respondent aliqui primò, his argumentis tantùm convinci futura conditionata habere determinationem à decreto divino, non tamen actu existente in Deo sive subjectivè in divina voluntate, sed quod esset si conditio si talis futuri conditionati poneretur in esse: hoc enim decretum ut objectivè repræsentatum divino intellectui sufficit ad causandum determinatam varietatem in illo futuro conditionato, nec requiritur decretum realiter ac physicè præexistens ut in futuro absoluto. Cujus discriminis hanc rationem assignant: quòd res conditionatè futura non est effectus absolutè existens physicè, sed tantùm objectivè. Quapropter nullatenus requirit influxum vel decretum divinum realiter existens, ac physicè præsens, sed tantùm objectivè: id est, sufficit, quòd Deus cognoscat se habiturum decretum actuale ex hypothesi, quòd causa libera creata in tali rerum ordine constituta operatura sit. Res autem absolutè futura est effectus simpliciter & physicè existens: quapropter exigit decretum actu & physicè existens, seu exercitum & actu positum: quoniam, inquiunt, existentia causæ habere debet proportionem cum effectu. 461.

Hæc evasio multipliciter retundi potest, & everti, primò quidem: quia si illud decretum aliquo modo esset futurum & non physicè existens 462.

stens in Deo, illa futuritio se teneret ex parte actus divini; decretum enim divinum est quidam actus divinæ voluntatis & intellectus, seu voluntatis per ordinem ad intellectum: sed implicat quòd ex parte auctus divini sit aliqua futuritio in Deo: ergo implicat decretum illud ex hypothesi esse futurum. Prob. min. futurum quodlibet de se importat aut annexam habet aliquam potentialitatem ad actum existentiæ, & subinde mutationem infert, cùm potentialitati sit intrinsecè annexa mutabilitas, ex eo quod in actum reduci potest: sed omnino implicat in divino actu & essentia aliqua ratio mutabilitatis, vel potentialitatis, cùm de se sit actus purus & omnino immutabilis: ergo etiam implicat quod ex parte actus divini sit in Deo aliqua futuritio etiam ex hypothesi. Major patet, nam futurum dicitur quod actu non est, erit autem pro aliqua temporis differentia: vel potiùs, quod est determinatum in causa ad habendam existentiam pro aliqua duratione sequenti, saltem conditionatè, si conditionatum est. Vide suprà *cap.* 1.

463. Conf. nequit prorsus intellectus divinus esse sciens secundùm habitum, ut docet D.Thomas *quæst.* 2. *de verit. art.* 13. nam scire in habitu involuit potentialitatem ad actum scientiæ, ad quem potest reduci, & subinde involvit mutabilitatem & imperfectionem: ergo pariter nequit esse volens quasi in habitu propter eandem rationem, quod eveniret, si in illo daretur aliquod decretum futurum & non physicè existens.

464. Nec valet dicere, quòd equidem repugnat decretum futurum absolutè, non autem conditionatè:

tionatè: primò quoniam nulla hypothesi data potest esse in Deo potentialitas aut mutabilitas, quoniam essentialiter est purus actus & immutabilis; sicuti nulla hypothesi data potest esse homo irrationalis, quoniam essentialiter rationalis est, tunc enim non remaneret homo, neque etiam Deus remaneret si mutabilis esset, vel in potentia, quoniam non esset ampliùs actus purus: sed si daretur actu tale decretum futurum ex hypothesi, posset Deus ex aliqua hypothesi mutari nimirum facta suppositione, quòd purificata conditione futurum conditionatum in actum reduceretur, immo de facto evenit secundùm sententiam Adversariorum; ipsi enim asseverant, quòd Deus habeat actu generale quoddam decretum conditionatum de salvandis omnibus hominibus, factâ hypothesi quòd velint; quod non est dubium purificatâ conditione in plurimis hominibus actu transire in absolutum & effectum habere: ergo nequit ullo pacto dari decretum futurum etiam ex suppositione in Deo. Secundò, quia neque Deus ex parte actus etiam conditionatè potest esse sciens in habitu, ut patet: ergo neque volens vel decernens aliquid in habitu: & subinde nequit habere decretum conditionatum futurum. Tertiò, ideo nequit dari decretum absolutum futurum, quia hoc dicit potentialitatem & imperfectionem ex parte actus: sed etiam hanc dicit decretum illud conditionatum, si futurum ponatur: ergo par currit ratio. Tandem, antequam futurum absolutum actu in tempore producatur, secundùm Adversarios, est duntaxat objectivè existens ab æterno in Deo: sed causa, ut aiunt, debet proportionari effectui:

effectui: ergo neque futurum absolutum requirit ab æterno in Deo decretum absolutè & physicè existens, sed objectivum, quod reddatur actu & physicè existens tempore productionis effectus.

465. Nec valet dicere disparem esse rationem; quoniam scil. futurum absolutum quanvis actu ab æterno non existat physicè, habiturum tamen est suam existentiam, non tamen futurum conditionatum. Non inquam vallet quia decretum generale salvandi omnes homines, si & ipsi voluerint, est conditionatum, involvit enim hanc conditionem si voluerint: sed illud existit actu in Deo Physicè; ait enim Apostolus, quod *Deus vult omnes homines salvos fieri*, quod quidem verbum *vult* denotat actum, seu decretum physicè præsens: ergo etiam futurum conditionatum supponit decretum conditionatum actu & physicè in Deo existens. Deinde ut patet multæ promissiones à nobis fiunt sub conditione in quibus effectus est conditionatè futurus, & multoties non ponendus in re, & tamen datur actu decretum volunratis de illo; v. g. promittit quis efficaciter se daturum Petro centum aureos, si iste eum è carcere eduxerit, datur actu decretum de dandis centum aureis, & tamen effectus est conditionatè futurus, & multoties non ponitur in rem ergo etiam in Deo, licet effectus sit conditionatè futurus, tamen decretum debet esse actu existens physicè.

466. Secundò impugnatur præfata evasio: causa in actu & effectus in actu simul physicè: sed esse actu fururum conditionatum est quidam effectus in actu & physicè: ergo petit causam in

in actu, & subinde decretum actuale & physicè existens in divina voluntate. Prob. min. esse futurum sicuti & esse præsens, aut esse possibile sunt quædam differentiæ entis realis & physici seu modi reales illius, & non entis intentionalis & objectivè duntaxat existentis: ergo esse actu futurum etiam conditionatum est quidam effectus in actu & physicè. Prob. antec. nam res dicitur præsens realiter, item & possibilis physicè; ergo etiam futura. Deinde, quia etiam futura, quando actu cognoscuntur habent esse actu objectivè præsens in intellectu: & tamen non sunt præsentia physicè: ergo præsens dicit aliquid reale physicum, & similiter possibile ac futurum.

Conf. licèt res conditionatè futura tempore futuritionis non habeat actuale esse existentiæ, immo interdum illam nunquam habitura sit, tamen est actualiter ordinata ad illud habendum conditionatè; sed nequit dari ordo actu præsens, seu res nequit actu & proximè esse ordinata physicè ad habendam existentiam in re etiam conditionatè absque aliquo decreto actuali & physicè existente ipsius divinæ voluntatis: ergo res conditionatè futura supponit in Deo decretum conditionatum actu existens, & non solùm objectivè. Major patet ex dictis suprà *cap.* 1. & dicendis infrà *cap.* 17. nam etiam pro illo statu res conditionatè futura distinguitur actu à merè possibili: sed hoc non est nisi ob actualem ordinem ad esse, à quo præscindit merè possibile: ergo hujusmodi ordinem actualem importat. Minor verò prob. quia illa ordinatio non est naturalis & necessaria sed libera; liberè enim ordinatur ad quemlibet 467.

libet effectum ad extra, ſicuti ad converſionem Tyriorum futuram ex hypotheſi prædicationis Chriſti & miraculorum viſendorum: ſed omne liberum dependet à decreto ipſius divinæ voluntatis, ceu primi liberi: ergo illa actualis ordinatio requirit decretum actuale, exercitum, & phyſicè exiſtens in Deo. Vide infrà *cit. cap.* 17.

468. Conf. 2. quod tantùm objectivè & intentionaliter exiſtens eſt, nequit producere aliquem effectum realiter; v. g. ignis objectivè exiſtens in intellectu realiter non calefacit: ergo ſi decretum illud conditionatum ſolùm objectivè & non phyſicè exiſtat in Deo, non poterit tribuere realiter determinationem & infallibilitatem ipſi futuro conditionato contingenti; & ſubinde iſtud non poterit à Deo certò præſciri ex vi illius decreti objectivè duntaxat in divina voluntate exiſtentis: quia in re nihil eſt.

469. Tertiò impugnatur præfata evaſio: quod de ſe eſt indifferens & ad utrumlibet, nequit alteri determinationem reipſa præſtare: ſed decretum illud conditionatè futurum de ſe eſt indifferens & ad utrumlibet: ergo quanvis præſupponatur ad ipſum futurum conditionatum; nequit illi reipſa determinationem præſtare. Major patet, nam idcirco ipſimet Adverſarii aſſerunt ejuſmodi determinationem non poſſe ſumi à cauſa proxima quia hæc eſt de ſe indifferens, quapropter non poteſt illam tribuere, quandiu ſub illa indiffentia manet. Minor verò prob. decretum illud ab Adverſariis aſſertum eſt de concurrendo cum voluntate creata ad quod ipſa voluerit, & ſe determinaverit: ergo de ſe eſt.

est indifferens & ad utrumlibet. Si dicas dari aliud decretum determinatum.

Contra: quemadmodum primum decretum illud de concursu parato sicuti & ipse concursus paratus ad utrumlibet non pertinet ad actum secundum, sed primum, constituit enim causam secundam in actu primo potentem agere vel non agere, ita concursus exhibitus, quo in actu secundo cum voluntate nostra concurrit, est ad alteram partem determinatus, & decretum de præstando talem concursum est de requisitis ad agendum, non autem de prærequisitis: ergo sicut ex priori decreto minimè attendi aut sciri potest quòd creata voluntas sit operatura vel non operatura, sive absolutè sive conditionatè, ita neque ex secundò potest ejus determinatio pensari, quoniam omne determinativum seu determinans debet quodammodo præcedere id quod determinatur per illud, cùm se habeat in ratione causæ respectu determinati; decretum autem illud non præcedit sed concomitatur, sicuti & ipse concursus exhibitus. Vide cit. opusc. de primo motore. 470.

Declaratur magis hæc ratio: creata voluntas ob subordinationem essentialem, quam dicit ad Deum ac divinam illius voluntatem tam ab ea dependet ut præmisa operatura ab æterno, quàm ut actu operans in tempore; quoniam Deus in tempore nihil actu operatur, quod ab æterno non præviderit se operaturum: sed determinatio voluntatis creatæ respectu effectus in tempore producti, nimirum consensus, non elicitur absque actuali Dei concursu: ergo neque ab æterno potest prævideri nisi dependen- 471.

ter à decreto conditionato, quo decreverit Petrum consensurum si taliter vocetur. Nam sicuti determinatio illa in tempore est quid positivum, ita prævidetur ut quid positivum.

472. Nec valet dicere, decretum illud supponi existens in hypothesi, nimirum quod Deus cum voluntate creata velit concurrere, sicut ex eadem hypothesi supponitur consensus Petri futurus: ad quod sufficit, quod sit præsens & existens objectivè. Contra: per illud decretum solum est paratus Deus ad concurrendum cum Petro ad quod ipse voluerit seu ad utrumlibet, non autem facere ut faciat: ergo per illud non habetur aliqua determinatio ad agendum; nam determinare alium ad agendum est facere ut faciat: nec salvatur essentialis dependentia causæ secundæ ad primam: quoniam concursus paratus per illud decretum solùm pertinet ad actum primum, & virtutem agendi, quapropter ut maximè potest solùm efficere causam secundam in actu primo dependentem, sed non in operando, seu quantùm ad actualem operationem. Quod si dicatur ulteriùs ibi comprehendi concursum exhibitum & ad alteram partem determinatum, qui omnino necessarius est, ut voluntas creata alteram partem determinatè eligat dependenter à Deo volente illam potiùs quàm oppositam, contra est, vel decretum de illo actu exhibito est actu positum priusquam voluntas creata sit consensura, & sic consensura prævideatur, vel non est actu positum ante prævisionem consensus futuri ipsius creatæ voluntatis? Si primum dicatur, ergo jam datur in Deo decretum actu & physicè existens, & cum nihil reale Deo in tempore advenire

possit,

possit, ab æterno in eo existet. Si dicatur secundùm, jam decretum supponitur sequi ad consensum voluntatis creatæ jam futurum & ut talem prævisum; & subinde potiùs dependet volitio æterna Dei ab illo consensu futuro, quam è converso consensus à volitione Dei: ergo tunc non salvabitur essentialis dependentia creatæ voluntatis ad divinum velle: quia in causis subordinatis est ratio prioris & posterioris, itaut inferior sit posterior superiori, & prior sit causa posterioris: & non è contra. Cujus contrarium in præfato casu eveniret. Itaque sicuti creata voluntas nequit in tempore actu operari sine actuali influxu Dei, ita neque ab æterno prævideri potest ut operatura nisi dependenter à decreto actuali quo decernat absolutè vel conditionatè velle cum ea concurrere. Quoniam causæ secundæ in tempore ita operantur, ut à divina providentia vel prædestinatione sunt dispositæ ab æterno: sed in tempore non operantur nisi cum actuali dependentia à voluntate divina cum illis operante: ergo neque ab æterno sunt prævisæ operaturæ absolutè vel conditionatè absque dependentia ab actuali decreto Dei decernentis cum illis operari. Alioquin si ante tale decretum prævidere posset aut prævideret illas operaturas, nulla esset necessitas cum illis concurrendi in tempore; nam sicuti possent ab æterno prævideri operaturæ independenter à volitione Dei, ita quoque possent actu in tempore operari sine tali dependentia.

Qartò refellitur præfata solutio: nullus effectus reipsa transire potest à statu purè possibilis ad statum futuri absolutè absque decreto actu 473.

existente in Deo, quo determinet se ad productionem illius: ergo neque transire potest à statu purè possibili ad statum futuri sub conditione nisi per aliquod decretum actu & physicè in illo existens. Antec. patet, & communiter admittitur ab Adversariis, quoniam scil. divina voluntas de se est omnino indifferens, seu indifferenter se habet circa fore vel non fore ipsius futuri absoluti; potest enim illud producere vel non producere, cùm liberè illud producat, illiusque productionem liberè velit. Quapropter manente divina voluntate sub hac indifferentia effectus non magis haberet rationem futuri quam non futuri, sed sisteret intra ordinem possibilium. Consequentia optimè sequitur: quoniam sicuti voluntas divina est omnino indifferens ad volendum vel nolendum absolutè futurum, & idcirco determinari indiget, ut transeat illud à statu possibilium ad statum futurorum: ita est omnino indifferens ad volendum vel nolendum aliquid fore, vel non fore sub conditione: ergo sicuti ad futurum absolutum determinari positivè & physicè indiget, ut illud transeat à statu possibilium ad statum futuritionis, ita ad futurum conditionatum indiget determinari actuali decreto conditionato, ut istud transeat reipsa de statu possibilium ad statum futuri conditionati.

474. Dices, disparem esse rationem, nam transitus ille in futuro absoluto est subjectivus ponens subjectivam mutationem in reipsa, quæ ex possibili transit in futuram per exercitam existentiam; subindéque hic transitus fieri nequit absque decreto actu & physicæ existente in ipso Deo: in futuro autem conditionato

est

eſt tranſitus duntaxat objectivus ponens mutationem objecti nam in ipſa re, quæ ex poſſibili tranſit in futuram ſub conditione tantùm ponendam, quæ fit per ſolùm objectivum tranſitum, ſub conditione tantùm in re ponendum. Undè quanvis voluntas divina tam ſubjectivè quàm objectivè debeat eſſe determinata in futuro abſoluto ut futurum ſit & tranſeat de ſtatu poſſibilium ad ſtatum futuri ſimpliciter; tamen in conditionato ſufficit ut eadem voluntas divina ſit determinata objectivè, quanvis remaneat indifferens ſubjectivè, non exiſtente in ea aliquo decreto actuali.

Contra: futurum abſolutum ab æterno fuit futurum, ſicuti etiam ab æterno fuit decretum abſolutum in Deo: ſed tamen ab æterno non fuit aliqua mutatio ſubjectiva, quia futurum illud ab æterno phyſicè non extitit, aut tranſiit phyſicè à ſtatu poſſibilium ad ſtatum actualis exiſtentiæ in re ſed ſolùm extitit objectivè, per illos: ergo decretum abſolutum non infert aut ponit ſubjectivam mutationem, aut tranſitum ſubjectivum; alioquin ſi illud inferret quotieſcumque poneretur decretum, poneretur ille tranſitus, quoniam poſita cauſa in actu ponitur effectus. Poſuit ergo illud decretum ab æterno ſolùm ordinationem actualem ad exiſtentiam futuri, inquantum voluit eſſe cauſas ordinatas actu ad producendum illud in tempore ſimpliciter & abſolutè: ſed pariter vult Deus cauſas eſſe ordinatas actu ad producendum futurum conditionatum, ſi purificaretur conditio: ergo etiam ad hanc actualem ordinationem requiritur omnino decretum actuale phyſicè exiſtens in Deo; neque enim actu illæ 475.

causæ possunt esse ordinatæ ad producendum effectum, nisi Deus actu velit illas esse taliter ordinatas. Minor prob. cum ab actu non esset ejusmodi ordinatio, nihil erit quo dixerat futurum conditionatum reipsa à merè possibili. Et præterea quomodo prædixit Christus conversionem Sidoniorum & Tyriorum sub conditione futuram increpando judæos, nisi quia isti prædicationi Christi, & miraculis visis obsistebant resistentes Spiritui sancto, cor autem Tyriorum ac Sidoniorum non erat obstinatum, sed prævidebatur dispositum ad suscipiendam Christi doctrinam, & miracula laudanda, agendamque pœnitentiam: si enim non habuissent actu ordinationem & inclinationem ad hæc frustra comparatione ad illos facta Deus Judæos his renitentes & obsistentes increparet. Adde quod in omni conditionali vera debet esse reipsa ordinatio consequentis ad antecedens, veritas enim conditionalis in sola ordinatione illa, & connexione seu illatione consistit, & non in ipsa enunciationum veritate.

476. Tandem rejicitur præfata evasio: si daretur tale decretum, illud deberet Deus certò cognoscere, non ut præsens sed ut futurum ex hypothesi: sed omnino falsum est quod Deus certò præcognoscat suum decretum priusquam sit positum in esse, ut ex Adversarii etiam multi docent: ergo ut illud cognoscatur, & dependenter ab eo futurum debet esse actu, & non objectivè tantum existens in Deo. Prob. minor ex dictis, ut aliquod futurum certò cognoscatur, debet esse determinatè futurum, seu habere esse determinatum ad existentiam, pro illo instanti quo certò cognoscitur, neque talis

determi

determinatio haberi potest absque interventu alicujus causæ illam præbentis : sed in illo instanti rationis, pro quo intelligit Deus se posse velle actu in posteriori signo creaturas fore absolutè vel conditionatè nulla adhuc habetur causa determinativa talium decretorum, vel futuritionis creaturarum : ergo in eo signo rationis nequit certò cognosci decretum illud ut futurum.

Conf. si ante actualem decretorum positionem attingeret Deus decreta sua ut in posteriori signo ponenda atque futura, in eodem attingeret omnes creaturas decretas produci absolutè vel conditionatè : sed antè actuale decretum & exercitum divinæ voluntatis Deus certò non cognoscit saltem creaturas absolutè futuras : ergo neque illa decreta. Minor admittitur ab Adversariis ; sequela verò prob. omnipotentia divina cognosci nequit, saltem comprehensivè , nisi creaturæ possibiles cognoscantur, quæ sunt terminus illius : sed pariter decreta illa terminantur ad creaturas absolutè vel conditionatè futuras : ergo certò & comprehensivè à Deo cognosci nequeunt nisi creaturæ illæ cognoscantur. 477.

§. 6.

Aliæ evasiones Adversariorum refelluntur.

RESpondent alii certò & infallibiliter ejusmodi futura cognosci à divino intellectu in veritate illorum objectiva, hæc enim certa & determinata est antecedenter ad actuale decretum divinum. Vnde possunt certò & infallibiliter cognosci per scientiam illam mediam 478.

antevertentem omnem divinæ voluntatis actualem determinationem. Dixi, decretum actuale, quoniam ipsi Adversarii asserentes futura conditionata cognosci certò à Deo in veritate illorum objectiva, non negant cognosci dependenter à decreto, sed dependenter à decreto actuali & posito in re non à decreto ponendo, quod explicatum est suprà. Immo cognitionem futurorum absolutorum dependere à decreto actuali asseverant, quod & probat P. Suarez lib. 1. opuscul. cap. 8. & 6. ex illo D. Hilarii lib. 9. de Trinit. *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.* Sed negant decretum illud esse primam radicem & causam certitudinis futurorum, vel cognitionis infallibilis ipsorum. Quia etiam decretum absolutum supponit in Deo scientiam mediam, seu præscientiam illam conditionatam, quâ cognoscat quid futura sit creata voluntas, si in talibus vel talibus circunstantiis constituatur, vel taliter vocetur; & hoc ad salvandam libertatem ipsius. Existimant enim, quòd si decretum absolutum omnino antecedere admittatur futurum consensum liberæ voluntatis creatæ, illi necessitatem absolutam imponat; & subinde libertatem omnino evertat. Unde hic dicendi modus cum præcedenti omnino coincidit.

479. Pro cujus majori intelligentia est animadvertendum, quòd sicuti futurum quodlibet non habet determinationem ad esse, nisi dum actu est, quo pacto necesse est esse; v. g. Petrum necesse est sedere dum actu sedet, ita non habet determinatam veritatem, nisi dum concipitur prout actu est; quoniam sicuti veritas sequitur

ad

ad esse, ita & determinata veritas ad determinatum esse. Quapropter sicuti nos insequentes D. Thomam asserimus, Deum certam cognitionem habere de futuris contingentibus in mensura æternitatis cui physicè coëxistunt; quoniam scil. æternitas unico indivisibili nunc correspondet omni tempori, & parti illius; & subinde actu ambit illud tempus in quo futurum quodlibet erit præsens & in suo esse existens; ita isti asserunt quòd Deus futurum etiam conditionatum certò cognoscat infinitâ vi sui divini intellectus, cui objectivè sunt omnia præsentia pro omni esse quod habebunt, vel habere possunt, cùm illa comprehendat; v. g. intuetur illud esse, quod suo tempore in re Antichristus est habiturus, estque illi objectivè præsens, & subinde determinatam veritatem fundans, ratione cujus certò à divino intellectu cognoscatur. Cùm hac solutione coincidit alia illa eorundem Adversariorum aientium, quòd futurum contingens non habet ex se determinatum fore ex actu qui est, sed ex actu qui erit. Omne enim de quo in præsenti verificatur quòd primò existit, ante hoc tempus præsens habuit, ut de se verificaretur determinatè esse futurum. Unde contingens futurum ex diversis principiis habet quòd sit futurum, & quòd sit contingens.

Solutionem istam quantùm spectat ad determinatam illam præsentiam objectivam multis confutavimus suprà *cap.* 10. potestque refelli ex his quæ in præcedentibus capitibus subjecimus loquentes de certa cognitione futurorum contingentium absolutorum, tum in causis suis, cùm etiam in mensura æternitatis in qua physicè 480.

sicè

ſicè illa exiſterere diximus. Ibi enim oſtendimus non ſufficere præſentiam illam objectivam prout eſt objecti ſecundùm quòd habet eſſe in cognoſcente; quoniam hæc communis eſt omnibus quæ à Deo cognoſcuntur etiam merè poſſibilibus; ſed deſiderari præſentiam objectivam, quæ eſt objecti prout habet eſſe in actu ſuo; quoniam hanc neceſſariò requirit notitia intuitiva, cujuſmodi eſſe illam, quam de quibuſcunque futuris habet Deus, probavimus. Ut autem illam præſentiam objectivam, quæ eſt objecti prout habet eſſe in actu ſuo, ſortiatur omnino dependet à divino intellectu, divinaque potentia ut determinatis per Dei voluntatem ad productionem illius rei. Quapropter ſemper recurrendum eſt ad decretum divinæ voluntatis ceu primam radicem illius determinationis, ut demonſtravimus ſuprà.

481. Præterea contra præfatam evaſionem inſtatur primo veritas futuri cujuſlibet nequit regulari à præſenti ſecundùm illud eſſe objectivum duntaxat quod habet in cognoſcente; ſed ſecundùm illud eſſe actuale, ad quod habendum pro aliqua temporis differentia actu ordinatur; quoniam futurum, ut reipſa futurum eſt, non dicit ordinem ad illud eſſe objectivum intentionale duntaxat, quod etiam eſt commune omnibus merè poſſibilibus; cùm nihil actu cognoſcatur, niſi ſit præſens intentionaliter & objectivè ipſi intellectui cognoſcenti: ſed ab æterno nullum futurum eſt actu & phyſicè præſens etiam pro ſecundo illo ſigno rationis, ſed omnino in ſe nihil eſt: ergo non ſufficit illa præſentia objectiva, etiamſi admittatur, ut Deus de futuris contingentibus certam notitiam

tiam habeat. Quæ ratio potissimè locum & vim habet in illis futuris contingentibus conditionatis, quæ pro nulla temporis differentia extitura sunt, aut physicam habitura existentiam; nam hoc dato jam non habent determinatam illam præsentiam objectivam, quam Adversarii futuris pro secundo illo signo rationis assignant, inquantum, aiunt, intellectus divinus sua vi infinitâ & comprehensivâ omnium rerum, fertur super esse quod futura physicè habebunt in tempore.

Nec valet dicere, quod divinus intellectus feratur super esse existentiæ, quod sub conditione habitura sunt: quoniam illud esse omnino in se nihil est, & solùm est, inquantum causæ ordinatæ sunt actu ad productionem illius, si purificaretur conditio: ergo sub hac ratione non potest terminare cognitionem Dei, vel scientiam illam mediam; quæ, cùm per illos sit speculativa, debet præsupponere suum objectum esse; imò cum intuitiva sit ac visionis, debet versari circa illud ut physicè existens; quemadmodum probavimus suprà *cap.9.* 482.

Deinde, quia illud esse physicum in secundo signo rationis habendum, physicè est dependens ac essentialiter à Deo, ut habens esse in actu suo: & est dependens ab eo ut agente libero & ex proposito, non autem ex necessitate naturæ: sed eadem sunt principia essendi & cognoscendi: ergo intantum potest illud cognosci certò & infallibiliter per illam scientiam mediam, inquantum ista attingit causas determinatas ad productionem illius esse, seu ut actu influunt illud: sed primum principium agendi in quolibet agente libero seu ex proposito 483.

ſito eſt voluntas determinans ac decernens opus: ergo ſemper deveniendum eſt ad voluntatem divinam decernentem illud eſſe, ut certa poſſit haberi cognitio, tanquam ad primam radicem.

484. Contra 2. ſtat aliquid eſſe determinatè futurum, & tamen non habere aliquem actum exiſtentiæ ſeu eſſendi pro aliqua temporis differentia: ergo futurum non habet determinatum fore ab actu qui erit; alioquin nunquam eſſet aliquid determinatè futurum, niſi ponendus eſſet exercitè aliquis actus, à quo denominaretur certò ac determinatè futurum. Prob. anteced. mors Ezechiæ regis fuit certò & infallibiliter futura, quoniam fuit prophetata ab Eſaïa, dictum enim ab eo Regi fuit, *Diſpone domui tuæ, morieris enim tu, & non vives*: prophetia autem eſt cognitio certa & infallibilis, & ſubinde eſſe debet de re omnino infallibiliter ac certò futura: ſed tamen non fuit actus, à quo illud futurum determinatam futuritionem habere poſſet, nec enim illa annunciatio mortis ad actum reducta fuit, ſed protracta per multum temporis regi vita: ergo ſtat aliquid eſſe determinatè futurum, & tamen carere actu eſſendi, ad quem ordinatur. Quæ ratio ſpecialiter in futuris contingentibus conditionatis locum habet, quæ non reducentur ad actum.

485. Contra 2. ut futurum habeat determinatam futuritionem ab actu qui erit, ille actus debet habere neceſſitatem atque infallibilitatem eſſendi, itaut non poſſit non eſſe; quod enim in ſe indeterminatum eſt, & non neceſſarium, non poteſt alteri neceſſitatem eſſendi ſeu determinationem

minationem infallibilem ad esse præbere: sed ille actus nequit habere necessitatem essendi ex se, quoniam contingenter est; v. g. Petrus positus in talibus circunstantiis non necessariò convertitur; sed potest non converti absolutè loquendo cùm & alii in eisdem circunstantiis constituti non convertantur, ut manifestum est in exemplo de Tyriis & Sedoniis, ab eo fuisset, qui à Christo certò prænunciantur credituri si illis ab eo fuisset annunciatum Evangelium, & coram & facta illa signa, quæ coram Judæis, qui conversi non sunt: ergo debet illam habere ab alio determinate ad esse: quod nequit esse nisi divina voluntas decernens ut illud sit, & sine qua nihil est aut esse potest. Quod si dicatur illum actum habere necessitatem ex suppositione quod actu est, sicuti dicimus Petrum necessariò sedere, dum actu sedet: ergo illa necessitas erit ex aliquo priori ad quem sequitur ille actus quia necessitas ex suppositione est semper ex aliquo priori; sicuti Petrus dicitur necessariò moveri supposito quod currat. Et inquirimus quid sit illud prius. Et similiter Petrus ex suppositione quòd velit, sedet; & dum sedet actu, necessariò sedet; subindéque illa necessitas est orta ex suppositione illius prioris volitionis, seu actus voluntatis ipsius.

Conf. supposito quòd tota determinatio futuritionis oriatur ab actu qui est physicè præsens, sequitur necessariò, quòd nullus possit certò cognoscere ac præscire futurum illud ut determinatum ad esse, vel fore pro aliqua temporis differentia, nisi cognoscat præsentiam physicam illius actus, ratione cujus est determinatum ad esse, & physicè existens; sicuti non cognosco 486.

cognoſco neceſſariò Petrum eſſe determinatum actu ad ſeſſionem, niſi intuear illum ſedere: ergo jam res futuræ, quæ à Deo ab æterno cognoſcuntur, ſunt illi phyſicè præſentes, & in menſura æternitatis illi coëxiſtẽtes. Declaratur: actus illius futuri, Petrus poſitus in talibus circunſtantiis accedente Dei auxilio convertetur infallibiliter, eſt converſio actualis & in ſe exiſtens ſeu phyſicè præſens; ſicuti ſeſſio Petri actu determinata quoad eſſe dicitur, quando Petrus actu & phyſicè ſedet; quoniam impoſſibile eſt illum non ſedere ſuppoſito quod actu ſedeat: ergo futura converſio Petri eatenus à Deo certò & infallibiliter cognoſcitur, quatenus ab æterno attingit actualem illam converſionem ut in ſe ac phyſicè præſentem, quod non admittunt contrarii. Nec ſufficit recurrere ad actualem præſentiam objectivam: nam hujuſmodi præſentia vel eſt objecti prout habet eſſe phyſicè in actu ſuo, vel prout habet duntaxat eſſe in cognoſcente. Si primum dicatur, habetur intentum: ſi ſecundum, non ſatisfacit, quia ejuſmodi præſentia objectiva non terminatur ad exiſtentiam phyſicam rei ſed intentionalem, quam etiam verè impoſſibilia in Deo ſortiuntur: de iſtius enim ratione non eſt præſentia rei in actu ſuo & phyſica, ut patet dum cognoſcuntur à nobis univerſalia, quæ ab exiſtentia actuali præſcindunt. Vide ſuprà *cap.* 9.

487. Tertiò impugnatur: Quantumcumque res ſit in ſe certa & infallibilis, de illa non habetur ſcientia, niſi medium cognoſcendi illam ſit certum & infallibile; quocirca ille qui per medium probabile concluſionem ſcientificam cognoſcit, de illa ſcientiam non habet, ſed opinionem

opinionem, quia tota certitudo concluſionis dependet ex medio ſeu principiis : Ergo quantumcumque veritas cujuſlibet futuri objectivè ſit determinata, neutiquam Deus de illa poterit certam ac determinatam cognitionem habere, niſi & medium cognoſcendi illam ſit certum ac determinatum : ſed medium, quo Deus cognoſcit futura quælibet ante decretum ſuæ voluntatis non eſt certum ac determinatum ad rei futuritionem : ergo ante decretum divinæ voluntatis non poteſt à Deo certò cognoſci. Prob. min. medium in quo Deus futura quælibet cognoſcit eſt ſua divina eſſentia, ut probatum eſt ſuprà : Sed divina eſſentia ante decretum divinæ voluntatis non eſt determinata ad rei productionem, ut etiam probatum eſt ſuprà; aliàs Deus non liberè & ex propoſito ageret, ſed ex neceſſitate naturæ : ergo ante decretum divinæ voluntatis nequit eſſe medium certum & infallibile ad cognoſcendum veritatem objectivam determinatam ipſius futuri, etiam ſi hæc concedatur.

Conf. Objectum primarium & ſpecificativum cujuſlibet divinæ cognitionis debet eſſe 488.
aliquid increatum, ut probatum eſt ſuprà : ergo cognitio ſive ſcientia Dei immediatè non poteſt terminari ad actus liberos creatæ voluntatis ſeu veritatem objectivam futurorum; ſed debet terminari primò & per ſe ad ipſum Deum ſeu eſſentiam ejus ut habet rationem potentiæ activæ & cauſæ determinatæ ad productionem illius, ſed non eſt determinata ad illam ante decretum divinæ voluntatis efficaciter decernentis futuritionem illam, cùm primùm principium agendi liberè & ad extra in Deo ſit divina voluntas

voluntas : ergo illa certitudo & determinato à decreto divinæ voluntatis tanquam à prima causa & radice dependet.

489. Ex his impugnatos manet aliorum dicendi modus, videlicet Deum futura illa certò cognoscere in ipsa determinatione voluntatis creatæ cognoscendo liberum arbitrium cum illis auxiliis consensurum, cum illis non consensurum: & hoc ante quodlibet divinæ voluntatis decretum efficaciter consensum illum vel dissensum decernentis. Nam ut suprà diximus, quidquid Deus cognoscit, ad extra per suam essentiam cognoscit ut priùs cognitam, tanquam per medium priùs cognitum : sed essentia divina ante omne decretum divinæ voluntatis nequit esse medium priùs cognitum sufficiens & idoneum ad certò cognoscendum futuram illam determinationem creatæ voluntatis; multominus ipsa voluntas libera etiam cum illis assertis auxiliis : ergo Deus futura ejusmodi nequit certò cognoscere in determinatione illa creatæ voluntatis. Minor quoad 1. p. Prob. essentia divina non est medium cognoscendi res ad extra nisi quatenus est causa adæquata continens ipsa, ut probatum est suprà : sed est causa adæquata rerum prout habet rationem potentiæ productivæ illarum determinatæ per voluntatem, est enim agens liberum & ex proposito in productione rerum ad extra : ergo essentia divina ante decretum efficax divinæ voluntatis nequit esse medium idoneum & sufficiens ad certò cognoscendum futura quælibet contingentia ante decretum divinæ voluntatis determinantis voluntatem creatam ad operationem. Quoad 2. etiam p. Prob. voluntas de se

est

est indifferens ad consensum & dissensum, nec auxilia illa dant illi efficaciam ut eliciat potiùs assensum quam dissensum, quoniam de se non sunt efficacia: ergo voluntas creata etiam cum illis auxiliis non est sufficiens. Adde quòd illa auxilia non sunt ponenda in re absque decreto divinæ voluntatis: ergo antecedenter ad illud nequit esse illa determinatio creatæ voluntatis.

Nec valet dicere, essentiam divinam nedum determinatè repræsentare illa quorum causa est, sed etiam alia. Etenim repræsentat possibilitatem ipsam rerum possibilium, quam tamen non causat: & similiter repræsentat peccatum quod non facit: pari igitur modo repræsentat futuritionem illam, nec tamen causat: sed expositione ipsius rei, quæ denominatur futura convenit illi quòd repræsentet certò illam, uti explicatum est suprà. 490.

Contra 1. Imprimis falsum est, quòd Deus non cognoscat creaturas possibiles in seipso tanquam in causâ: nam ut diximus alibi ex D. Thoma, *q. 2. de verit. a.* 8. cognoscit creaturas possibiles in sua omnipotentia, vel etiam in sua bonitate, quatenus habent esse in illis tanquam in causa, videlicet in bonitate ceu causa finali, & in omnipotentia ceu causa activa ipsarum: nam in seipsis creaturæ possibiles nihil sunt realiter, & subinde cognosci certò nequeunt, quia non entis non est scientia: ergo solùm habent esse in causis suis, & in eis cognoscuntur, cùm non sit nisi duplex status essendi ipsiùs entis realis, nimirum in seipso, & in causis suis, ut diximus suprà *art. 6. capit.* 2. Similiter quanvis Deus non sit causa peccati formaliter & quatenus peccatum est; tamen est causâ entitatis quæ est in pecca- 491.

to, & habet decretum permiſſivum, quo ad illam concurrere efficaciter decernit, in eóque malitiam videt, ſicuti oſtendimus ſuprà *capite* 14.

492. Contra ſecundò ſcientia, quæ non eſt menſura & cauſa ſui objecti eſt quodammodo menſurata & cauſata ab illo; cùm ſcientia & ſcibile ſe habeant ad invicem in ratione menſuræ & menſurati: ergo ſi ſcientia divina non ſe habeat in ratione cauſæ & menſuræ activæ ipſorum futurorum, etiam conditionatorum, ſequitur quòd ipſa futura ſe habeant ut menſura ipſius ſcientiæ divinæ, & quòd hæc ſit quodammodo cauſata atque menſurata ab illis, ipſiſque poſterior, quod maximam involveret in ipſo Deo imperfectionem. Quòd ſi ipſa ſcientia ſe habeat in ratione cauſæ, cùm ſit ipſamet eſſentia ut habet rationem ſpeciei, ſequitur quod etiam iſta ſe habeat in ratione cauſæ, ipſorum futurorum, quod nequit eſſe niſi ut determinata per voluntatem ad opus; ſicuti neque ſcientia eſt cauſa rerum niſi adjunctâ voluntate, ut probatur infrà *quæſt.* 19. Quapropter ſemper deveniendum erit tanquam ad primam radicem illius determinationis & cauſalitatis ad ipſam divinam voluntatem.

493. Reſpondent alii cum P. Eſparza 1. *part. qu.* 18. Deum cognoſcere certò illa futura, nimirum futuros actus liberos noſtros in ſua eſſentia, antecedenter ad quodlibet decretum illius divinæ voluntatis: non quidem in ipſa eſſentia abſolutè ſumpta; ſed quatenus præcontinet eminenter liberum arbitrium creatum ut conjunctum cum omni actu ſuo à ſe liberè procedente, vel eliciendo ſi in talibus & talibus circunſtan-

tiis, vel occasionibus constituatur. Hoc enim pacto essentia divina per modum speciei impressæ est sufficientissimum medium ad certò repræsentandum divino intellectui illud futurum.

Sed hic dicendi & explicandi modus rejiciendus venit: & primò quidem ex eo quod nequit liberum arbitrium esse aut intelligi conjunctum cum omni actu suo absque decreto, & constitutione divinæ voluntatis: cùm illi actus in re omnino & essentialiter dependeant à Deo ceu prima causa liberè operante in omnibus creaturis & operationibus earum: ergo ejusmodi arbitrium nequit verè intelligi, aut repræsentari ut reipsa conjunctum cum omni actu suo liberè à se eliciendo nisi dependenter à tali decreto: cùm cognoscibilitas perfecta rei sequatur ad esse illius & causa unde provenit; sunt enim eadem principia essendi & cognoscendi. Adde quod nihil eminenter præcontinet aliud nisi contineat illud ut causa ipsius sic Deus eminenter præcontinet omnes creaturas, inquantum est causa totius esse illarum ut probatum est suprà *quæst.* 4. Sed Deus non est causa alicujus effectus creati nisi dependenter à decreto suæ divinæ voluntatis: ergo illa præcontinentia arbitrii ut conjunctivum omni actu suo, necessariò involvit decretum divinæ voluntatis ut causam cujuslibet actus liberi. 494.

Secundò refellitur ex eo quòd scientia de quolibet futuro debet terminari ad futurum illud ut habet esse in actu suo, quo solo pacto necessitatem habere potest atque certitudinem: sed quælibet res creata ut præcontinetur, aut 495.

habet esse eminenter in Deo, est ipsamet creatrix essentia, uti cum Div. Anselmo docent D. Thomas & communiter Theologi: ergo nequit dici, quòd arbitrium ut contentum eminenter in Deo, prout conjunctum cum omni actu suo certò per illam scientiam mediam cognoscatur, quæ non debet terminare in Deum, sed in ipsum futurum prout habet esse in actu suo.

496. Conf. quoniam etiam possibilia in ipso Deo eminenter continentur, & ut sic in potentia illius ac divina voluntate habent cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ: ergo & per eandem cognoscentur futura quælibet, quia ut sic contenta sunt ipsamet essentia divina, non minùs quam possibilia. Quòd si dicatur disparem esse rationem, quoniam scilicet possibilia non continentur eminenter in Deo ut dicentia ordinem ad existentiam, bene verò futura: contra, nam nihil potest actu dicere ordinem ad existentiam & extrahi à statu possibilitatis, nisi Deus voluerit & decreverit productionem illius absolutè aut conditionatè: ergo illa præcontinentia futurorum semper includet decretum divinæ voluntatis ut decernentis absolutè vel conditionatè productionem illorum, vel ordinantis ad actum essendi, sive actualem existentiam. Adde, quòd hic modus dicendi coincidit cum præcedenti, nam tota certitudo est à conjunctione arbitrii cum actu libero qui erit, ut consideratur in se à Deo attingente in sua essentia quidquid erit pro qualibet differentia temporis. Quapropter & eisdem rationibus suprà adductis ampliùs confutari potest.

§. 7.

§. 7.

Alia ratione Scientiam illam mediam non esse admittendam ostenditur, quippe quæ omnino inutilis sit ad conciliandam libertatem arbitrii cùm efficacia divinæ voluntatis, & infallibilitate divinæ scientiæ, immo cùm ipsa libertas arbitrii cohærere nequit.

QUod probatur: nam Divus Augustinus, cujus doctrinæ in his materiis communiter recipitur ac laudatur, tanquam à summis Pontificibus recepta ac specialiter approbata, ut ostendimus suprà *cap.* 15. §. 1. rectè libertatem arbitrii creati cum infallibilitate divinæ præscientiæ, certitudine prædestinationis & efficacitate gratiæ rectè composuit, & nimirum in modum conciliavit; sicuti ab omnibus rectè sentientibus affirmatur, neque sive tanti Doctoris injuria, ac temeritate aliqua negari potest: sed ad hujusmodi stabiliendam concordiam, nedum non confugit ad scientiam mediam, aut præscientiam illam conditionatam ceu idoneum ad id medium atque consentaneum, quinimo ad oppositum penitus declinavit, videlicet ad latens Dei consilium, infallibilitatem divinæ scientiæ conjunctam cum efficacissima vi illius divinæ voluntatis atque omnipotentiæ: ergo scientia media non est medium ad id competens & consentaneum; alioquin illud Divus Augustinus non dissimulasset, aut recusasset adhibere ad sedandas tot exortas in Ecclesia quæstiones, etiam inter præcipuos illius alumnos, quæ non parum illam turbabunt: cùm illa scientia media 497.

nomine praescientiae fuerit Pelagianis ac semipelagianis familiaris, ut probavimus contra quos indefesso labore ac studio per viginti circiter annos S. D. decertavit atque de ipsis triumphavit, ostendendo gratiam ex se efficacem, ac decreta illa divinae voluntatis suapte natura energica non laedere, sed perficere libertatem.

498. Minor probatur quoad primam partem testimonio ipsius P. Molina, qui se primum hujus scientiae mediae & rationis conciliandae libertatis humanae cum divina praedestinatione & scientia, &c. auctorem, & inventorem facit Nam cit. quaest. 14. suae Concord. loquens de Sanctissimo Ecclesiae Doctore Augustino haec habet *Si ea* scientia media *data & explorata fuisset ab Augustino fortè neque Pelagiana haeresis exorta fuisset, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare obtendentes cum divina gratia, praescientia, & praedestinatione cohaerere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibúsque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati.* Si Augustinus nec dedit, nec explanavit, cum tamen nosset: ergo ad hujusmodi conciliationem efficiendam ut inutilem contempsit. Deinde quia ipsemet Sanct. Doctor. hanc conciliationem planè difficilem & arduam agnovit, ut fatetur lib. 1. de grat. capit. 47. Quoniam, inquit, *quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videtur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putatur auferri.* Quod repetit *lib. 4. contra Iulian. capit.*8. Sed, ut fatentur ipsiusmet Adversarii, conciliatio ista per scientiam mediam facillima

est

est & suavis, neque per illam ullo pacto liberum putatur lædi arbitrium vel auferri: ergo hæc ratio conciliandæ humanæ libertatis cum infallibilitate præscientiæ divinæ, prædestinationis & gratiæ neque est admissa neque explicata à D. Augustino.

Quoad secundo verò partem prob. ex eodem 499.
Sanct. Doctor. lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. ubi contra Ciceronem disputans, qui Deo futurorum præscientiam denegabat, *Ne fatum esse consentiret & perderet liberam voluntatem: putabat enim concessâ scientiâ futurorum ita consequens esse fatum, ut negari omnino non possit*, ad divinæ voluntatis efficaciam recurrit, *Non est*, ait, *consequens ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsa quoque nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejúsque præscientia continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præscivit, profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit. Nam & illud quod idem Cicero concedit, nihil fieri si causa efficiens non præcedat, satis est ad eum in hac quæstione redarguendum.* Et ad hoc ostendendum triplicis generis causas distinguit, fortuitas, naturales & voluntarias; istásque ait esse Dei, Angelorum, & hominum: concludítque quòd *Omnia maximè Dei voluntati subdita sunt, cui etiam voluntates omnes subjiciuntur: quia non habent potestatem nisi quam ille concedit. Causa itáque rerum quæ facit nec fit Deus est; aliæ verò causæ & faciunt & fiunt, sicut sunt omnes creati*

Spiritus, & maximè rationales: Quomodo igitur ordo causarum, qui praescienti certus est Deo, id efficit ut nihil sit in nostra voluntate, cùm in ipso causarum ordine magnum locum habeant nostrae voluntates? Quòd dicitur voluntas Dei tanquam suprema & efficacissima omnium causa voluntaria in agendo planè sibi nostra subjicit ac subordinat voluntates; & subinde istae agunt, prout Deus ipse voluerit atque constituerit illas acturas, *Quia non habent potestatem, nisi quam ille concedit:* Sed divina voluntas vult voluntates nostras, utpote causas voluntarias voluntariè agere; scivit enim pro suae inefallibilis atque infallibilis providentiae ratione ac dispositione sapientissima quaslibet causas suos agere motus: ergo cùm Deus praesciat ordinem causarum, in quo sunt constitutae nostrae voluntates divinae illius subjectae & submissae voluntati, praescit etiam se id efficaciter volente nos liberè operaturos, qui divinae illius voluntati plenè subjacemus ac subjicimur, neque omnipotentissimae illius virtuti possumus resistere. Atque adeo concordiam infallibilis praescientiae divinae cum libertate arbitrii reducit D. Augustinus ad divinae voluntatis efficacitatem, & omnipotentissimam energiam. Idcirco in fine capitis illius subdit: *Quapropter & voluntates nostrae tantùm valent, quantùm Deus eas valere voluit ac praescivit* (voluntatem praescientiae divinae praetulit, quoniam istius infallibilitas illius constitutioni efficaci & potenti innititur.) *Et ideo quidquid valent, certissimè valent* (ob voluntatis divinae scilicet efficaciam, certitudinémque praescientiae in ea fundatam) *& quòd facturae sunt,*

ipsa

ipſa omnino factura ſunt, quia valituras atq; facturas eſſe præſcivit (nimirum in prædeſtinatione ſua, ut alibi ait: *Cujus præſcientia falli non poteſt*, ſicuti neque voluntas fruſtrari. Quem etiam modum & rationem conciliandæ libertatis cùm infallibilitate præſcientiæ ac prædeſtinationis ſecuti ſunt poſtea D. Anſelmus *lib de concord. præſcient. prædeſtinat. & grat.* & D.Th .paſſim, cæteríque antiqui Theologi. Sed de his ampliùs infrà q.23.

Prima minor quoad ſecundam partem, videlicet quòd ſcientia media libertatem voluntatis creatæ de medio auferat, ſi admittatur, Probatur primò ſcientia media reſpicit ac præſupponit voluntatem creatam naturaliter ac neceſſariò ad unum determinatam, ſed quod naturaliter eſt determinatum & obligatum ad unum, non liberum: ergo ſcientia media non cohœret cum libertate arbitrii, ſed illam evertit. Probatur major primò ſcientia media reſpicit ac præſupponit ipſum futurum contingens ac liberum ut ex vi contradictoriarum habet veritatem objectivam determinatam ad unum, antecedenter ad omne liberum decretum divinæ voluntatis illam determinationem cauſantis: ſed veritas ſequitur ad eſſe, & veritas determinata ad eſſe determinatum: ergo ſcientia media præſupponit & reſpicit voluntatem creatam determinatam ad unum, videlicet ad unam operationem, quam infallibiliter præſcitur elicitura & operatura, hoc eſt enim habere veritatem determinatam & determinatum eſſe; ſed quod ex vi contradictoriarum, & antecedenter ad omne decretum liberum voluntatis divinæ eſt determinatum ad unum, neceſſariò ac naturaliter eſt ad unum determinatum: ergo ſcientia 500.
media

media præſupponit voluntatem creatam naturaliter ac neceſſariò ad unum determinatam. Prob. hæc minor: quoniam quod ex vi contradictoriarum convenit ex naturali illo principio convenit, *Quodlibet eſt vel non eſt* : & quod antecedit primum liberum, ab eo participare libertatem nequit; voluntas autem divina eſt primum liberum: ergo quod ex vi contradictoriarum, & antedenter ad omne decretum liberum ipſius divinæ voluntatis eſt determinatum ad unum neceſſariò ac naturaliter ad illud determinatum eſt: Quod autem omnino præcedat primum liberum, prob. præcedit ſcientiam mediam, qua regulatur divina voluntas: ergo & ipſam voluntatem. Antec. patet. quia ſcientia media eſt ſpeculativa: ac ſubindè præſupponit ſuum objectum.

501. Prob. ſecundò: Scientia media reſpicit certò voluntatem creatam ſub talibus ac talibus circunſtantiis poſitam accedente auxilio Dei eſſe infallibiliter ac neceſſariò operaturam: ſed illa infallibilitas operandi non poteſt eſſe niſi per naturalem determinationem ad unum: ergo ſcientia media reſpicit vel conſtituit voluntatem creatam naturaliter ac neceſſariò ad unum determinatam. Major patet, nam ſcientia media eſt certa & infallibilis, & ſubindè illius objectum etiam debet eſſe certum & infallibile, quod aliud non eſt quàm voluntas creata ſub talibus & talibus circunſtantiis poſita, præſcita infallibiliter operatura ſi Deus illi præbeat ſuum concurſum. Minor verò prob. voluntas creata non aliundè habet quòd ſe infallibiliter ad operandum determinet, quam ex cauſis naturalibus, ut putà ex naturalibus circunſtan-

tiis

tiis loci & temporis, naturali temperamento, objecto naturali, & similibus, quæ omnes sunt causæ naturales : sed determinatio proveniens à causis merè naturalibus est naturalis : ergo illa infallibilitas operandi in voluntate creata non potest esse nisi per naturalem determinationem ad unum. Minor patet nam sicut effectus is liber est, qui à causa libera & liberè agente procedit, ita & effectus debet esse naturalis, qui ex causis naturalibus oritur.

502. Major verò prob. imprimis illa determinatio infallibilis ad operandum nequit provenire ab ipsa scientia media, quoniam cùm sit speculativa, non facit suum objectum sed supponit illud : immo si ab ea proveniret, determinatio naturalis, esset quia scientia media est naturalis & necessaria, utpote antevertens omne decretum liberum divinæ voluntatis. Neque illa determinatio potest provenire ab auxilio divino, quia istud non est de se efficax & prædeterminans, secundùm adversarios ; sed expectans liberum consensum creatæ voluntatis, à quo redditur efficax : insuper non potest provenire ab aliquo priori actu voluntatis, nam de illo pariter currit difficultas, à quo proveniat quòd voluntas creata illum infallibiliter eliciat ; ergo quòd voluntas creata infallibiliter se determinet ad operandum, habet ex naturali objecto, & circunstantiis in quibus constituitur : namque se infallibiliter determinat, quia congruè vocatur : & vocatur congruè ex complexu illarum causarum naturalium, quod est fatalem quandam necessitatem voluntatis creatæ imponere. Nec valet dicere quòd ipsamet & volunta se determinat liberè, quia semper

per restat difficultas, unde habeat quod se liberè determinet potiùs ad hunc actum quam ad alium, cùm ad utrumque de se sit omnino indifferens. Assignanda est enim aliqua causa illius determinationis; quod namque fit actu, cùm priùs esset in potentia, causam habere debet à qua reducatur ad actum (sicuti fusè probavimus *in opusculo de primo motore*, vide ibi.) Adde, quod si voluntas se se liberè determinat infallibiliter, frustra recurritur ad congruam illum vocationem, unde cognoscere dicitur Deus scientiâ illa mediâ quòd voluntas creata infallibiliter consentiet, si congruè vocetur. Et tandem libera determinatio non excludit objectum determinans, est enim voluntas potentia rationalis, & non naturaliter determinata ad unum sicut potentiæ naturales: ergo ab alio motivo habet determinari; proprium autem motivum est objectum proprium: quod si infallibiliter determinat, naturaliter determinat ad unum; sicuti bonum in communi quod infallibiliter determinat voluntatem sui, naturaliter ipsam determinat.

503. Conf. ab æterno infallibiliter cognoscit Deus, quòd voluntas creata in talem partem se determinabit: hæc præscientia divina est infallibilis: ergo voluntas creata non potest alteram seu oppositam partem eligere; alioquin falleretur præscientia illa. Et præterea si se inflecteret in aliam partem creata voluntas in tempore, posset Deus aliud scire per scientiam illam mediam, quam ab æterno scivit, & subinde illa scientia esset variabilis. Quæ ratio præsertim robur habet contra illos, qui aiunt, scientiam mediam pertinere ad scientiam simplicis

plicis intelligentiæ, per quam Deus omnino aliquid scire non potest, quod ab æterno nescivit, ut docet D. Thomas *in 1. dist. 39. art. 2.* ergo voluntas creata non erit libera. Nam nulla alia ratione Adversarii probant per physicam prædeterminationem everti libertatem arbitrii, nisi quia eâ positâ nequit voluntas creata in aliam partem se inflectere.

Conf. 2. veritas propositionis conditionalis est, quia sua de inesse, per quam regulatur, est vera; v. g. ista est vera, si albedo ponatur in corpore, illud dealbabit, quia ista de inesse, albedo posita in corpore dealbat, est vera: ergo datur veritas infallibilis istius conditionalis, si voluntas libera Petri ponatur in talibus circunstantiis infallibiliter operabitur, quia ista est vera, Petrus positus in talibus circunstantiis infallibiliter operatur: ergo sicut ante omne decretum liberum suæ voluntatis cognoscit certò & infallibiliter illam conditionalem, ita & suam de inesse, videlicet Petrus positus in talibus circunstantiis infallibiliter operatur: sicuti Deus ante omnem actum suæ liberæ voluntatis per scientiam simplicis intelligentiæ certò cognoscens quod si albedo posita sit in corpore, dealbabit, cognoscit pariter quod albedo posita in corpore dealbat: ergo ab æterno illa propositio de inesse, voluntas libera Petri posita in talibus circunstantiis operatur fuit infallibilis & necessariæ veritatis, aliàs certò & infallibiliter cognosci non posset, & subinde fuit actu connexio inter prædicatum & subjectum; sed non secundùm actualem existentiam extremorum: ergo secundùm essentialem ordinem prædicati ad subjectum, & subinde neces-

504.

ſitatem naturalem & abſolutam debuit habere ut præſcita per ſcientiam mediam : ergo perimitur libertas illius operationis.

505. Declaratur præcedens doctrina hoc exemplo à Sap. M. Lemos adducto : Si poſitâ paſſione appetitus ſenſitivi antecedente liberum voluntatis conſenſum fieri non poſſet, ut arbitrium creatæ illius voluntatis diſſentiret, ſed infallibile eſſet quod conſentiret, illa paſſio non ſubderetur imperio rationis nec libertati voluntatis ; ſed è contra ſibi ſubderet voluntatem, & ex neceſſitate ad conſenſum determinaret, & ſubinde à voluntate libertatem agendi auferret, ut communiter fatentur Theologi : pari ergo ratione, ſi poſito naturali temperamento, naturali objecto, circunſtantiis loci & temporis arbitrium creatum ſub illis conſtitutum infallibiliter conſentit, vel operatur, nec poteſt in alteram partem deflectere, ex neceſſitate quadam naturali determinabitur, & ſine libertate conſentiet & operabitur ; cùm utrobique ſit eadem ratio, & cauſa naturalis infallibiliter determinans. Et ſi determinatio proveniens à prima cauſa, quæ & ſubſtantiam cauſæ liberæ creatæ & modum agendi attingit, ſua infallibilitate dicitur ab eis arbitrii perimere libertatem, quomodo iſta infallibilis determinatio voluntatis proveniens à cauſis extrinſecis merè naturalibus, ac naturaliter de ſe determinantibus ſalvabit, & non præcipitabit libertatem creatæ voluntatis ? Profectò fatum gentilicum dicebatur arbitrii libertatem auferre non alia de cauſa, niſi quia exiſtimabatur quædam vis poſitionis ſyderum, vel connexus cauſarum antecedens voluntatis humanæ conſenſum, & infallibi

infallibiliter ſeu inevitabiliter voluntatem ad dictum conſenſum trahens, ut conſtat ex D. Auguſtin. *lib. 5. de civit. Dei* : ergo eadem omnino ratione ſi in complexu circunſtantiarum hujuſmodi & naturalis temperamenti conſtituatur vis quædam infallibiliter atque inevitabiliter trahens arbitrium creatum ad conſenſum, inducitur fatalis quædam neceſſitas auferens libertatem : Si ergo Deus per illam ſcientiam mediam cognoſcit hominis voluntatem infallibiliter conſenſuram poſitam ſub talibus circunſtantiis, videt utique voluntatem noſtram fatali quadam neceſſitate ad conſenſum trahi; & ſubinde cum libertate arbitrii non cohæret.

Tandem in Angelis naturale temperamentum, & hujuſmodi circunſtantiæ locum non habent : attamen Deus per ſcientiam mediam debuit cognoſcere certò Angelos, qui facti ſunt ſalvi, fuiſſe ſalvandos ſi tali gratia excitarentur : futile ergo eſt ad illa recurrere. Nec dici poteſt, quod ex Angelorum individua ratione provenit, quòd congruè vocati conſentirent : quoniam cùm omnia, quæ ad hanc individuationem pertinent, naturalia ſunt, idem ſequeretur inconveniens, quòd videlicet illa determinatio eſſet naturalis. 506.

Hæc abſurda & inconvenientia, hiſque ſimilia quidam animadvertentes in ſolam arbitrii libertatem reducunt illius infallibilitatem conſenſus. Sed quoniam liberum arbitrium de ſe ad utrumlibet ſe habet, nec infallibilitatem aut neceſſitatem ſortiri poteſt, niſi ex hypotheſi quòd ſit in actu, affirmant Deum per ſcientiam mediam de futuro conditionato infallibilem habere 507.

bere cognitionem ac præscientiam duntaxat in secundo instanti, in quo intelligitur existens & factum in actu. Sed hoc jam supra manet impugnatum: etenim liberum arbitrium fit in actu & existit actu operans, quatenus est in seipso: sed ab æterno in seipso non est actu, sed in causis suis, quia ab æterno nihil est: ergo cùm ab æterno certò & infallibiliter cognoscatur à Deo, non potest cognitionis certitudo ad illam confictam existentiam ceu principium reduci, sed ad aliquam causam in qua futurum habeat esse determinatum ab æterno: sed non ad illius causam proximam, quæ ab æterno non est: ergo ad Deum ceu causam æternam, & ab æterno de rebus in tempore futuris disponentem: sed primum principium operandi ad extra in Deo est divina voluntas, operatur enim ad extra quia vult, & secundùm consilium seu propositum suæ divinæ voluntatis: ergo illa determinatio futuritionis in divinam voluntatem tanquam in primam radicem sui reduci debet.

508. Secundò prob. eadem secunda pars minoris: impossibile est, quod aliquis actus sit liber per ordinem ad voluntatem creatam, qui sit necessarius & carens libertate per ordinem ad divinam: sed actus ille terminans scientiam mediam & præscitus per illam respectu Dei seu per ordinem ad voluntatem divinam est omnino necessarius: ergo nequit simpliciter esse liber, sed debet omnino esse necessarius per habitudinem ad voluntatem creatam. Major constat, quoniam omnis libertas reperta in actu voluntatis creatæ est participatus à primo libero, illique essentialiter subordinatus; & præ-

terea

terea nihil in creaturis est, aut fit quod Deus quoad bona fieri non voluerit, aut permiserit quoad mala: & cùm voluntas Dei sit efficacissima, si vult illa fieri necessariò; fiunt necessariò si liberè, liberè, ut docet D.Th. infrà *q.19. art.8.* Minor verò prob. primo libertas voluntatis divinæ non potest esse aut intelligi, nisi per hoc quod actu & liberè vult seu decernit atque constituit aliquid fieri: sed in eo signo, in quo scientia media præscit ac prævidet aliquid conditionatè futurum; utpote convertendum Petrum si in talibus & talibus circunstantiis positus vocetur, nullum adhuc datum, aut concipitur in voluntate divina decretum actuale & exercitum, quo Deus liberè constituat convertere Petrum ex hypothesi quòd in talibus & talibus ponatur circunstantiis in quibus vocatus consentiat: ergo ille actus voluntatis creatæ, nimirum conversio v. g. non est liber per ordinem ad voluntatem divinam. Prob. minor: nam si pro eo signo daretur aliquod decretum divinæ voluntatis, jam istud antecederet scientiam mediam, istaque omnino libera esset tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti; subindeque non esset distincta à scientia visionis ac libera Dei.

Conf. 1. nequit actus esse liber nisi voluntati proponatur objectum cum judicio indifferenti, ut possit eligere unam partem præ alia: unde actus voluntatis circa bonum in communi & universale non est liber sed necessarius, quoniam cum judicio indifferenti non proponitur, sed ut determinatè amandum, bonum enim est id quod omnia appetunt: sed scientia media non proponit voluntati divinæ objectum 509.

ut movens sub aliqua indifferentia, sed ut certum ac determinatum: ergo respectu illius sic propositi nequit salvari libertas in actu divinæ voluntatis. Prob. minor scientia media versatur circa futurum ut habet determinatam veritatem objectivam, & subinde certum & determinatum esse; v.g. circa hoc futurum Petrus convertetur si ponatur in talibus circunstantiis, versatur cognoscendo infallibiliter fore ut Petrus se convertat in talibus circunstantiis constitutus, & hoc proponit voluntati divinæ ut certum: ergo scientia media non proponit voluntati divinæ objectum ut movens sub aliqua indifferentia, sed ut certum ac determinatum, itaut non remaneat voluntati divinæ arbitrium ad declinandum in partem oppositam; sicuti non potest enim scientia media non cognoscere illud, ita nec voluntas velle; alioquin fallibilis esset illa præscientia voluntate divina in alteram partem declinante.

510. Conf. 2. Quod antecedenter se habet ad libertatem inferens infallibiliter effectum tollit libertatem; & exinde Adversatii, probare se autumant per Physicam prædeterminationem à Thomistis assertam everti creatæ voluntatis libertatem, quoniam ista præcedit liberum consensum liberæ voluntatis creatæ, & infallibiliter infert illum: sed sciẽtia media præcedit decretum liberum divinæ voluntatis, & ex alia parte infallibiliter infert effectum, nempe consensum liberæ voluntatis præscitum determinatè futurum sub his circunstantiis: ergo omnino non est in potestate voluntatis divinæ ut aliud velit, aut in potestate voluntatis creatæ ut aliud faciat, alioquin præscientia illa falleretur.

retur. Sed de hac materia plura infrà *quæst.* 19. ac 23. & 1.2. agentes de motivo voluntatis humanæ, & de gratia subjiciemus Deo placidè annuente. Interim consule R. P. Gonet hic *disp.* 6. *art.* 6. ubi pluribus absurdis & inconvenientibus, quæ ex positione scientiæ mediæ consequuntur, illam confutat: à quibus abstinemus, quoniam materiam de voluntate Dei, de prædestinatione, de gratia, ac similes quæstiones concernunt, & ibi propriam disputationis sedem habent. His impræsentiarum contenti sumus.

CAPUT XVI.

Solvuntur argumenta quibus scientiæ mediæ fautores illam stabilire conantur.

§. I.

Solvitur primum argumentum desumptum ex celeberrimo illo S. Scripturæ testimonio, Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, &c. *Matthæi cap.* 11. *& Lucæ cap.*10.

ARg. 1. Deus certò & infallibiliter novit multa futura fore, si tales conditiones adhiberentur, quæ tamen non erunt: sed futura hujusmodi certò & infallibiliter in decreto efficaci seu determinatione suæ divinæ voluntatis illa prædefinientis non cognoscit: ergo per scientiam illam mediam, sive præscientiam conditionatam. Maj. ex dictis constat. Minor. prob. ex apertissimo illo Scripturæ Sacræ testi- 511.

monio, quòd de Tyriorum ac Sydoniorum conversione ut certò futurâ prænuntiavit Christus Lucæ 10. & Matth. 11. dicens: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* In quo testimonio non continetur simplex duntaxat prædictio de conversione illâ certò futurâ (positâ conditione, quòd eis prædicasset Christus, & coram ipsis miracula patrasset) sed increpatio & objurgatio quædam incredulitatis Judæorum, qui ut visis signis atque miraculis Christi Domini pœnitentiam non egerunt, quam proculdubio Tyrii & Sydonii acturi erant, si eadem signa & miracula apud eos fecisset; sed ejusmodi objurgatio inanis penitus atque injusta foret judicanda, si pœnitentia illa Gentilium, sub prædicta conditione certò futurâ, in decreto efficaci divinæ voluntatis ex parte objecti conditionato, à Deo cognita fuisset: ergo hujusmodi conversionem & pœnitentiam, aut alios quosvis similes eventus sub conditione futuros, non cognoscit Deus in decreto seu determinatione efficaci suæ voluntatis. Mai. ex ipso contextu patet. Et ita explicuit S. Hieronymus in Catena D. Thom. ad dictum cap. 11. Matth. dicens: *Exprobratio civitatum Corozaim & Bethsaida, & Capharnaum capituli hujus titulo panditur, quòd ideo exprobraverat eis, quia post factas virtutes & signa quamplurima non egerint pœnitentiam.*

512. Minor verò prob. Quia non apparet, cur Dominus justè increpare & objurgare potuerit Judæos comparatione illarum gentium, si istæ duntaxat convertendæ erant ex vi divinæ voluntatis

luntatis ita prædefinientis, & ex interiori dono gratiæ efficacis, quòd Deus illis ab æterno decreverat concedere, ſi illis Evangelium annunciaret, & coram ipſis virtutes atque ſigna faceret, cùm judæi ejuſmodi auxilium non forent recepturi. Poterant enim tunc juſtam excuſationem prætendere & Chriſto reſpondere, concede nobis donum hoc, quod daturus eras gentibus illis, ſi eis Evangelizaſſes, atque apud ipſos miracula fuiſſes operatus, & pariter nos converteremur, atque pœnitentiam agemus: cur ergo nos comparatione illorum damnas, qui non accepimus unde converteremur, quod illi accepturi ſine dubio erant.

Conf. 1. increpatio unius perſonæ præ alia 513
tunc injuſta habetur, ſi ex parte utriuſque non reperiatur æqualis virtus & ſufficiens poteſtas ad agendum ante omnem actionem, vel omiſſionem culpabilem illius quod agendum eſt: ſed in eo caſu, quo cognoſceretur futura illa gentium converſio in decreto efficaci divinæ voluntatis, quo ſub conditione illam converſionem decreverat, non foret æqualis virtus & ſufficiens poteſtas in populis Corozaim, & Bethſaïdæ, ſicuti foret in Tyriis & Sydoniis: ergo ejuſmodi objurgatio à Chriſto facta populis Corozaim & Bethſaïdæ comparativè ad Tyrios & Sydonios eſſet injuſta. Maj. variis exemplis declarari poteſt: Nam ſi Dominus habens duos ſervos, alteri illorum decem ſcutorum aureorum millia traderet, & alteri mille duntaxat, ad negotiandum, injuſtè idem lucrum ab ambobus exigeret; æqualis enim pecunia non fuit utrique commiſſa. Similiter exſibilandus foret concionator, qui ſuos objurgaret audito-

res, quòd ad tantam virtutem, excellentiámque non pervenerint, ad quantam attigit Beatiſſima Virgo Maria mater Domini, quæ ſingulariter fuit gratiæ benedictionibus à Deo præventa: aut iterum, quòd ipſi venialiter peccent, cùm tamen Chriſtus venialiter non offenderit, qui nullatenus peccare poterat. Min. verò prob. quia gentiles illi ſub conditione pœnitentiam acturi præviderentur à Deo in decreto illo efficaci dandi ipſis donum illud interioris gratiæ efficacis, ſine qua illa converſio minimè futura eſſet: ſed hujuſmodi donum non acceperant Judæi, neque illud Deus ipſis concedere decreverat: ergo in eo caſu, quo à Deo cognoſceretur futura illa gentium converſio in decreto efficaci ſuæ voluntatis, ſub conditione illam decernentis, non foret æqualis virtus & ſufficiens poteſtas in populis Corozaim & Bethſaida, quæ futura foret in Tyriis & Sydoniis.

514. Adde, quòd gentiles illi abſque illa libertate & merito ſuo longè meliùs eſſent præparati atque prædiſpoſiti quam Judæi, qui nulla etiam poteſtate libera, & nulla actione, aut omiſſione culpabili minorem illam diſpoſitionem & habitudinem ſuſceperunt, quique majorem ſua electione accipere non potuerunt, ſi diſcrimen & diſcretio conſiſtere dicatur in carentia prædefinitionis pœnitentiæ circa Judæos, & in prædefinitione conditionali circa gentilium converſionem atque pœnitentiam ſub illa conditione futuram.

515. Conf. 2. increpatio illa fuit argumentum quoddam, quo Chriſtus à paritate gentilium duritiam Judæorum increpare & demonſtrare intendit,

intendit, eo quòd tot visis miraculis atque signis conversi non fuissent, quæ si apud gentiles operatus esset Dominus, dubio procul in meliorem frugem se recepissent pœnitentiamque egissent: sed ut argumentum à paritate rationis factum sit validum & efficax, debet inter utrumque comparationis extremum salvari paritas omnimoda, alioquin reddita disparitate evidentem solutionem acciperet: ergo nisi Judæi omnino æquales supponantur gentilibus, tam in his quæ concurrunt per modum actus primi, quàm in decreto prædefiniente, omnino inefficax erit Christi argumentum contra Judæos ab exemplo gentilium desumptum.

Resp. ad arg. Christum reipsa quidem certò præscivisse futuram illarum gentium conversionem, si coram eis prædicaret, virtutesque illas faceret, quas alibi fecit, uti sæpiùs citatus S. Augustinus docet *lib. de dono perseverant. cap.9.* 516.
Certum etiam est atque indubitatum, Christum Dominum certam cognitionem illius futuri conditionati non habuisse, aut in exteriori Evangelii prædicatione, aut in virtutibus & miraculis externis, aut in libero arbitrio illarum gentium, quod à Christo præscitum fuerit positis illis duntaxat verbis & signis exterioribus, hoc enim asserere Pelagianum est. Ejusmodi igitur futurum conditionatum Christus certò novit in decreto efficaci suæ divinæ voluntatis, ex parte objecti conditionato. Unde ad arg. in forma respondetur neg.min. Ad cujus prob. neg. etiam min. Ad istius prob. dicendum, quòd quanvis Tyrii & Sidonii tunc de facto converterētur, quoniam illis à Deo daretur unde

efficaciter, ad Christum venirent, justissima tamen de causa Judæi comparatione illorum vituperantur, qui habentes sibi tot & tanta à Deo collata auxilia atque beneficia sufficientia ad convesionem, inter quæ erant Christi prædicatio, & patrata miracula, nec interiùs deerant quædam mentis illustrationes atque excitationes, ex suâ tamen malitiâ, pravaque & obdurata voluntate illi restiterunt. Unde Actor. 7. cap. de illis dicitur: *Dura cervice & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* In quæ verba S. Chrysost. *Quando nolebat esse sacrificia, sacrificabatis; quando volebat iterum non sacrificabatis: quando noluit dare vobis præcepta requirebatis: quando accepistis, neglexistis. Iterum quando stabat templum, idolis serviebatis: quando vult absque templo sibi serviri, iterum contrarium facitis.* Quemadmodum itaque illi qui credunt, licet eis datum sit ut credant, tamen de hoc meritò laudantur, ita etiam quia Evangelio non crediderunt, habitatores Corozaim & Bethsaida justissimè à Christo vituperantur, quoniam restiterunt, quippe qui incirconciso & obdurato corde erant. Hæc solutio desumitur ex D. Augustino lib. citato de dono Persever. cap. 9. ubi ait: *Facile quippe est ut infidelitatem accusamus Iudæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt.* Notanda illa verba: *Infidelitatem accusemus de libera voluntate venientem.* Quibus perspicuè indicat S. D. eis imputandum quòd non crediderint, & de hoc justè à Christo reprehendi. Quia quòd defuerit illis gratia ex eorum propria malitia & obstinatione

provenit.

provenit. Quemadmodum enim docet D. Th. 1. 2. quæst. 109. art. 8. Defectus gratiæ prima causa ex nobis est, collationis autem illius prima causa est ex Deo. Similiter ex defectu ipsius hominis est, quòd se ad gratiam habendam non præparet. Unde propter hoc à peccato non excusatur, quòd sine gratia peccatum vitare non potest. Itaque Judæi ob majorem obdurationem justè reprehenduntur, quòd obstaculum suæ conversioni apposuerint, quòd populi Sidonis & Tyri non apposuissent. Quòd insinuat D. August. in eodem lib. cap. 14. his verbis: *Cur non poterant credere Iudæi non tacuit Evangelium dicens: Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Et ideo non poterant credere, quia iterum dicit Isaias: Excæcavit oculos eorum & induravit cor illorum, ne videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur, & sanem illos. Non erant ergo sic excæcati oculi nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent.*

Sed dices: Quòd Judæi essent magis obdurati ex eo fuit, quòd eis collatum auxilium non fuerit quod quidem Tyriis & Sidoniis concessum fuisset: ergo cùm illa gratiæ & auxilii collatio in manu Dei sit, & non ipsorum, Judæorum, non videtur cur justè illis imputari potuerit illa major obduratio, ob quam visis tot miraculis, & auditâ Christi prædicatione pœnitentiam non egerunt. Antecedens sumitur ex Augustino loco citato, ubi 517.

hæc

hæc ſubjungit verba : *Sed nec illis profuit , quòd poterant credere , quia prædeſtinati non erant ab eo, cujus inſcrutabila ſunt judicia , & inveſtigabiles viæ : nec iſtis obfuiſſet quòd non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent , ut eos cæcos Deus illuminaret , & induratis cor lapideum vellet auferre.*

518. Deinde , quia ibi non confert Chriſtus impedimenta à Judæis appoſita cum impedimentis, quæ Tyrii & Sidonii objecerunt , ſed ſolummodo pœnitentiam iſtorum conditionatè futuram cum impœnitentia Judæorum viſis tot ſignis ac virtutibus , ſeu excluſione libera pœnitentiæ in Judæis , ipſóſque coarguit , quòd pejores ſint quàm fuerint Tyrii & Sidonii : ſed quia magis obfirmati ſint in criminibus quàm illi futuri eſſent , ſi apud eos factæ fuiſſent illæ virtutes: ergo non ſufficit , ſi dicatur Judæos quidem fuiſſe juſtè reprehenſos,quia majora impedimenta Dei gratiæ appoſuerint & ſe illâ magis reddiderint indignos.

519. Ad 1. inſtant.reſp.ex Sanct. Doct.1.2. q.79.a.3. primò & per ſe majorem illam obdurationem ex negatione auxilii non provenire , ſed ex mala & depravata peccantium voluntate. Verum eſt tamen , quòd ſi Deus magnâ ſuâ miſericordiâ illos præveniſſet auxilium aliquòd gratiæ efficax conferendo , omnem illam obdurationem vel prohibuiſſet vel abſtuliſſet , cor eorum lapideum emolliendo , & dando cor carneum , ut indicant illa Auguſtini verba. Sed quia auxilium illud debitum non erat,immo ad illud recipiendum ſe omnino indignos effecerant , atque reddiderant , idcirco totum illud obdurationis malum ſicuti primæ & per ſe cauſæ depravatæ eorum voluntati tribuitur.

Unde

Unde non comparat Christus quomodocumque pœnitentiam futuram Tyri ac Sidonis populorum cum obduratione & impœnitentia Judæorum ut istos accuset & increpet; sed assignando radicem hujusmodi impœnitentiæ in Judæis depravatam omnino & adulteratam eorum voluntatem. Quippe qui prædicationem Christi audiebant & miracula videbant, non ut converterentur & in meliorem frugem se reciperent sed potiùs ut irriderent, calumniarentur, & eorum auctori liberiùs detraherent, sicut docent Chrysostomus, & Hieronymus *in Catena Divi Thomæ ad cap. 12. Matthæi*, & communiter Patres atque interpretes. Ex quibus ad 2. Instant. patet. 520.

Sed rursus instabis: Sicuti efficax gratiæ auxilium non confertur propter dignitatem hominis, sed ob maximam Dei misericordiam, qui cui vult miseretur, ita etiam videtur omnino negari non debere propter hominis indignitatem. Et dato quòd aliquod hujusmodi efficax gratiæ auxilium propter præcedens peccatum denegetur, hoc ipsum revocandum erit in præviam voluntatem atque determinationem Dei, quàm pro suo nutu & arbitrio facit. 521.

Resp. ex doctrina Sanct. Augustini & Thomæ illis, quibus ejusmodi gratiæ auxilium conceditur, misericorditer equidem dari: illis autem quibus non datur, justo Dei judicio denegari, semper tamen ob aliquam ipsorum indignitatem, saltem ob ipsum peccatum originis, uti fusiùs alibi dicetur. 522.

Ad illud quod additur dicimus: quòd sicut, in adversariorum sententia, Deus præscivit multos si congruè vocarentur consensuros & credituros, 523.

credituros, v.g. Tyrios & Sidonios, de quibus movetur tanta quæstio, quibus tamen ejuſmodi vocationis cõgruæ beneficium non eſt elargitus, tum quia, ut illi inquiunt, illis debita non erat, tum ob alia in eis puniẽda peccata, quod quidem juſtè præſtitit: ita & auxilium efficax aliquibus denegatum fuiſſe aſſerimus: tum quia illis debitùm minimè erat, tum ob eorum peccata. Et denique tandem velint, nolint, ad divinam voluntatem deveniendum eſt, quæ quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle judicare ſi non vis errare. Unde Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 12. *Conficitur itaque gratiam Dei non ſecundùm merita accipientium dari, ſed ſecundùm placitum voluntatis ejus in laudem & gloriam ipſius gratiæ ejus, ut qui gloriatur, nullo modo in ſeipſo, ſed in Domino glorietur: qui omnibus dat quibus vult, quoniam miſericors eſt, quod & ſi non det juſtus eſt: & non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Dando enim quibuſdam quod non merentur, profectò gratuitam & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit: Non omnibus dando, quid omnes mererentur, oſtendit. Bonus in beneficio certorum, juſtus in judicio cæterorum.* Et ſuprà cap. 12. *Proinde ſicut Apoſtolus ait. Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt* Dei, *qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus ſubvenit, quos ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc eſt, nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus: & majoribus etiam his quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros: quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit, de quibus in ſua*

prædeſtina

prædestinatione occultè quidem, sed justè aliud judicavit: non enim est iniquitas apud Deum, *sed inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Universæ autem viæ* Domini *misericordia & veritas. Investigabilis est ergo misericordia, quâ cujus vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis: & investigabilis veritas, qua quem vult obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cujus miseretur plerumque communibus.*

Resp. quidam ad 1. Conf. dist. maj. increpatio unius personæ præ alia injusta judicatur si ex parte utriúsque non reperiatur æqualis virtus, quantùm ad actum primum, supra quem obligatio fundatur, conc. Quoad actum secundùm vel applicationem ad illum, quæ obligationem supponit, neg. maj. Et distinctâ minori eodem modo, negatur consequentia. Ratio est, qui justè increpetur unus præ alio. sufficit quòd æqualiter sint obligati, & unus transgrediatur altero non transgrediente, sed adimplente obligationem, quæ quidem supra posse fundatur, non verò super actum vel applicationem ad illum. Et quia decretum prædeterminativum non dat posse sed supponit, & ad ipsum actum efficaciter aplicat, hinc est quòd inequalitas ex illo proveniens non obstat justæ increpationi etiam comparativæ, dummodo in potentia æqualia supponantur extrema, ut in præsenti contingit. Neque exemplum servorum ad rem est, quia inter illos est inæqualitas etiam in actu primo, non enim potest unus tantundem mille aureis lucrari, quantùm alius decem millibus. Idem dic proportione servata de aliis exemplis. Ita Illustrissi. Dominus Godoy hic 524.

tract.

tract. 4. disput. 36. §. 5. num. 112. & M. Ferrè tract.6. quæst.9. §.1.num.118. ubi paulò immutatis verbis eandem solutionem tradit dicens; quòd licet Judæi & Gentiles fuissent inæquales in prædefinitione divinâ & efficacia auxilii, fuerunt tamen æquales in sufficientia auxiliorum, ex qua sola oritur obligatio ad bene operandum. Et cùm Judæi malè operati sint, & Gentiles bene operaturi prævisi, ideo justè comparativè ad Gentiles reprehenduntur. Quia obligatio bene operandi oritur ex præcepto & ex posse illo, & non ex prædefinitione.

525. Resp.2.dist.maj.increpatio unius personæ præ alia injusta judicatur si ex parte utriusque non reperiatur æqualis virtus ad agendum, si carentia illius virtutis non sit ob culpam & defectum, vel indignitatem ejus qui illâ privatur, seu cui non est concessa, transeat: si sit ob culpam, indignitatem, vel defectum illius, qui caret illa, nego major. v. g. in exemplo ab adversariis adducto de duobus servis, si ille qui habuit mille duntaxat, posset decem millia habere sicuti alter, non habuit verò, quia noluit immò obstaculum apposuit, justè objurgandus veniret, si tãtundem lucri non afferret, qui posset tantundem accipere, & lucrari, ipse sua culpa non accepit, immò oblata recusavit. Quemadmodum autem ex D. Thoma diximus, quòd homo non accipiat gratiam prima causa est ex ipso, illiusque ex defectu & indignitate contingit; unde meritò & justè increpatur si non acceperit, quia quod non acceperit ipse in causa fuit. Et distin. min. in eo casu non foret æquale auxilium, ob culpam & indignitatem Judæorum, concedo: absque eorum indignitate & culpa, nego min.

&

& conseq. Ad alia exempla de Beata Virgine, & Christo adducta dicimus, ea non esse ad rem quoniam habere tantam & tam excludentem gratiam est ex dono Dei, sed ponere obstaculum gratiæ Dei absolutè est primariò ex voluntate hominis, quapropter cùm judæi increpentur & accusentur à Domino, non quòd non habuerint tantam vel tam excellentem gratiam, sed quod gratiæ, per quam converti poterant ad Dominnum, obstaculum apposuerint, quod non apposuissent Tyrii & Sidonii, justè objurgantur à Domino facta comparatione ad istos.

Ad prob. minoris dicimus, quòd equidem Gentiles illi sub conditione pœnitentiam acturi præviderentur à Deo in decreto efficaci suæ divinæ voluntatis dandi illud interioris gratiæ donum, sine qua illa conversio nullatenus futura esset, & hoc ex mera Dei misericordia, quoniam illud habere non est volentis, neque currentis sed Dei miserentis: sed & prævidebantur obstaculum non apposituri gratiæ Dei excitanti illis concedendæ, scilicet prædicationi Christi, & miraculis visis, aut etiam interiori illuminationi, per quam sufficienter possent bene operari; cui restiterunt judæi, utpote obdurati corde resistentes semper Spiritui sancto: & de hoc increpantur justè comparatione factâ ad Tyrios atque Sydonios, quoniam hoc quod est non resistere in potestate illorum erat; & subinde meritò de hac resistentia judæi à Christo reprehenduntur. Quæ doctrina desumitur ex D. Thoma lib. 3. contra gent. cap. 159. ubi hoc argumentum objicit. *Cùm in finem ultimum aliquis dirigi non possit sine auxilio gratiæ, sine qua etiam non potest habere fidem, spem,* 526.

dilectionem atque perseverantiam, potest alicui videri quòd non sit homini imputandum si prædictis careat, præcipuè cùm auxilium gratiæ mereri non possit nec ad Deum *converti nisi* Deus *eum convertat:* Et respondet Sanct. Doct. *Ad hujus dubitationis solutionem considerandum est, quod licèt aliquis per motum advocare possit, potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat: & cùm hoc sit in potestate liberi arbitrij, non immeritò imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni.*

527. Ad 2. Conf. resp. quod exemplum à paritate rationis desumptum non ambulat per quatuor pedes veluti asinus, ut vulgò dicitur, sed paritas admittitur quantùm intento deservit. Ut autem sciatur quodnam fuerit Christi intentum notandum venit ex Rabano *lib.* 4. *in Matth.* quod postquam Discipulos suos Dominus ad prædicandum mittens verbis instruxit, ipse etiam quod docuerat verbis, factis implevit, offerens primam prædicationem Iudæis: *Et factum est* (inquit cap. 11.) *cùm consumasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum.* Cùm per miracula & doctrinam Christi tam discipuli, quàm turbæ instruerentur, ejusmodi instructio ad Ioannis discipulos pervenit, ex quibus ipse duos jam in carcere constitutus ad Christum misit, ut interrogaret eum, utrùm esset Messias qui à populo Iudæorum expectabatur. Christus editis illico multis miraculis fecit eos discere quisnam ipse esset, Messias nimirum: & sic instructos remisit ad Ioannem. Horum interrogatione cùm plebs adstans in quandam suspicionem deducta esset & ignorantiam

tiam de Christo (ignorabat enim mittentis consilium) Christus ejusmodi suspicionem & ignorantiam à mentibus eorum auferre cœpit, ostendens Ioannem à priori opinione nullatenus excidisse, quam promulgaverat de Christo annuncians ipsum esse verum Messiam. Completo Ioannis elogio transiit ad objurgandum ipsam plebem dicens : *Suavitatem similem æstimabo generationem istam ? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: cecinimus vobis & non saltastis, lamentavimus & non planxistis. Venit enim Ioannes non manducans neque bibens, & dicunt, dæmonium habet : venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.* Totus hic Chisti sermo, ut notavit D. Hilarius *can.* 11. *in Matth.* infidelitatis opprobrium est, & de affectu superioris querimoniæ descendit, quia insolens plebs per diversa sermonum genera docta non fuerit. Q. d. Tantus est Ioannes, sed vos nec illi nec mihi voluistis credere : ideo cui vos similes æstimabo ? Cecinimus vobis, & non saltastis, hoc est, provocavimus vos ut ad nostrum canticum bona opera ederetis & noluistis ; lamentati sumus, & vos ad pœnitentiam provocavimus, & neque hoc quidem facere voluistis, utramque spernentes prædicationem tam exhortationis ad virtutem, quàm pœnitentiæ post peccata, ut explicat D. Hierónymus. Remissam vitam ostendi, & non persuasi estis. Ioannes duram sustinuit vitam & non attendistis, sicut exponit Chrysostomus. Sed si vos persuasi non estis, jam tamen me incusare non habetis, justificata

est enim ſapientia à filiis ſuis, hoc eſt, Dei diſpenſatio atque doctrina. *Tunc*, ait Matthæus, *cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Corozoaim, væ tibi Bethſaïda, &c.* Erant hæ duæ civitates Galileæ ſitæ in littore maris ejuſdem: quis nominatim increpavit, quoniam cùm tanta in eis miracula & ſigna patraſſet, & toties eis Evangeliſaſſet, nec tamen converti volebant. Objurgat autem comparatione facta ad Tyrum & Sydonem urbes Phœnicis, idololatriæ deditas, ut notat D. Hieronymus, *Quia*, inquit, *ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Cujus objurgationis cauſam reddens idem S. D. ait: *Quia Tyrus & Sydon naturalem tantùm legem calcaverant, iſtæ verò civitates poſt tranſgreſſionem naturalis legis & Scripturæ, etiam ſigna, quæ apud eos facta ſunt, parvi duxerunt.*

528. Quibus ſuppoſitis reſp. quòd equidem increpatio illa fuit argumentum quoddam quo à paritate Gentilium duritiam Judæorum, & præſertim civium Corozaim & Bethſaïda Chriſtus increpare intendit. Paritas autem in hoc ſiſtit, quòd ſi Tyriis & Sydoniis datum eſſet audiro doctrinam Chriſti, tot & tanta videre miracula, ſimiliaque gratiæ ſufficientis auxilia ea non neglexiſſent, ſicut neglexerunt Judæi pervicaces & obſtinati, non negligendo haberent unde venire poſſent, nec demererentur habere unde venirent, auxilium videlicet gratiæ efficacis; quo ſe penitus indignos reddiderunt Judæi illi in ſua obduratione perſiſtentes & Spiritui

ritui sancto resistentes. Et de hoc justissimè objurgantur. Neque in alio fundatur paritas à Christo intenta. Et in hoc respicitur quodammodo æqualitas inter utrosque quoad sufficientiam auxiliorum, sed disparitas in pravitate voluntatum, & excæcatione cordium. Hanc explicationem insinuat D. Augustinus lib. de dono perseverant. capit. 14. dicens : *Præscivit profectò Deus beneficia sua, quibus nos liberare dignatur; hæc autem est prædestinatio sanctorum, præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur. Cæteri autem nonnisi in massa perditionis justo divinoque judicio relinquentur, ubi Tyrii relicti sunt & Sidonii, qui etiam credere poterant. Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, & unde crederent est negatum.* Notanda illa verba, *poterant credere*, &c. per quæ designantur gratiæ sufficientis auxilia, quæ dant posse. Ex quibus patet quòd paritas illa est in ordine ad auxilia sufficientia : quibus datis restiterunt habitatores Corozaim & Bethsaïda, & parvi ea penderunt, non autem Tirii & Sidonii. Unde S. D. statim subdit : *In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere non tacuit Evangelium dicens: Cum autem tanta signa fecisset in eis, non crediderunt in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Et ideo non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, & induravit cor illorum ne videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur & sanem*

illos. Non erant ergo sic excecati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa, vidissent. Advertenda illa verba: *Iudai non poterant credere:* quæ explicans idem S. D. tract. 53. in Ioan. ait: *Quare non poterant credere? Respondeo quia nolebant. Sicut enim quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divina; ita quòd illi non poterunt credere, culpa est voluntatis humana: Aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum, quia scil. excacavit oculos eorum: Sed hoc etiam voluntatem eorum meruisse respondeo: sic enim excacat, sic obdurat Deus deserendo, non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Ex his alias instantias, si quæ sint, non erit arduum dissolvere.

§. 2.

Solvuntur argumenta ex authoritate Patrum desumpta.

529. Arg. 2. ex variis aliis SS. Patrum testimoniis, quæ huic scientiæ mediæ aliquod patrocinium superficie tenus præbere videntur. Et imprimis quidem S. Chrysostomus homil. 31. in Matth. asserit à Christo Sanctos Paulum & Matthæum tunc esse vocatos, cùm esse illos consensuros noverat: *Sed cujus rei gratia,* inquit, *non cum Petro simul ac Ioanne & aliis discipulis ipsum vocavit? Certè quemadmodum tunc ad illos accessit, vocavitque quando obtemperaturos sciebat, sic Matthaum quoque nunc vocavit, quando miraculorum fama perdomitum minimè reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resur-*

rectionem

rectionem piscatus est. Nam qui corda scrutatur, & occulta mentium perspicit, is etiam quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit: propterea non continuò incipiens, quando durior fuit, sed post mille miracula & insignem, atque promulgatam famam, aptiorem jam ad obtemperandum vocavit. Cui consonat D. Ambrosius explicans illa Apostoli verba ad Rom. 9. *Miserebor cui miserebor*, hoc est, inquit Ambrosius, *Misericordiam dabo cui præscivi reversurum*, & iterum: *Hoc est dare cui est dandum, ut illum vocet, quem sciat obedire.*

Deinde S. D. Augustinus in idem consentire 530.
videtur nam Epist. 49. quæ est de 6. quæst. Pagan. quæst. 2. reddens rationem cur Incarnatio Christi Domini potiùs illo, quàm alio tempore peracta sit, inquit, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam. quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri.* Quibus verbis S. D. apertissimè hanc scientiam mediam constituit, quâ prænoscit Deus quid operaturum sit liberum arbitrium humanum, si in tali rerum ordine constituatur, & ipse suum illi præbeat auxilium. Nec valet dicere quòd ipse hanc retractarit sententiam lib. de prædest. sanct. cap. 9. Non, inquam, valet, cùm ibi potiùs eam confirmarit dicens: *Quid enim est verius quàm præscivisse Christum, qui & quando, & quibus in locis in eum fuerunt credituri?* Unde & lib. de corrept. & grat. cap. 8. probans bonum perseverantiæ esse gratuitum Dei donum, & aliquibus justis negari, ait: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit ne malitia*

mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animos ipsorum, utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissimè & insanissimè dicitur. Illis enim verbis, *An eorum mala futura nescivit,* evidenter de scientia conditionata loquitur, est enim sensus eorum, etiam si præsciret ipsorum futura peccata, si diutius vitam protraherent, tamen illos de hujus vitæ periculis eripere noluit, dum justi essent. Quapropter lib. de bono perseverant. cap. 9. hunc sensum exprimit dicens: *Certè poterat Deus præsciens illos esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Ubi, particula, *præsciens*, de scientia conditionata procul dubio intelligenda venit, reddit enim hunc sensum, præsciens esse lapsuros si viverent, poterat antequam id fieret, auferre de hac vita. Neque ullo pacto de præscientia absoluta intelligi potest: si enim absolutè prævisi erant victuri, & peccaturi, quomodo hoc supposito de hujus vitæ periculis subduci poterant, ne peccarent? Quocirca subjungit: *Quanta absurditate dicatur judicari homines mortuos, etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos esse, si viverent.* En conditionalem illam manifestissimis verbis expressam. Et tandem loquens de Tyriis & Sidoniis subdit: *Sed nunquid possumus dicere Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent? Cùm eis Dominus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum.* Et denique lib. de grat. & lib. arbit. cap. 23. inter mysteria inscrutabilia divinæ prædestinationis ista reponit,

nit, *Illum baptisatum parvulum in hac vita relinqui, quem præscivit Deus impium futurum; istum verò baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutet intellectum ejus.* Ubi loquitur de certa futuræ malitiæ præscientia. Ad idem propositum adduci possunt. S. Prosper. *ad exemp. Genuens. respons.* 8. & D. Anselmus cum D. Remigio, super illa verba Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone*, Præterea Venerabilis Beda. *Actor. c.* 16. reddens rationem cur Paulus & Socii prohibiti sunt in alia Dei verbum annunciare, ait: *Quia sciebat contempturos verbum Dei.* Inducitur & Nemesius *lib. de nat. hom. cap.* 14. ubi asserit Deum utiliter sinere hominem in paupertate vivere, præsciens si dentur depravaturas cor ipsius. Innumera alia ab oppositæ sententiæ fautoribus Patrum testimonia adduci solent, quæ quoniam vel loquuntur de præscientia absoluta, vel parum ad rem faciunt, consultò omittimus.

Conf. 1. Sancti Patres præsertim Tertullianus lib. cont. Marcionem, & D. Hieronymus dialogo 3. contra Pelagianos respondentes huic Marcionis argumento, *Vel præscivit Deus hominem in Paradiso positum mandatum transgressurum, vel non præscivit. Si præscivit Deus, non peccavit homo: quia non potuit divinæ scientiæ resistere: Si non præscivit, cui aufers præscientiam aufers & divinitatem.* Respondentes, inquam, aiunt, & præscivisse Deum, & tamen peccasse hominem, utpote in sua libertate relictum: *Et præscivit Deus & peccavit homo*, inquit Hieronymus; *quia ita Deus præscivit, ut eum in sua libertate relinqueret:* Sed præscientia ista antecedit voluntatem sive decretum creandi homi- 531.

nes, ergo est præscientia conditionata, sive scientia media. Minor prob. tum quia Tertullianus illam præscientiam annumerat simul cum Dei bonitate & potentia, quæ voluntatem antecedunt, aitque ab his tribus divinam providentiam, peccati permissionem, & creationem promanare. Tum etiam quia SS. Patres loquuntur in his locis de scientia directiva divini decreti: ergo loquuntur de præscientia antecedente divinum decretum.

532. Conf. 2. SS. Patres frequenter docent multa esse à Deo præscita, quæ non sunt prædestinata; præscientiamque majoris esse ambitus quam prædestinationem; ergo debet præscientia de se à decreto divinæ voluntatis esse independens, quoniam quidquid est à Deo decretum est etiam prædefinitum, sive prædestinatum: sed præscientia omnino à decreto libero divinæ voluntatis independens est scientia media: ergo ipsi scientiam mediam agnoverunt. Major prob. ex D. Augustino lib. de prædestinat. Sanct. c. 10. ubi ait: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Idem habent S. Prosper in respons. ad cap. Gall. 15. & D. Fulgentius lib. 1. ad Moninium cap. 20. quos insecutus D. Thomas quæst. 6. de verit. art. 3. docet præscientiam in Deo non importare universaliter habitudinem causæ respectu eorum de quibus est; quam prædestinatio intrinsecè dicit, atque ex hac parte præscientiæ superaddere dicitur: *Præscientia ergo Dei*, inquit, S. D. *quia non importat universaliter habitudinem causæ respectu horum, quorum est, non consideratur in ea nisi certitudo cognitionis tantùm: sed prædestinatio, quia*

quia præscientiam includit, & habitudinem causæ ad ea, quorum est addit, &c.

Resp. imprimis ad auctoritatem Divi Chrysostomi, verum esse Deum vocasse illos Apostolos, quando sciebat illos esse obtemperaturos, operante scil. interiùs Deo in cordibus ipsorum, ut tali efficaci vocationi minimè reluctarentur, sed continuò obtemperant. Unde eos obtemperaturos scivit in decreto illo efficaci quo illis dare constituerat quo & unde obtemperarent, & minimè resultarentur. Quocirca idem S. D. vocationis virtutem ibi extolli, qua de mediis peccatis, eos eripuit. Quapropter meritò Cardin. Toletus Societatis Jesu doctissimus auctor annot. 54. in capit. 5. Lucæ hæc scribit: Huic doctrinæ Chrysostomi adversari videtur id quod ipsemet Paulus de sua vocatione ad Galat. cap. 1. scripsit: *Cùm placuit*, inquit, *ei, qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret in me filium suum, ut Evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni & sanguini.* Non dicit Paulus, quando novit me obediturum, sed quando illi placuit qui per gratiam me vocavit. Non expectat Deus semper arbitrium nostrum, quia sua gratiâ ipsum excitat, ipsique dat velle & perficere, & qui etiam rebelles convertit, & compellit voluntates. Tunc ergo vocavit quando illi placuit; & si ante vocasset, utique respondisset, & obtemperasset. Non ergo ratio aut tempus vocationis hujus & similium referendum est in hominis arbitrium, sed in Dei beneplacitum, cui sic visum est sicque disposuit. Potest autem intelligi Chrysostomus sic, tunc vocasse discipulos quando sciebat 533.

ſciebat illos obtemperaturos, nimirum per ipſius gratiam; ſciebat quando ipſe operaturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti & tunc vocavit. Niſi ſic intelligas, doctrinam non prob. Nec ſolum doctrinæ huic Chryſoſtomi in hac parte non conſentio, ſed contrariam omnino veram exiſtimo: Totus eſt Auguſtinus in hac doctrina, quam in hac parte probo. Ita doctiſſimus Cardinalis.

534. Eodem modo poſſet explicari Ambroſii Locus. Eamque explicationem inſinuat D. Thomas quæſt. 6. de verit. art. 2. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd debitus gratiæ uſus eſt quoddam ad quod divina providentia gratiam collatam ordinat. Unde non poteſt eſſe quod ipſe rectus gratiæ uſus præſcitus ſit cauſa movens ad dandam gratiam. Quod ergo Ambroſius dicit dabo illi gratiam, quem ſcio, &c. non intelligendum eſt, quod perfecta cordis converſio ſit inclinans voluntatem Dei ad dandum gratiam; ſed quòd datam gratiam ad hoc ordinat, ut aliquis acceptâ gratiâ perfectè convertatur in Deum.* Igitur Deus decernit dare ei gratiam, quam præſcit obtemperaturum, donante illi Deo unde obtemperet; ſicque præſcientia illa eſt fundatâ in efficaci Dei decreto, quo conſtituit illi dare, ut obtemperet. Sed dicimus opus illud Ambroſij non eſſe, ſed Pelagianiſmo ſcatere, quemadmodum eruditiſſimi viri adverterunt, & vos alibi dicturi ſumus.

535. Ad teſtimonia ex Sanct. Doctor. Auguſtino adducta ut reſpondeamus advertendum id quod Div. Thomas. opuſcul. 1. contra errores Græc. obſervandum præmittit, dicens: *Errores circa fidem exorti occaſionem dederunt Sanctis Eccleſiæ*

clesiæ Doctoribus, ut ea quæ sunt fidei majori circumspectione traderent ad eliminandos errores exortos: sicut patet quòd Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arrii non ita expressè locuti sunt de unitate divinæ essentiæ, sicut Doctores sequentes, & simile de aliis contingit erroribus, quod non solùm in diversis Doctoribus, sed in uno egregio Doctore Augustino apparet. Nam in suis libris, quos post exortam Pelagianorum hæresim edidit, cautiùs locutus est de potestate liberi arbitrij, quam in libris, quos edidit ante prædicta hæresis ortum, in quibus libertatem arbitrij contra Manichæos defendens aliqua protulit, quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani divinæ gratiæ adversantes. Quæ quidem Patrum dicta ait esse reverenter exponenda. Quam doctrinam desumpsisse videtur ex eodem Sanct. Doct. Augustino lib. de prædest. Sanct. cap. 14. ubi ait: *Si hujus sententiæ* (raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius) *defensionem ex divinorum eloquiorum nos præcedentibus Catholicis tractatoribus promerem, profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent: hoc enim significastis litteris vestris. Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur: non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Vnde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent: immorarentur verò in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant.* Quod specialiter de seipso testatur eodem libro cap. 9. cujus verba statim adducemus.

mus. Et lib. de dono persever. cap. 12. respondens ad ea quæ ipsi scripserat Hilarius, videlicet quod semipelagiani dogma suum. *Non solùm aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur*, adducentes locum illum ex epist. 49. de 6. qq. Pelag. quæst. 2. supracitatum, & alia similia, ait Sanct. Doctor. *Frustra igitur de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam sicut debeo agere parvulorum, & inde gratiam Dei non secundùm merita hominum dari perspicuæ veritatis luce convincam.*

536. Quibus suppositis responderi potest Augustinum hæc scripsisse juvenem & ante exortam Pelagianorum hæresim, quemadmodum inter alios adnotavit Cardin. Bellarminus *lib. 2. de grat. & libero arbitr. cap.* 15. Quapropter ibi non ita rectè & adamussim mentem suam exposuit, sicut in aliis libris, quos postea contra Pelagianos edidit, sed breviter ea duntaxat subjecit, quæ instituto suo & solvendæ propositæ à Porphyrio quæstioni satis erant. Quod & ipsemet Sanct. Doctor. testatur in lib. de prædest. Sanct. cap. 9. ubi Prosperi & Hilarij epistolis respondens, quibus acceperat Massilienses doctrinam suam de vocatione congrua & præscientia conditionata in ejusmodi dictis fundare, ita scribit: *Illud autem quod in opusculo meo quodam contra Porphyrium sub titulo, de tempore Christianæ religionis, me dixisse recolitis; ita dixi, ut hanc diligentiorem & operosiorem disputationem de gratia preterirem, non sanè omissa significatione, quod eam loco illo explicare noluissem, quæ posset aliàs vel ab aliis explicari. Nam ita locutus sum inter cætera respondens propositæ*

proposita quæstioni, cur Christus post tam longa tempora venerit. Proinde, inquam, cùm Christo non objiciant, quod ejus doctrinam non omnes sequuntur: sentiunt enim & ipsi nequaquam, hoc rectè objici posse, vel sapientia Philosophorum, vel etiam numini Deorum suorum, quid respondebunt, si excepta illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, ubi fortassis aliud divinum consilium longè secretius latet, sine præjudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus investigari queunt, hoc solùm eis brevitatis gratia in hujus quæstionis disputatione dicamus: Tunc voluisse hominibus apparere Christum & apud eos prædicari doctrinam suam, quando, sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Et infrà: *Cernitis me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarúmque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac differere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri: posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quoniam si ita diceretur, lectorem faceret*

ceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius & laboriosius disputari, visum est mihi, quod tunc satis erat, previter esse dicendum, excepta, ut dixi altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præjudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed opportunius disputandum putavi. Ex quibus tria habentur: Primum est, tunc se abstinuisse Augustinum ab operosiore ac diligentiore illa quæstione de gratia & modo cognoscendi futura, an videlicet initium fidei sit ex nobis, an à Christo donante atque illius gratia: & an præscierit tantùm eos credituros annuntiato tunc illis Evangelio, an etiam prædestinaverit (hoc est, prædifinierit) & fidem eorum futuram in sua præfinitione certò cognoverit. Secundum est, ea se breviter prosequutum quæ solvendæ quæstioni tunc necessaria esse videbantur; quia cùm nondum esset exorta Pelagianorum hæresis, necessarium non erat eas quæstiones fusiùs prosequi, ac dilucidiùs explicare. Tertium est, hoc ab eo dictum, sine præjudicio latentis consilii Dei, pædifinitionisque ac decreti divini, & aliarum causarum. Unde Sanct. Doctor. lib. de prædest. SS. cap. 9. hanc, quam in epist. de 6. qq. Pagan. quæst. 2. sententiam tradiderat, quod ad hoc saltem, non retractavit, sed potiùs ampliorem ejus explicationem adhibuit. Quapropter ad illud quod additur ex dicto libro, dicimus equidem præscivisse Christum qui & quando in eum crediturì erant, in prædestinatione seu prædefinitione & decreto suæ divinæ voluntatis, ut ex dictis constat. Similia ad testimonium illud adductum ex lib. de corrept. & grat.

grat. cap. 8. dicimus Deum equidem futura mala præſciviſſe, in decreto ſcilicet permiſſivo ſuæ divinæ voluntaris : nec tamen voluiſſe eos de hujus vitæ periculis eripere, ob ſua inſcrutabilia judicia. Unde admiſſo quòd hæc præſcientia conditionata ſit, non tamen qualem admittunt Adverſarii, ſed fundata in decreto libero divinæ voluntatis. Et eodem modo ad cætera Patrum teſtimonia reſpondendum.

Ad 1. Confir. reſp. equidem juxta veriſſimam Patrum ſententiam præſciviſſe Deum quòd à ſe 537. condendus homo eſſet peccaturus & tranſgreſſurus præceptum ſibi impoſitum in Paradiſo conſtitutus. Negamus tamen hanc præſcientiam eſſe conditionatam, ſed omnino abſolutam, ſubſequentem decretum de condendo homine, & permiſſione lapſus illius. Nam priùs debet intelligi velle Deum condere hominem, quam quod velit permittere ipſius lapſum. Quapropter ad ſcientiam Dei liberam ejuſmodi præſcientia ſpectat. Verum eſt tamen quod antecedit illa præſcientia decretum condendi homines quoad exemptionem, ſed non decretum intenſivum. Uude negatur minor. Ad cujus primam prob. dicimus quòd licèt bonitas & potentia Dei abſolutè ſumpta divinum decretum præcedant, non tamen bonitas ut volita communicari creaturæ, aut potentia ut imperata à voluntate & directa per ſcientiam, & ſimiliter neque ſcientia, radix enim omnium quæ Deus ad extra liberè operatur eſt divina voluntas, cui per antonomaſiam rerum productio tribuitur ; quemadmodum ex Div. Thoma ſæpiùs obſervatum reliquimus. Ad ſecundam probationem dicimus Deum in decernendo à ſcientia ſimplicis

cis intelligentiæ dirigi, modo ſupra explicato *cap.*12. Itaque ſive hæc præſcientia abſoluta ſit, ut revera eſt, ſive conditionata tamen in decreto fundatur: & ſubinde longè à ſcientia media ab Adverſariis conficta recedit.

538. Reſp. ad 2. Confirm. imprimis loqui SS. Patres de præſcientia futurorum abſolutorum, qualis non eſt ſcientia media: unde non magis eorum teſtimonium militat contra nos, quàm Adverſarios etiam admittentes præſcientiam abſolutorum in decreto divinæ voluntatis fundatam, & iſto poſteriorem. Reſp. 2. loqui de præſcientia & prædeſtinatione reſpectu objectorum, quoniam ſcil. prædeſtinatio eſt reſpectu bonorum duntaxat quorum Deus eſt & dicitur ſimpliciter cauſa; præſcientia verò reſpectu malorum, quæ Deus non dicitur ſimpliciter cauſare ſed permittere, in qua quidem permiſſione includitur voluntas concurrendi ad actionem peccati, ut actio & entitas eſt. Unde etiam præſcientia quodammodo habet rationem cauſæ, ſed non ſimpliciter & abſolutè reſpectu cujuſcunque objecti ſui, ſicuti prædeſtinatio. Quocirca ſtatim S. D. Auguſtinus ſubjungit: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: Unde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt. Præſcire autem poteſt quæcunque non facit, ſicut quæcumque peccata.* Hac etiam ratione D. Thomas aſſerit, præſcientiam non habere univerſaliter habitudinem cauſæ, loquendo ſcil. de cauſa ſimpliciter, & reſpectu cujuſcumque objecti ſui, etiam malorum. Cum hoc tamen ſtat, quod omnis præſcientia propriè ſumpta in decreto libero divinæ voluntatis fundetur, ſive poſitivo ſive permiſſivo.

§. 3.

§. 3.

Solvuntur argumenta à ratione petita.

ARg.3. ubi est distincta ratio objecti à Deo cognoscibilis, ibi debet distinctus scientiæ modus constitui: sed inter possibile, quòd per scientiam simplicis intelligentiæ certò à Deo cognoscitur, & inter absolutè futurum, quòd à Deo per scientiam visionis, seu liberam certò præscitur, datur futurum sub conditione, ut patet: ergo debet dari quidam scientiæ modus, quæ sit media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. 539.

Conf. sicuti se habet res aliqua ad fore, vel non fore absolutè; ita se habet ad fore & non fore sub conditione: ergo sicut in futuris absolutis altera pars est determinatè vera, & ex consequenti à Deo certò prævidetur, ita in futuris conditionatis altera pars est determinatè vera, & subinde certò à Deo cognoscitur: sed non per scientiam visionis quæ respicit esse rei, illa autem actu non erit: neque per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ est necessariorum duntaxat: ergo per aliquam scientiam mediam inter utramque. 540.

Resp. ad arg. quod futurum sub conditione non constituit aliquam rationem objecti scibilis mediam inter rationem purè possibilis & absolutè futuri. Nam, ut diximus suprà ex D. Thoma *quæst. 3. de verit. art. 3.* scientia visionis & simplicis intelligentiæ ex parte rei scitæ distinguuntur, inquantum scientia visionis includit ordinem ad existentiam, quæ est extra genus objecti scibilis; quem non dicit scientia 541.

ſimplicis intelligentiæ. Et quoniam futurum conditionatum quatenus futurum eſt, ordinem ad exiſtentiam, ſaltem ſub conditione, intrinſecè includit, ut tale eſt, non conſtituit diverſum modum objecti ſcibilis à futuro abſoluto, ſed pertinet ad ſcientiam viſionis, ſicut & illud, ex parte rei futuræ. Verum eſt tamen, quod ex parte illationis neceſſariæ conditionatum ad ſimplicem intelligentiam ſpectare poteſt. Et enim ſi ipſa illatio fuerit abſolutè neceſſaria ſine dependentia ab aliquo actu libero divinæ voluntatis, tunc per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ à Deo prævidetur. Sed hoc non tam eſt cognoſcere futurum quam præſentem illationem & actualem ordinem conſequentis ad antecedens. Si verò illatio non fuerit ex ſe neceſſaria ſed dependeat illius infallibilitas à divino decreto, oportet ut per ſcientiam viſionis & liberam ſimpliciter præſciatur, quemadmodum fusè explicatum eſt ſuprà.

542. Per quod ad conf. patet. Dicimus enim quòd etiam in futuris conditionatis una pars eſt determinatè vera; non tamen independenter à decreto divinæ voluntatis, quoad futuritionem rei; eſto quoad illationem independenter ab illo poſſit eſſe, ut dictum eſt; v. g. ex his duabus conditionalibus, *Si in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes, converterentur*, &, *ſi in Tyro & Sydone facta fuiſſent virtutes non converterentur*, affirmativa eſt vera, utpote à Chriſto Domino aſſerta; ex præſuppoſitione tamen divinæ voluntatis, quæ id efficaciter decreverat & conſtituerat implendum, tali conditione appoſita. Unde per ſcientiam liberam à Deo, vel anima Chriſti unita verbo certò prævidebatur.

Inſtabis,

Instabis, etiam ante decretum divinæ voluntatis ex duabus contradictoriis, sive de futuro conditionato, sive de futuro absoluto, altera debet esse determinatè vera: ergo id quod per ipsam significatur determinatè verum est, aut determinatè falsum. Ad hanc instantiam responsum est suprà cap. 10. ubi inter alia cum Aristotele & D. Thoma 1. Periher. lect. 13. diximus, *Quod in singularibus quæ sunt de futuro hoc non est necesse quod una determinatè sit vera, & altera falsa:* alioquin non esset de re contingenti sed necessaria. Quoniam contingens suapte natura exigit ad utrumlibet indifferentiam; omne enim quod est ad unum determinatum, oportet esse necessarium. Quapropter si ante omne decretum divinæ voluntatis propositio significat rem prout est ad unum determinata, quo pacto est determinatæ veritatis vel falsitatis, omnino erit de re necessaria, & subinde contingens non erit sed prorsus necessaria. 543.

Arg. 2. Si scientia Dei respectu futurorum conditionatorum esset in decreto & præfinitione divinæ voluntatis fundata, ipsa non esset libera, sed necessaria: sed hoc est absurdum & contra ipsosmet Thomistas: ergo, &c. Sequela prob. à decreto efficaci ad futurum conditionatum est consequentia & illatio necessaria; v. g. si hoc Deus efficaciter decrevit, utputa conversionem Petri, illud erit, necessaria est, quia divinum decretum cassum esse non potest, aut vertibile: sed scientia quæ est de re necessaria in Deo, est necessaria & non libera: ergo ejusmodi scientia esset necessaria & non libera. 544.

Resp. neg. seq. ad prob. dist. majorem: A de- 545.

creto efficaci ad futurum conditionatum est consequentia & illatio necessaria necessitate absoluta & fundata in prædicatis rei intrinsecis, nego majorem: necessitate suppositionis & infallibilitatis, concedo maj. Et dist. min. scientia, quæ est de re necessaria absolutè, & ex vi terminorum, est in Deo necessaria conc. quæ est de re necessaria ex suppositione, nego min. & conseq. Itaque omnis scientia, ut talis est, de re necessaria esse debet, & quæ aliter se habere non possit; sed non eodem modo quæ sciuntur, necessaria esse oportet. Unde scientia absolutè naturalis & necessaria in Deo dicitur, quæ respicit res secundùm sua prædicata essentialia vel intrinsecè convenientia, in quo statu fit præcisio ab existentia, quæ rei creatæ accidit. Sed scientia libera respiciens rerum productionem, non habet respicere necessaria nisi sub conditione, hoc est, supposito quod actu sint, vel dicant determinatum ordinem ad existentiam; quo pacto dicimus necesse esse Petrum sedere dum actu sedet. Unde potest dici quod est necessitas ex parte illationis, & non ex parte rei illatæ.

546. Arg. 3. Deus certò & infallibiliter futura conditionata prænoscit: sed non in decreto suæ divinæ voluntatis, aut per scientiam naturalem: ergo per scientiam mediam. Minor. prob. primò, quia illud decretum esset antecedens libertatem, & subinde destrueret istam. Prob. 2. quia Deus etiam peccata futura sub conditione certò cognoscit: sed non in decreto, aliàs esset causa ipsorum: ergo futura conditionata in decreto suæ divinæ voluntatis non cognoscit sed per scientiam mediam. Respondebitur

pondebitur ad argumentum infrà q. 23. ubi nobis erit sermo de efficacia divinorum decretorum. Ad conf. sequenti cap. dicetur.

CAPUT XVII.

Vtrum in Deo admittenda sint decreta quædam ex parte objecti conditionata in quibus Deus futura conditionata certò prævideat.

§. 1.

Quibusdam adnotatis stabilitur conclusio atque auctoritate probatur.

IN memoriam revocanda sunt, quæ de hujusmodi futuris suprà *cap.* 7. tradidimus: & præterea adnotandum duplex decretorum genus in Deo distingui. Alterum simpliciter absolutum, hoc est, tam ex parte subjecti sive actus volendi, quàm ex parte objecti; quo nimirum absolutè & efficaciter, nulláque apposita conditione aliquid decernit; v. g. decretum quod habuit Deus ab æterno de creatione hujus mundi in tempore facienda; aut decretum prædestinationis, quo absolutè decernit, atque efficaciter vult Salvare Petrum. Alterum est conditionatum; quod videlicet aliquam conditionem involvit. Et quidem si illam ex parte subjecti volentis sive actus volendi implicet, nominatur decretum conditionatum ex parte subjecti sive actus; ut putà si dicat Deus; si voluero istum convertere, convertetur: & hoc propriè decretum actuale non est, sed possibile; 547.

vel potiùs expressio quædam connexionis necessariæ unius actus cum alio, vel allationis unius ex alio, itaut uno posito alterum poni necesse sit. Si verò illam conditionem non ex parte actus volendi, sed objecti voliti includat, dicitur absolutum ex parte actus sive subjecti, & conditionatum ex parte objecti. Et de isto genere decretorum difficultas procedit utrum in Deo admittenda veniant, ut Deus certam de futuris conditionatis notitiam habere valeat.

548. Notandum hocce decretum ex parte objecti conditionatum bifariam usurpari posse: primò itaut intelligatur esse de objecto conditionato pendente in sui conditione & efficacia ab ipso libero arbitrio creato, ut putà si dicat Deus: Volo Salvare Petrum illi talia vel talia gratiæ auxilia conferendo, si tamen ipse voluerit salvari, & bene illis auxiliis uti pro sua libertate. Et hoc pacto decreta hujusmodi conditionata præsupponentia præscientiam futuri consensus liberi arbitrii creati in Deo Recentiores Societatis admittunt, ut ex dictis constat: Thomistæ verò abjiciunt. Quoniam voluntatem divinam omnipotentissimam in sui efficacia à creata voluntate dependentem constituere (quæ quidem dependentia in illo decreto intimè imbibitur) omnino absurdum & inconsentaneum arbitrantur. Secundò, itaut ejusmodi conditionatum decretum in sui conditione & efficacia intelligatur à creata voluntate non dependere, sed efficere istam à se dependentem in volendo & operando. Et in isto sensu procedit difficultas, utrum scil. in Deo dentur hujusmodi decreta conditionata suapte natura efficacia,

in quibus Deus certò futura conditionata prævideat, sive præsciat, v. g. an præsciverit Deus ab æterno futuram Tyriorum conversionem, si eis annuntiasset Christus Evangelium suum, in decreto conditionato efficaci de conversione illorum certò futura, si apposita fuisset hujusmodi conditio. Et potissimum procedit difficultas de præfatis decretis pro illis futuris, de quibus in S. Scriptura habetur mentio, vel quæ ad providentiam Dei & gubernationem sive administrationem universi spectare noscuntur.

Prima conclusio: Dantur in Deo decreta actualia absoluta ex parte subjecti sive actus, & conditionata ex parte objecti, in quibus Deus futura conditionata certò & infallibiliter prænoscit. Ita communiter Thomistæ, quibus in hac parte consentiunt nonnulli Auctores Societatis Iesu, ut Suarez, Ruisius, & alii. Innumera ejusce rei exempla ex S. Scriptura adduci possent, ex quibus nonnulla seligemus. Prob. itaque primò ex illo 4. Reg. cap. 13. ubi Elizeus Ioam Regem Israël alloquens ait. *Si percussisses terram quinquies aut sexies, percussisses Syriam usque ad consumptionem.* Quod quidem futurum conditionatum (nunquam enim fuit, & tali posita conditione reipsa fuisset) certò & infallibiliter à Deo cognitum fuit: sed nonnisi in aliquo decreto suæ divinæ voluntatis, quo decreverat & mente constituerat percutiendam Syriam usque ad consumptionem, si Ioas quinquies aut sexies jaculo terram percussisset: igitur in Deo verè dantur hujusmodi decreta ex parte objecti conditionata. Minor prob. hujus futuri conditionati veritas nequit certò & in- 549.

fallibiliter prævideri in aliqua conditione seu ordine infallibili, quem habeat consequens ad antecedens, ut putà totius terræ Syriæ devastatio cum percussione quinquies vel sexies repetita: ergo illud debuit certò prævidere, in aliquo decreto conditionato suæ divinæ voluntatis. Idem habetur ex illo Matth. cap. 26. *An putas*, ait ad Petrum Christus, *quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum, quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Habuit igitur Deus decretum hujusmodi: dabo Christo filio meo, si rogaverit me, duodecim legiones Angelorum: & hoc ipse Christus certò cognovit, quòd ita Pater constituisset; aliàs immeritò asseverasset sibi dandas si Patrem rogasset; cùm nihil in tempore fiat, quod ab æterno Deus facere non constituerit, seu determinarit. *Quasi diceret* (ait Hieronymus in Catena) *Non indigeo duodecim Apostolorum auxilio, qui possum habere duodecim legiones Angelici exercitus.* Quomodo autem Christus poterat reipsa habere si petiisset, Pater æternus decrevisset illi dare?

550. Respondent aliqui (inter quos Pater Suarez *lib. 1. de grat. prolog. 2. cap. 8.*) admittenda equidem esse ejusmodi decreta divina respectu eorum quæ Deus ipse facturus est, qualia sunt ista enumerata: non verò respectu eorum, quæ homo ipse liberè est operaturus. Contra quemadmodum in Deo respectu eorum, quæ ipse effecturus est se solo, admittitur prophetia prædestinationis; ita respectu eorum quæ facturus est homo prophetia præscientiæ, ut docet D.Thomas quæst. 12. de verit. art. 10. dicens: *Impletio ordinis causarum sit dupliciter: quandoque quidem*

quidem ex sola operatione divinæ virtutis, ut suscitatio Lazari & hujusmodi; & secundùm hoc est prophetia prædestinationis: quia, ut dicit Damascenus, ea quæ Deus prædestinat, non sunt in nobis; Unde & prædestinatio quasi quædam Dei præparatio dicitur: hoc autem aliquis præparat quòd facturus est ipse, non quod alius. Quædam verò explentur operatione causarum aliarum, sive naturalium sive voluntariarum: & horum dicitur esse prophetia secundùm præscientiam; Et respicit exitum ordinis, ut docet Sanct. Doctor. ibid. in corp. & ad 2. *Præscientia Dei*, ait, *secundùm hoc propriè præscientiæ nomen habet, quòd ad eventum respicit qui futurus est; ordo enim ad eventum est in præsenti. Unde de eo magis est scientia quàm præscientia: & sic illa prophetia, quæ ordinem respicit, non dicitur secundùm præscientiam, sed solum quæ est secundùm eventum.* Sed nequit dari certus & infallibilis ordo causarum ad eventum rei, quem respicit utraque prophetia; seu immobilis veritas, absque divino decreto de futuritione illius: ergo etiam respectu eorum, quæ facturus esset homo, si tales vel tales conditiones apponerentur, debent in Deo admitti decreta ex parte objecti conditionata, ut illa dicantur esse sub conditione futura, & à Deo certò præsciri possint, de illísque esse valeat prophetia præscientiæ. Minor patet ex dictis suprà: nam prima causa certitudinis & esse ipsius futuri est divina voluntas, seu decretum ipsius.

Deinde prob. ex variis S. Scripturæ locis, 551.
in quibus est sermo de his, quæ homo facturus est: Nam imprimis Ezech. cap. 3. Deus prophetam alloquens, ait: *Fili hominis vade ad domum*

domum Iſraël, & loqueris verba mea ad eos; non enim ad populum profundi ſermonis & ignota lingua tu mitteris ad domum Iſraël, nec ad populos multos profundi ſermonis & ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermones; & ſi ad illos mittereris ipſi audirent te: hoc certò Deus futurum fore cognovit & revelavit, & de eo habuit Ezechiel Prophetiam ſecundùm præſcientiam vel prædeſtinationem ſed tamen erant hæc quæ ab hominibus illis, non tamen ſine Dei adjutorio, fieri debebant: ergo etiam reſpectu eorum quæ facturi eſſent homines Deus habet decreta illa ex parte objecti conditionata Siquidem id certò & infallibiliter cognoſcere non potuit Deus, aut præſcire Propheta, niſi detur decretum de futuritione & eventu certiſſimo, ſi talis appoſita fuiſſet conditio. Præterea, Chriſtus Dominus Matth. cap. 26. Petrum ita affatur: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Q. d. ait D. Hieronymus in cat. D. Thomæ: *Non indigeo duodecim Apoſtolorum auxilio etiam ſi omnes me defenderent, qui poſſum habere duodecim legiones Angelici exercitus.* Cognovit ergo certiſſimè Chriſtus ſe poſſe in auxilium habere tot legiones Angelorum, ſi Patrem ipſe rogare vellet: ergo poſitâ hac conditione illud certiſſimè futurum erat: ergo & certus ordo ad exitum rei; quod nonniſi per decretum divinum fieri poteſt. Tandem *Matthæi* 11. & *Lucæ* 10. *cap.* certò prædixit Chriſtus futuram Tyriorum ac Sydoniorum converſionem, ſi annuntiatum fuiſſet illis Evangelium, & factæ apud eos fuiſſent virtutes: habuit ergo decretum

decretum de illo futuro, quod à voluntate hominum dependebat; quoniam aliter certò cognoscere non poterat. Quòd si ad scientiam illam mediam sive præscientiam conditionatam recurratur, refellitur effugium prout suprà. Tandem ipsi Adversarii locum illum Apostoli 1. ad Timoth. cap. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri*, communiter exponunt adjiciendo conditionalem illam, *si ipsi velint*, quemadmodum infrà *quæst.* 19. pluribus ostendetur: Datur autem in Deo decretum de salute ista; quod indicat illa vox. *Vult Deus*: Dantur ergo in Deo actu decreta quædam ex parte objecti conditionata. Videnda quæ ex D. Augustino *lib. de prædest. sanct. cap.* 9. supra adduximus, ubi docet, nihil esse verius quàm Christum præscivisse in prædestinatione divina, qui, & quando, & quibus in locis in ipsum credituri fuissent, si eis fuisset annunciatum evangelium. Idem habetur ex SS. Prosp. & Hilar. *in epist. ad August.*

Sumitur eadem veritas ex D. Thoma infrà quæst. 19. art. 7. ubi ait: *Multa sunt in virtute & scientia, & voluntate divina, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, sicut resuscitatio Lazari. Unde aliquis respiciens ad causas inferiores dicere poterat, Lazarus non resurget; respiciens verò ad causam supremam divinam poterat dicere Lazarus resurget. Et utrumque horum Deus vult, scil. quòd aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem; quod tamen futurum non sit secundùm causam superiorem, vel è converso*: Sed illud quod est futurum secundùm ordinem causarum inferiorum, non verò secundùm ordinem causæ superioris, est futurum conditionatè, quia scil. esset, nisi Deus 552.

ipse

ipse ob occultas suæ providentiæ rationes aliter ordinasset : ergo ex D. Thoma dantur in Deo decreta conditionata de hujusmodi futuris.

553. Conf. ex eodem quæst. 12. de verit. art. 10. ad 10. ubi loquens de comminationis Prophetia facta per Isaïam Regi Ezechiæ, scil. *Dispone domui tuæ quia morieris*, hæc habet, *Dicendum quòd prophetia illa fuit, secundùm comminationem & quanvis non esset conditio explicitè proposita; est tamen illa denunciatio sub conditione intelligenda, scil. tali ordine rerum remanente.* Et solut. ad 12. *Dicendum*, ait, *quòd causæ superiores, quæ sunt rerum rationes in divina præscientia, nunquam deficiunt ab impletione suorum effectuum, sicut deficiunt causæ inferiores; & ideo in causis superioribus cognoscuntur rerum eventus absolutè; sed in inferioribus nonnisi sub conditione :* Ex quibus ita arguo Deus de morte Ezechiæ præscientiam infallibilem habuit, & subinde decrevit quòd esset futura secundùm causas inferiores, alioquin illa prophetia immobilem veritatem non habuisset, cùm nihil certò futurum sit absque Deo volente atque constituente : sed tale decretum, ex S. D. est conditionatum ex parte objecti : ergo actu dantur in Deo hujusmodi decreta ex parte objecti conditionata. Ex quibus constat Adversarios immeritò hæc decreta rejicere, nobísque perperam objicere, quod in Sacris Scripturis, Patribus, & D. Thoma nullum prorsus habeant fundamentum.

554. Prob. 1. conclusio ratione : Futurum sub conditione necessariò importat ordinem ad existentiam in re sub conditione ponendam : sed impossibile

possibile est, ut res aliqua dicat ordinem ad existentiam in re independenter à decreto ipsius divinæ voluntatis: ergo ejusmodi futura conditionata necessariò præsupponunt aliquod divinæ voluntatis decretum, quo talem ordinem ad existentiam in re dicant, quod quidem cùm absolutum non sit, debet esse ex parte objecti conditionatum. Major prob. 1. Futurum absolutum necessariò importat ordinem ad existentiam in re absolutè ponendam, ut probatum est suprà *cap.* 1. ergo etiam futurum sub conditione necessariò importat ordinem ad existentiam in re sub conditione ponendam. Conseq. patet, nam futurum sub conditione ita se habet ad esse vel fore conditionatè, sicuti se habet futurum absolutum ad esse vel fore absolutè ac simpliciter; purificata enim conditione futurum conditionatum in absolutum transit. Prob. 2. eadem major. Futurum sub conditione à merè possibili distinguitur; sed non alia ratione, nisi quia illud ordinem ad existentiam in re importat, à quo abstrahit ipsum merè possibile; ergo futurum sub conditione necessariò importat ordinem ad existentiam in re sub conditione ponendam. Major patet, nam status futuritionis à statu meræ possibilitatis distinguitur. Prima etiam minor prob. Ordo ille ad existentiam est aliquid reipsa & actu conveniens ipsi rei, quæ denominatur futura, & extracta à statu meræ possibilitatis: sed impossibile est aliquid in re convenire enti creato independenter à decreto ipsius divinæ voluntatis, per quod de omnibus rebus ad extra decernit: ergo impossibile est ut res aliqua dicat ordinem ad existentiam independenter à decreto

to ipsius divinæ voluntatis. Major prob. quia per talem ordinem extrahitur reipsa res conditionatè futura à statu meræ possibilitatis: sed res nullatenus reipsa extrahi potest à statu meræ possibilitatis & transire ad statum futuritionis absque aliqua actuali ratione essendi, vel ordine actuali ad esse quo sit actu futura: ergo ille ordo ad existentiam in re est aliquid actu & reipsa conveniens rei, quæ denominatur. Futura, & extracta à statu meræ possibilitatis.

555. Conf. Divina omnipotentia, per ordinem & dependentiam ad quam res dicitur simpliciter possibilis, de se est indeterminata, & subinde indiget determinari ad hoc ut determinatum respiciat effectum producendum: sed in agentibus liberis non est determinatio ad opus absque decreto & constitutione ipsius voluntatis, ut patet in artifice, & nos fusè suprà explicuimus: ergo ut futurum conditionatum extrahatur à statu meræ possibilitatis, & respiciat existentiam in re ponendam sub conditione, necessariò indiget decreto & constitutione ipsius divinæ voluntatis decernentis de futuritione illius.

556. Respondent Adversarii hanc doctrinam esse verum loquendo de futuro absoluto; non verò de futuro conditionato. Ratio discriminis est, quoniam in futuro absoluto verè & absolutè aliquid ponitur in re; quapropter causalitatem causæ primæ omnino exigit, sine qua aliquid penitus esse non potest. At verò conditionatum dicitur determinatè futurum, non quia talis futuritio in re posita sit; sed quia si conditio poneretur, verè etiam in re poneretur ipsum futurum.

Contra:

Contra: quanvis extremum ordinis illius in re non sit, vel aliquando reipsa extiturum, tamen actu & reipsa est necessaria consecutio inter ejusmodi extremum, & illud ad quod ponitur sequi; v. g. licèt conversio Tyriorum & Sidoniorum in re non esset extitura absolutè, tamen in re fuit consecutio infallibilis inter illam & prædicationem Christi atque patrationem miraculorum coram eis: ergo etiam in futuro conditionato aliquid verè intelligitur poni in re, quod absque decreto divinæ voluntatis non ponitur. Anteced. patet, nam illa consecutio terminat verè scientiam Dei, & certò ab eo cognoscitur: ergo est necessaria & infallibilis: sed necessarium est quædam differentia entis, sive modus illius: ergo aliquid ponitur in re etiam in futuro conditionato, licèt non ponatur ipsum extremum. Declaratur: quanvis in ista conditionali, si Petrus volat, habet alas, neutrum extremorum in re actu ponatur; neque enim Petro convenit actu habere alas, aut volare, tamen verè datur actu ordo & consecutio necessaria inter utrumque fundans veritatem ipsius conditionalis: ergo pariter, cùm Deus pronuntiat aliquid sub conditione futurum, utputa conversionem Tyriorum ac Sidoniorum si eis à Christo prædicatum fuisset, & coram illis patrata signa atque miracula, quanvis extrema reipsa non sint, aut extitura sint simpliciter & absolutè, tamen debet dari actualis ordo & consecutio infallibilis inter utrumque fundans veritatem necessariam & infallibilem, ratione cujus subesse possit scientiæ divinæ: cùm nihil sciatur nisi sit verum, quod cum ente convertitur. Hujusmodi

modi autem determinata veritas non est ex necessaria connexione extremorum suæ naturæ relictorum; ergo à decreto & constitutione divinæ voluntatis.

558. Conf. quæ non habent suapte natura infallibilem inter se connexionem, sive consecutionem, si illam inveniantur habere necessario illam ab aliqua causa extrinseca habere debet: sed inter extrema futuri conditionati, seu conditionalis illius de futuro non datur necessaria & infallibilis consecutio ex natura extremorum: ergo cùm ista reipsa detur, necessariò debet provenire ab aliqua causa extrinseca infallibiliter ordinante unum ad aliud: sed hæc non potest esse alia quam divina voluntas decernens de futuritione conditionati: ergo debent dari decreta conditionata ipsius divinæ voluntatis, in quibus veritas infallibilis, necessariaque consecutio ejusmodi futurorum nitatur atque fundetur. Major patet, nam quod aliquid habet & non à se, ab alio habere necesse est. Prima etiam minor patet nam conversio Tyriorum ac Sidoniorum suapte natura non est infallibiliter connexa cum prædicatione Christi, aut cum illis signis ac virtutibus, quæ Christus fecit apud Judæos, qui his visis conversi non sunt, ut est evidens: similiter devastatio Syriæ usque ad consumptionem non erat suapte natura connexa infallibiliter cum percussione sexies vel septies inferenda à Propheta, ut de se constat. Consequentia pariter est evidens. Secunda autem minor prob. nam creata voluntas de se est causa fallibilis, & subinde nequit esse causa illius infallibilis connexionis: ergo hæc debet esse divina voluntas infallibi

infallibiliter decernens de futuritione illa.

Prob. 2. ratione redarguendo Adversarios: Nam ipsi concedunt sæpè Deum habere hunc actum, volo concurrere cum voluntate creata ad hunc actum, si ipsa tamen voluerit; volo salvare omnes homines putà istum & illum, & sic de cæteris, si tamen ipsi voluerint, quæ quidem voluntas propriè voluntas est, cum sit antecedens: sed sæpè voluntas non vult cooperari Deo, vel salvari operando ad salutem consequendam necessaria: ergo dantur actu in Deo decreta de futuris aliquibus liberis conditionatis, quæ in re nunquam ponentur, posita tamen fuissent, si voluntas creata voluisset, aut consensisset. 558.

Conf. voluntas illa salvandi omnes homines ad providentiam Dei spectat, ordinantem creaturam rationalem ad finem beatitudinis: sed providentia præfiniendo, & decernendo facit ejusmodi ordinationem, præsupponit enim actum voluntatis, immò secundùm plures in eo essentialiter consistit: ergo dantur in Deo decreta ex parte objecti conditionata; siquidem illa conditionem implicant: quemadmodum & omnia, de quibus est comminationis prophetia, quorum revelatio ad eandem spectat providentiam. Præterea, quis neget Deum promisisse hominibus illud beatitudinis præmium, sub ea tamen conditione, si legem & mandata ipsius observarint, cùm S. Concil Tridentinum *sess. 6. de justificat. can.* 20. damnet quoscunque dicentes & asserentes Evangelium esse absolutam atque nudam vitæ æternæ promissionem absque conditione observationis mandatorum: ergo in tali decreto & promissione includitur ex 559.

parte objecti conditio: & subinde conditionatum est, actu in Deo existens.

561. Tandem & plurimi ipsorum cum Scoto defendunt, etiam si Adam non peccasset, Christum nihilominus tamen venturum fore in carne impassibili: sed tale decretum est conditionatum: ergo jam fatentur decreta conditionata actu in Deo existere, quoniam talis adventus Christi in carne impassibili futurus nonnisi ex vi alicujus decreti esse potest: non quidem absoluto sed conditionato, vel continente saltim virtualiter conditionem; reddit enim hunc sensum, etiam si Adam non peccaverit, nec missurus sim filium meum in carne passibili, sive mortali, mittam illum in carne impassibili.

562. Secunda conclusio: Decreta hujusmodi ex parte objecti conditionata reperiuntur formaliter in Deo, & non solùm eminenter. Ita communiter Thomistæ, præsertim Mag. Lemos tomo 1. Panopliæ grat. tract. 5. cap. 23. pro hac sententia referens Mag. Nunno ad 3. p. q. 62. Luna in addit. Zumel. tom. 1. disp. 5. sect. 4. in Append. Prob. ex D. Thoma quæst. 23. de verit. art. 3. c. ubi ait: *Invenitur in Deo propriè ratio voluntatis, & sic voluntas propriè de Deo dicitur, & hæc est voluntas beneplaciti, quæ dividitur per antecedentem & consequentem*: Sed voluntas, qua Deus vult illa futura ex parte objecti conditionata, est voluntas antecedens, quæ non impletur, unde & conditionata à Theologis dicitur, v. g. voluntas illa, qua vult omnes homines salvos fieri, si tamen in eis adsint quæ ad salutem æternam consequendam desiderantur, ut docet idem S.D. in 1. dist. 46. q. 1. art. 1.

ergo

ergo decreta hujusmodi propriè in Deo & formaliter admittenda sunt.

Conf. Deus amore amicitiæ supernaturalis reprobum existentem in gratia propriè & formaliter amare dicitur : sed amor hujusmodi formaliter ad beatitudinem tendit : ergo voluntate formali vult illi beatitudinem : sed hæcce beatitudinis volitio, cùm non impleatur, non habetur per voluntatem consequentem : ergo solummodo habetur per voluntatem antecedentem & conditionatam; quæ sic explicari potest: Volo huic beatitudinem, si ipse permanserit in gratia : ergo hoc decretum conditionatum est: & subinde cùm in Deo propriè & formaliter inveniatur, dantur in illo propriè decreta hujusmodi ex parte objecti conditionata. 563.

Nec valet dicere, quòd decreta ista intrinsecè imperfectionem claudant, cùm executioni non mandentur: Non, inquam, valet: Nam ut docet D. Thom. cit. lib. 1. sent. licèt voluntas Dei antecedens sit conditionata, quæ est imperfecta voluntas, quia tamen illa imperfectio non se tenet ex parte actus volendi, qui est ipsemet Deus, sed ex parte objecti voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, reperitur propriè & formaliter in Deo : ergo cùm ejusmodi conditionata decreta solummodo imperfectionem illam ex parte objecti importent, & non ex parte actus divini, qui absolutus est, & ipsamet essentia Dei, nihil prohibet quia formaliter & propriè in Deo reperiantur. 564.

§. 2.

Solvuntur contraria argumenta.

565. ARg. 1. ex D. Thoma quæst. 3. de verit. art. 6. ubi assignans discrimen inter ideas, quas Deus habet de his quæ nunquam erunt, sunt, vel fuerunt, & eas quas de futuris habet, ait: *Relinquitur quod idea possit esse ejus quod nec est, nec fuit, nec erit; non tamen eo modo sicut est eorum, quæ sunt vel erunt vel fuerunt: quia ad ea quæ sunt vel erunt vel fuerunt producenda determinatur ex proposito divinæ voluntatis; non autem ad ea quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt:* ergo non dantur decreta sive proposita divinæ voluntatis respectu hujusmodi futurorum conditionatorum, quoniam hæc nunquam erunt. Et ibid. ad 3. explicans dictum illud Dionysii cap. 5. de divin. nom. Exemplaria sunt divinæ & bonæ voluntates, quæ sunt determinativæ & effectivæ rerum, docet idcirco non dixisse Dionysium ea esse in Deo bonas voluntates prædefinientes, sed prædefinitivas ad ostendendum, *quod ad rationem exemplaris non exigeretur voluntas prædefiniens & efficiens, sed prædefinitiva & effectiva*, quoniam Deus de his quæ nunquam erunt habet rationes exemplares, cùm tamen illa non sint à divina voluntate prædeterminata atque præfinita. Tandem 1. 2. quæst. 74. artic. 7. docet judicium perfectum sive sententiam practicam esse de agendis: sed præfinitio sive decretum divinæ voluntatis sequitur perfectum Dei judicium practicum: ergo debet esse de agendis: & subindè cùm futura conditionata non sint reipsa agenda,

agenda, non videtur quòd in Deo locum habere possint.

Resp. ad arg. ex eodem S. D. quæst. 12. de verit. art. 10. in cap. in futuris duo consideranda venire, nimirum ordinem causarum ad futuros effectus; & exitum sive executionem illius ordinis: quorum primum absque secundo actu inesse potest. Contingit enim causas esse actu ordinatas ad aliquem effectum, qui nunquam erit; sicuti morbus Ezechiæ Regis actu erat ordinatus ad brevi inferendam illi mortem, quæ tamen non evenit. Unde ratione hujus ordinis aliquid dicitur futurum; quâ de causa Propheta Regi futuram mortem prænunciavit, dicens: *Dispone domui tuæ quia morieris tu, & non vives,* Isaïæ 38. cùm tamen mortuus tunc non fuerit. Dico igitur, quod licèt futura conditionata non sint quantùm ad exitum sive executionem ordinis, quoniam conditio illa nunquam ponetur in actu; sunt tamen actu quantùm ad ipsum ordinem, & talis ordinatio est à determinatione & proposito divinæ voluntatis volentis ejusmodi ordinem; sicuti vult omnem hominem esse ordinatum ad beatitudinem; licèt quantùm ad exitum illius ordinis non velit omnes salvari, sed qui voluerint & consenserint. Unde voluntas illa conditionata dicitur. Itaque Deus ad ea producenda quæ erunt simpliciter determinatur ex proposito divinæ voluntatis & quoad ordinem & quoad exitum illius ordinis: ad ea quæ sub conditione sunt futura determinatur ex proposito suæ voluntatis, quoad ordinem causarum duntaxat: in merè possibilibus nullo modo, neque quoad ordinem nec quoad exitum ordinis. Quapropter 566.

respectu istorum voluntas divina non est prædefiniens & efficiens, sed solùm præfinitiva & effectiva: bene verò respectu futurorum conditionatorum, & præfiniens quoad ordinem causarum: respectu futurorum absolutorum est præfiniens & efficiens. Quocirca Deus de illis habet judicium practicum; quoniam quoad illum ordinem agenda propriè dicuntur; non verò quoad exitum ordinis. Neque enim S. D. agendorum nomine ibi intelligit solum illa quæ cum effectu & absolutè agenda sunt; sed etiam quæ agerentur si talis vel talis adhiberetur conditio; sicuti etiam Paterfamilias tractans suæ domus gubernationem multa prudenter ac providè cum judicio practico disponit, si talis vel talis conditio appareretur, quæ tamen non fiunt, nec simpliciter facere intendit.

567. Arg. 2. & simul impugnatur præcedens solutio, Deus absoluta & efficaci voluntate illam conditionem apponere non intendit; imò intendit non apponere, quâ non appositâ redditur res impossibilis: ergo decretum illud de tali objecto, seu futuro conditionato omnino commentitium est, ac chimæricum. Conseq. prob. promissio facta de aliquo sub conditione impossibili omnino nulla est; v. g. pollicear me Petro daturum centum aureos, si digito cœlum tetigero: sed talis conditio apposita, quam Deus decernit non fore executioni mandandam, reipsa redditur impossibilis: ergo & decretum illud efficitur commentitium, ac penitus Deo impossibile. Minor patet, nam cùm voluntas Dei sit causa rerum, eo ipso quòd sit.

568. Conf. voluntas quæcumque in Deo, etiam conditio

conditionata debet procedere ex intentione efficaci finis, alioquin ridicula, otiosáque esset: sed illæ volitiones cōditionatæ nequeunt ex intentione efficaci finis procedere, siquidem nunquam implebuntur: ergo non sunt in Deo admittendæ. Major declaratur, nam omnino ridicula ac nugatoria haberetur volitio sive promissio alicujus eâ conditione, quam non vult apponere; imò non apponere efficaciter decernit; ut si quis dicat, dabo tibi centum aureos si eo die venero, & venire efficaciter non intendat, immò non venire apud se efficaciter constituat.

Resp. ad arg. quòd equidem Deus absoluta & efficaci voluntate, quàm consequentem nominamus, & quæ respicit objectum secundùm omnes illius conditiones & circunstantias in particulari, illam conditionem apponere non intendit ob fines sibi notos, immò omnibus pensatis intendit non apponere. Unde illud quod subiicitur distinguo, conditione illa non appositâ redditur res impossibilis, quoad ordinem causarum, nego anteced. quoad exitum ordinis, transeat. Unde non est absolutè impossibilis, sed secundùm quid & ex suppositione; sicuti non est absolutè & simpliciter impossibile peccatorem salvari, sed posito hoc, quòd peccator sit, & in peccato finaliter perseveret. Quapropter decretum de tali objecto commentitium non est; sicuti neque Prophetia comminationis quæ respicit ordinem causarum, licèt exitus ordinis in re non ponatur. Ad prob. concessa majori distinguo minorem eodem modo: & nego conseq. 569.

Ddd 4

570. Resp. ad conf. dist. major. Voluntas quæcunque in Deo etiam conditionata debet procedere ex intentione efficaci finis, qui est de prima veluti intentione concedo majorem: qui est etiam de secunda intentione, nego majorem. Nam propriè datur voluntas in Deo conditionata salvandi omnes homines, & hæc non procedit nisi ex intentione quasi prima ipsius sive antecedenti voluntate, non autem veluti secunda & consequenti, quemadmodum docet D. Thomas quæst. 23. de verit. art. 2. dicens: *Illud, ad quod Deus creaturam ordinavit quantum est de se, dicitur esse volitum ab eo quasi prima intentione, sive voluntate antecedente. Sed quando creatura impeditur propter sui defectum ab hoc fine, nihilominus tamen Deus implet in ea id bonitatis, cujus est capax; & hoc est quasi de secunda intentione ejus, & dicitur voluntas consequens.* Et postea subdit, Deum quasi de prima intentione velle omnium salutem, in quantum vult omnem hominem secundùm naturam suam esse ad beatitudinem ordinatum: non autem de secunda veluti intentione, seu voluntate consequenti, atque attentis omnibus circunstantiis.

571. Resp. 2. dist. major. procedit ex intentione efficaci finis, quantùm ad ordinem ad finem, vel quantum ad ordinem ad finem & exitum simul ipsius ordinis, concedo majorem, semper quoad ordinem ad finem, & exitum illius ordinis simul, nego majorem Patet in voluntate salvandi omnes homines, quæ procedit ex intentione efficaci finis quoad hoc quoad est velle omnem hominem esse in beatitudinem secundùm naturam

naturam ſuam ordinatum, non autem omnes ſecundùm ordinem & exitum illius ordinis. Quapropter meritò S. D. ibidem concludit: *Nec tamen intelligendum eſt ex prædictis, quòd intentio Dei fruſtrari poſſit* (ex eo ſcilicet quod non omnes homines ſalvantur): *qui iſtum, qui non ſalvatur, præſcivit ab æterno fore non ſalvandum: nec ordinat ipſum in ſalutem ſecundùm ordinem prædeſtinationis, qui eſt ordo abſolutæ voluntatis* (reſpicientis nedum ordinem ſed etiam exitum ſive eventum illius ordinis, ut habetur quæſt. 6. de verit. art. 1. cap.) : *Sed quantum eſt ex parte ſua dedit naturam ad beatitudinem ordinatam.*

Reſp. 3. quod illa decreta ſunt in Deo non ex voluntate efficaci adimplendi illa; ſed ex divina voluntate intendente per hujuſmodi decreta ſuam bonitatem, juſtitiam, vel ſapientiam demonſtrare, & ob alia occulta ſua judicia, abſque dubio juſtiſſima. Quem equidem finem obtinet per decreta illa conditionata; v. g. ad manifeſtandum hominum perditionem non ex ipſo Deo, ſed ex ipſorum propria nequitia & iniquitate originem ducere, vult Deus voluntate antecedenti omnes homines ſalvos fieri, & ſic de aliis. 572.

Ex quo ſequitur decreta ejuſmodi conditionata, non eſſe vana, otioſa, aut nugatoria, quoniam vanum dicitur ex Philoſopho & D. Thoma *quæſt. 9. de malo*, quòd non conſequitur finem: decreta autem illa ſemper aliquem conſequuntur finem; v. g decretum ſalvandi omnes homines conſequitur hunc finem, qui eſt ipſam naturam eſſe ad beatitudinem ordinatam, vel manifeſtatio divinæ bonitatis; licèt 573.

cet non consequuntur hunc finem qui est assecutio ipsius beatitudinis. Quod sanè exemplis suprà adductis ulteriùs manifestari, potest. Certum est enim Deum efficaciter decrevisse, quod si Christus efficaciter postulasset ad sui liberationem duodecim legiones Angelorum, illius ei Pater æternus tribuisset, ut constat ex his quæ ipsemet Christus Petro dixit, *An putas quia non possum rogare patrem meum & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Nisi enim id certò Pater constituisset, nullatenus asseruisset Christus eas sibi à Patre concedendas si rogarit illum; immo neque id certò cognoscere potuisset: quam tamen conditionem noluit Pater æternus à Christo apponi: quid ergo erit hujusmodi decretum dandi Christo duodecim legiones Angelorum, cujus conditio non erat in re ponenda, otiosum, rogatorium, indecorum, Deo indignum, aut impossibile judicandum? Absit. Quanvis enim conditio illa minimè in re apponenda esset, immò non apponendam efficaciter decrevisset Deus, tamen id decernere voluit sub conditione ob alios fines, ut putà ad ostendendum quàm sponte & non coactè, & ex quanta charitate pro generis humani salute moreretur, qui tanta facilitate poterat mortis pericula devitare, quanta erat ad Patrem fundere preces pro mittendis sibi duodecim legionibus Angelorum, quas rogatus non negasset. Simile est illud, quod apud Marcum cap. 14. habetur dum Christus ita Patrem suum alloquitur: *Abba Pater omia tibi possibilia sunt, si vis transfer calicem istum à me.* Nunquid Christus certò sciebat Patrem efficaci voluntate decrevisse ipsum pro

mundi

mundi salute passurum? Quis dubitet, cùm ipse Petro dixerit Matth. cap. 26. *Sic oportet fieri*; hoc est impleri voluntatem Patris mei, & Prophetarum oracula, qui de morte mea annuntiarunt. Quid ergo orabat, & dicebat transferendum à se calicem illum, si Pater vellet? cum rem postulabat impossibilem, aut Deo indecoram atque indignam, vel otiosè petebat? Absit. Quanvis ergo Deus efficaciter constituat aliquam non apponere conditionem, qua apposita res poneretur, nullo modo ex hoc redditur illa conditio impossibilis absolutè & simpliciter, sicuti est chimeræ productio; sed absolutè & simpliciter est possibilis: quod & Christus insinuavit, cùm dixit: *Pater omnia tibi possibilia sunt*, ergo & à me transferre calicem istum; quanvis ex suppositione voluntatis Dei efficaciter decernentis quod non apponatur, reddatur incompossibilis impletio conditionis cum decreto illo, quo Deus firmiter ab æterno constituit ac præfinivit Christum esse passurum.

§. Ultimus.

Alia argumenta dissolvuntur, & quædam notatu digna explicantur.

Arg. 3. illa decreta non possunt in Deo ex 574
necessitate naturæ constitui, cùm Deus ad extra liberè operetur: usque etiam libera esse possunt: ergo nullo pacto sunt in Deo admittenda. Prob. anteced. omne decretum liberum divinæ voluntatis aliquam realem & physicam mutationem in ipsa creata causat, & infert: sed tale decretum conditionatum mutationem hu-

jusmodi

jusmodi in creatura inferre nequit: ergo nequit esse decretum liberum. Minor patet, quia conditione illâ non positâ in esse, res nullatenus transiit de possibili vel futuro ad esse actu. Major verò prob. tale decretum importat respectum rationis ad rem volitam, sed respectus rationis in Deo non consurgit nisi præsupposita aliqua mutatione reali in ipsa creatura: ergo omne decretum liberum divinæ voluntatis mutationem realem in creatura infert.

575. Conf. cuilibet actui voluntatis in Deo existenti proprium objectum præsens, & actu bonum correspondere debet, sed decretis conditionatis tale objectum assignari & correspondere nequit; nam objectum sub conditione futurum non est actu existens, & subinde neque bonum: ergo &c. Prob. minor. ut coloratum sit actu objectum visus actu terminans visionem debet esse actu coloratum, nec sufficit ut sit tale sub conditione; v. g. non sufficit Angelum esse hac conditione coloratum, nimirum si esset corpus naturale, vel corporatus, ut possit actu visum terminare: ergo similiter ut objectum actu terminet volitionem & decretum Dei non sufficit quòd sit bonum & existens conditionatè, sed absolutè.

576. Respondent ad argu. variè nostri Auctores. R. P. Gonet ait, non semper requiri in objecto realem & physicam mutationem, sed moralem sufficere; sive extrinsecam & objectivam: quam decreta illa conditionata in objecto inferunt, illud transferendo à statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ, & ordinando illud ad existentiam sub conditione habendam, à qua purè possibilia omnino abstrahunt.

Quam

Quam solutionem fusè ad aliud institutum prosequitur P. Suarez lib. 1. de essent prædest. cap. 15. ubi plurima ad id adducit exempla, inter quæ est illud de voluntate sive decreto, quod habet Deus salvandi omnes homines, quod in parvulis absque baptismo decedentibus, & in aliis innumeris infidelibus, aut reprobis, nullam realem aut physicam mutationem ponit. Item hominum hominem obligatum per votum potest Deus ab obligatione liberare sine aliqua mutatione physica ex parte hominis.

Secundò resp. Alvarez lib. 1. respons. cap. 4. 577.
num. 10. & lib. 2. de auxil. disput. 7. num. 32. quòd quando decretum est absolutum ex parte voliti resultat equidem in illo pro aliquo tempore realis mutatio in creatura: quando autem est conditionatum ex parte objecti voliti non est necesse, quòd in ipsa creatura realem mutationem inferat; sed sufficit quòd ex vi illius decreti realiter mutaretur, si conditio fuisset impleta: & hæc realis mutatio, quæ futura esset, si adimpleretur conditio, est etiam sufficiens ut divina voluntas aliter comparetur ad creaturas post illud decretum actuale, quàm antea. Unde in tali mutatione conditionata fundatur respectus rationis, quem intellectus noster concipit advenire Deo ratione talis decreti.

Resp. 3. adnotando cum D. Th. quæst. 23. de 578.
verit. art. 4. ad 15. quòd voluntas ad volitum duplicem respectum habet: primum quidem habet ad ipsum inquantum est volitum: secundum verò habet ad idem inquantum est producendum in actu per voluntatem, & hic quidem respectus præsupponit primum. Primò enim inintelligimus voluntatem velle aliquid, deinde ex

ex hoc ipſo quod vult illud, intelligimus quòd producat ipſum in rerum natura, ſi voluntas ſit efficax. Quo adnotato diſt. majorem : Omne decretum liberum divinæ voluntatis aliquam realem mutationem in ipſa creatura infert, quatenus præcisè reſpicit illum in ratione objecti voliti, nego majorem : quatenus reſpicit illam in ratione producti vel producibilis in actu, pro aliqua differentia temporis, concedo majorem. Et conceſſa minori, nego conſeq. Nam decretum liberum conditionatum reſpicit objectum actu in ratione voliti, ſed non in ratione producibilis abſolutè & ſimpliciter, ſed ſub conditione duntaxat. Ad prob. majoris conceſſa vel admiſſa, majori, diſt. min. reſpectus rationis in Deo non conſurgit niſi præſuppoſita aliqua mutatione reali in creaturæ, ſi ſit reſpectus ad rem in eſſe productæ vel producibilis abſolutè & ſimpliciter, concedo min. ſi ſit reſpectus ad rem in eſſe volitæ, nego min. & conſeq. Nam ad hunc reſpectum ſufficit quòd ſignificetur Deus ſe habere in habitudine ad volitum tali modo, quæ quidem habitudo cùm fundetur in actione immanenti, ut putà volitione ut volitio eſt, nil reale producit in objecto volito, ſicuti neque intellectio divina in objecto intellecto; ſed ſolùm ſignificatur quòd tali modo ſe habeat objectum ad Deum voluntatem, vel Deus volens ad ipſum objectum, ut ſumitur ex D. Thoma ibidem. At verò ſecundus reſpectus fundatur in actione divina virtualiter tranſeunte, quæ in creatura aliquid ponit, per quod realiter tranſit de non eſſe ad eſſe actu, ſubindéque mutationem realem infert. Quapropter illud reſpiciat objectum actu in eſſe volitis,

litis, & habitu producibile, non oportet, quòd physicam mutationem actu in objecto inferat, sed objectivam & extrinsecam, ut dicebat prima solutio: realem autem in habitu, quatenus poneretur actu si purificaretur conditio, sicuti insinuabat secunda solutio.

Resp. ad conf. dist. majorem cuilibet actui voluntatis debet correspondere objectum præsens & actu bonum simpliciter & absolutè seu quantum ad esse simpliciter & absolutè existens, nego majorem. Quantum ad esse, vel ordinem ad esse, concedo maj. Nam ut docet D. Thomas suprà quæst. 5. art. 3. licèt materia prima de se non sit actu præsens vel existens, est tamen actu bona propter ordinem quem ad ipsum esse dicit. Et dist. min. decretis conditionatis non correspondet objectum actu præsens & bonum, quantùm ad ordinem ad esse, absolutè ac simpliciter, concedo min. quantũ ad ordinem ad esse, nego min. & conseq. nam licèt nunquam in re poni debeant quoad esse jure, tamen actu sunt ordinata ut sint si purificaretur conditio. Patet in decreto salvandi omnes homines; nam respicit actu naturã humanam ut ordinatam ad beatitudinem, quam omnes in re consequerentur posita conditione requisita; non tamen in re habebunt. Ad prob. dico longè disparẽ esse rationem, quoniam visus, cùm sit potẽtia materialis & affixa organo corporeo, non movetur nisi ab objecto actu præsenti & realiter existenter simpliciter & in re; voluntas autem, cùm sit potentia immaterialis, versatur circa objectum nedum prout actu est absolutè & in re, sed etiam prout ordinatur ad esse, vel sub conditione, inquantùm in eo aliqua ratio boni relucet. 579.

Arg. 4.

580. Arg. 4. si darentur in Deo hujusmodi decreta conditionata, Deus haberet affectus aliquo modo contrarios & inter se discohærentes: sed hoc non est admittendum in eo: ergo neque decreta illa. Sequela prob. posito quòd Deus habuerit decretum conditionatum v. g. quo statuerit, quòd Ceilitæ traderent Davidem in manus Saülis, cùm aliunde decreverit, immò compulerit Davidem, ut ex illa urbe discederet, ne in hoc malum incideret, sequitur Deum simul voluisse & noluisse traditionem Davidis in manus Saul: & si habuit Deus decretum conditionatum convertendi Tyrios ac Sydonios, si Christus eis Evangelium annunciasset, & coram illis miracula virtutesque fecisset, cùm aliunde efficaciter decrevisset, quòd Christus apud illos nunquam prædicaret, aut miracula faceret quanta apud Judæos, simul & semel voluit eorum conversionem, & noluit: ergo Deus habebit effectus aliquo modo contrarios, & inter se discohærentes.

581. Resp. neg. majorem. Ad prob. dico hujusmodi voluntates seu voluntatis affectus non esse inter se contrarios aut discohærentes; quemadmodum neque voluntas illa antecedens, qua vult omnes homines salvos fieri, & voluntas consequens qua vult non omnes homines salvos fieri, sed aliquos aut plurimos damnari; quia non respiciunt objectum formaliter idem vel secundùm eandem rationem acceptum. Nam voluntas antecedens respicit illud absolutè; consequens verò ut vestitum his vel illis circunstantiis, quemadmodum fusè declarabitur infrà quæst. 19. art. 6. Sicut etiam non discohærent illi affectus, quorum uno

mercator

mercator voluntate efficaci imminente tempeſtate vult projicere merces in mare ad vitandum periculum; & alio vellet non projicere, ſi tempeſtas & periculum non adeſſet. Eadem ratione voluntas ſeu voluntatis decretum quo Deus decrevit quod Ceïlitæ traderent Davidem in manus Saül, ſi maneret in Ceïla non fuit contraria illi, quo decrevit ut non maneret ibi: illa fuit voluntas ſecundùm quid & conditionata; iſta autem efficax & abſoluta.

Arg. 5. Sine decreto aliquo divinæ voluntatis dicitur aliquid poſſibile, & certò à Deo cognoſcitur in ſua omnipotentia vel bonitate, ut docet D. Thom. *quæſt. 2. de verit. art.* 8. Sed rem eſſe ſub conditione futuram nihil aliud eſt quàm poſſibile: ergo non indiget aliquo decreto ut ſit conditionatè futura, & ut talis à Deo certò cognoſcatur. Min. prob. futurum prout non exiſtit non diſtinguitur à poſſibili: ſed res ſub conditione futura actu non exiſtit, nec pro aliqua temporis differentia exiſtet: ergo non diſtinguitur à poſſibili. 582.

Conf. decretum conditionatum non debet eſſe incompoſſibile cum ipſius futuri conditionati exiſtentia, aliàs futurum non eſſet: ſed ſi darentur decreta illa conditionalia in Deo, eſſent cum exiſtentia futurorum conditionatorum omnino incompoſſibilia: ergo non ſunt admittenda. Prob. min. Si exiſtentia ipſorum eſſet compoſſibilis cum decretis illis, eſſet etiam neceſſaria: ſed hoc eſt abſurdum, quia poſſunt non eſſe, immò non erunt: ergo ſunt incompoſſibilia. Prob. major primò: quia ubi poteſt futurum abſolutum proximè decerni, neceſſe eſt illud decerni: ergo ubi proximè decerni 583.

potest conditionatè futurum conditionatum, debet etiam decerni, & subinde existentia illa erit necessaria. Prob. secundò: quod potest Deus conditionaliter præscire, debet ita præscire, alioquin circa creaturas & circa seipsum omnem scientiam non haberet, quam habere absque imperfectione potest, quod est absurdum: ergo necessariò præscit illius futuri existentiam.

584. Resp. ad arg. neg. min. Ad cujus prob. dist. maj. futurum prout non existit neque in se, neque secundùm ordinem qui est in causis suis ad productionem illius, non distinguitur à possibili, concedo majorem: si existat secundùm ordinem determinatum ad productionem illius, nego majorem. Patet ex dictis suprà art. 13. cap. 1. num.7. & seq. & dist. min. non existit in se, concedo min. non existit in causis dicentibus ordinem ad productionem illius sub conditione, nego min. & conseq. & licèt nunquam reipsa exciturum sit; tamen actu est ordo ille ad existentiam sub conditione habendam, quod sufficit, ut declaratum est ibidem.

585. Respond. ad conf. concessâ majore negando minorem. Ad cujus prob. dist. antec. ubi potest futurum absolutum proximè decerni debet decerni, necessitate suppositionis transeat, necessitate absoluta nego. Etenim Deus ad decernendum circa productionem cujuslibet futuri absoluti futuritionem simpliciter liber est, nec tenetur decernere; quanvis posito quòd decreverit non possit non decrevisse. Et similiter postquam liberè decrevit de futuro conditionato adhuc manet liber ad ponendum in re

conditio

conditionem illam, vel non ponendam, absolutè loquendo; licèt ex suppositione quòd efficaciter decreverit eam non ponere, necesse sit eam non poni. Per quod ad 1. prob. patet. Ad 2. prob. respondetur hoc esse verùm de præscientia speculativa, non autem factiva ipsius scibilis. Etenim cùm hæc sit libera dependens à decreto divinæ voluntatis, tanquam à medio in quo ipse futurum absolutè, vel sub conditione certò cognoscit, præscientia illa decretum divinæ voluntatis liberum ad sui certitudinem præsupponere debet. Unde absolutè loquendo hac præscientiâ non omne quod præscire potest præscit, sicuti neque omne id quod facere potest facit. Nec inde sequitur quod non habeat circa creaturas omnem scientiam quam habere potest ex parte actus sciendi; quoniam quæ decrevit facere præscit facienda, quæ non decrevit noscit non facienda, & subinde de omnibus scientiam habet.

Arg. 6. Volitiones conditionatæ ob sui imperfectionem in beatis non admittuntur: ergo multò in Deo sunt admittendæ. Respondetur 586. cum aliquibus primò negando antec. videlicet hujusmodi volitiones conditionatas in beatis non esse; sunt tamen in illis absque imperfectione vel tristitia; v. g. beatus hanc volitionem condionatam habet, vellem quod pater meus non esset in inferno, absque tristitia tamen ob conformitatem plenam quam habet cum voluntate divina volente ut ille in inferno ob demerita sua patiatur. Resp. 2. quòd voluntas dupliciter dici potest inefficax sive conditionata. Primo ex impotentia vel defectu volentis, sive actus, quatenus scil. circa obje-

ctum illud actum non valet habere efficacem, unde illum habet conditionatum & inefficacem, ut contingit in eo qui merces in mare projicit, quas tamen projicere nollet, si periculum submersionis ad id ipsum non adurgeret. Secundò ex parte objecti; quoniam scil. objectum illud pensatis omnibus non est efficaciter amabile, sed conditionaliter & secundùm aliquam sui considerationem; sicuti est salus omnium hominum, quæ attentis omnibus circunstantiis, & omni ordine divinæ providentiæ, non est efficaciter volibilis, sed conditionaliter tantùm, quemadmodum ex D. Thom. quæst. 19. art. 6. dictum est. Velleitates primi generis imperfectionem equidem in volente ponunt, & removentur etiam à beatis: non autem velleitates secundi generis, cujusmodi sunt decreta illa conditionata; quapropter jure merito in Deo constituenda veniunt.

587. Argum. 7. multa ex hujusmodi futuris conditionatis sunt intrinsecè mala & peccata: sed respectu horum nequeunt admitti ejusmodi decreta conditionata: ergo non dantur; quoniam etiam respectu horum deberent admitti ad certam de ipsis cognitionem habendam. Prob. min. nam nequit Deus velle peccare eos, vel decernere peccaturos, qui præsciuntur sub his conditionibus peccaturi. Resp. ex dictis, non esse decretum in Deo, quo decernat peccaturos adhibitis illis conditionibus, sed quo decernat permittere ut peccaturi sint eisdem admissis conditionibus. Argumentum de læsione libertatis fusè dissolvetur à nobis infrà, ubi erit sermo de efficacia divinorum decretorum.

Argum.

Argum. ultimò, quia si semel aliqua decreta conditionata pro hujusmodi futuris in Deo admittantur, erunt in infinitum multiplicanda: sed hoc est inconveniens: ergo non debent admitti. Seq. prob. quia sunt infinitæ conditiones, & conditionales, vel conditionalium combinationes, quæ omnes à Deo cognoscuntur. 588.

Conf. nullus apparet finis in quem talia decreta ordinari ac referri queant: ergo non sunt admittenda. Prob. antec. num ipsa nihil conferunt ad rerum gubernationem, nec per ea Deus aliquid disponit circa res à se gerendas. Deinde, quia absque hujusmodi decreti potest optimè Deus certam de illis futuris cognitionem habere: qnod prob. illa sunt libera, & subinde potuerunt in Deo non esse: sed hoc stante etiam Deus de illis futuris scientiam haberet: ergo ad hunc aut alium finem necessaria non sunt, aut conducere aliquo modo videntur. 589.

Resp. ad arg. neg. seq. neq. enim hoc necessarium est, aut conveniens; sed tantùm oportet illa recipere, quæ nobis ex divinis literis, Patrumve interpretatione tradita sunt, vel ad providentiæ divinæ rationem spectare noscuntur. Hæc enim ob altissimam rationem innotescere opus fuit, vel ad significationem quorundam occultorum sive mysteriorum aperiendam, sive demonstrandam Dei misericordiam, aut potentiam, vel energiam in operando, aut etiam increpandam hominum duritiam, vel deterrendam nequitiam, aliosque altissimos & genitus inscrutabiles divinæ providentiæ fines. Circa alia non est opus 590.

ſigillatim pro qualibet combinatione poſſibili decreta multiplicare, ſed ſufficit unum admittere generale & eminentiſſimum quo Deus decreviſſe intelligatur nihil circa infinitas illas combinationes poſitivè definite vel conſtituere, vel quo decrevit ea minimè futura eſſe: in cujus virtute cognoſcit Deus illa futura non eſſe, quibuſlibet adhibitis conditionibus; ſicut etiam de omnibus aliis creaturis poſſibilibus certò ſcit Deus ſe determinaſſe illas futuras non fore: vel tandem quo ita apud ſe ſtatuit in omnibus ſimilibus conditionibus eſſe quod ego determinarem, vel permitterem fieri, ut notavit M.Lemos tomo 1.Panop.grat. p.2.tract.5. cap.23. ubi advertit ejuſmodi futura in triplici eſſe differentia. Quædam ſunt, quæ infallibiliter ponerentur in re adhibitis conditionibus, quæ tamen appoſitæ non fuerunt; cujuſmodi ſunt illa, quæ ex divina Scriptura nobis innoteſcunt: & hæc certò cognoſcuntur à Deo in decreto, quo ipſe decrevit illa fore ſi tales conditiones apponerentur. Alia ſunt merè poſſibilia, & ut talia à Deo cognoſcuntur in ſua omnipotentia & bonitate; ut ſunt infinitæ illæ combinationes. Tandem alia ſunt, quæ in aliqua temporis differentia extitura ſunt; & hæc in decreto abſoluto Deus prænoſcit.

591. Dices: Illud eſt futurum conditionatum in Scriptura expreſſum ſap. cap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, & filio deciperet animam illius*, includit enim hanc conditionem, ſi non eſſet raptus, malitia mutaſſet intellectum ejus, & fictio decepiſſet animam illius: ſed tamen illud Deus in aliquo decreto ſuæ voluntatis conditionato non cognoſcit: ergo

ergo neque cætera, quæ in Sacra Scriptura inveniuntur expreſſa. Prob. min. ex D. Auguſt. lib. de prædeſt. ſanct. cap. 14. aſſerente, *Hæc dicta eſſe ſecundùm communia pericula vitæ, non ſecundùm præſcientiam*, nimirum in aliquo decreto fundatam, à quo certitudo illius dependet.

Reſp. quòd vel Deus etiam hoc futurum in 592.
præſcientia præſupponente decretum, ſicuti & alia hujuſmodi cognoſcat: vel hoc dictum ſecundùm communia hujus vitæ pericula, & non ſecundùm præſcientiam, ut ait Auguſtinus.

ARTICULUS XIV.

Vtrum Deus cognoſcat enuntiabilia.

HANC quæſtionem movet S. D. q. 2. 1.
de verit. art. 7. & in 1. diſt. 38. q.1. art. 3. ut pleniùs opinionem Avicennæ ſupra relatam confutet, ex qua ſequi videbatur, quòd Deus enunciabilia neſciat, & præcipuè in rebus ſingularibus, quia ipſe poſuit quòd ſingularia univerſaliter duntaxat ſciret, id eſt, ſecundùm quod ſunt in cauſis univerſalibus, & non particulariter, id eſt, in natura particularitatis ſuæ. Unde conceſſit Deum ſcire hoc individuum & illud: ſed tamen non ſcire hoc individuum nunc eſſe, & poſtmodum non eſſe: ſicut ſi aliquis ſciret eclypſim, quæ futura eſt cras in ſuis cauſis univerſalibus, non tamen ſciret, an modò eſſet, vel non eſſet, niſi ſenſibiliter videret.

Concl. Deus ſcit omnia enuntiabilia, & com- 2.

plexa, non tamen per modum enunciabilium, ſcil. componendo & dividendo, ſed per ſimplicem intelligentiam, ſeu ſimplicem cognitionem per modum ſuum. Hanc concluſionem ita declarat in 1.diſt.38.q 1.art.3.c.ut ſuprà loc. cit. *Cùm in re*, ait, duo ſint, quidditas rei, *& eſſe ejus, his duobus reſpondet duplex operatio intellectus. Una, quæ dicitur à Philoſophis formatio, quâ apprehendit quidditates rerum, quæ etiam dicitur indiviſibilium intelligentia: Alia autem comprehendit eſſe rei componendo affirmationem, quia etiam eſſe rei ex materia & forma compoſita, à qua cognitionem accipit, conſiſtit in quadam compoſitione formæ ad materiam, vel accidentis ad ſubjectum. Similiter etiam in ipſo Deo eſt conſiderare naturam ipſius, & eſſe ejus, & ſicut natura ſua eſt cauſa & exemplar omnis formæ, ita etiam eſſe ſuum eſt cauſa & exemplar omnis eſſe. Vnde ſicut cognoſcendo eſſentiam ſuam cognoſcit omnem rem: ita cognoſcendo eſſe ſuum cognoſcit eſſe cujuſlibet rei, & ſic cognoſcit omnia enuntiabilia, quibus eſſe ſignificatur: nec tamen diverſâ operatione, nec compoſitione, ſed ſimpliciter: quia eſſe ſuum non eſt aliud ab eſſentia, nec eſt compoſitum conſequens, & ſicut per idem cognoſcit bonum & malum, ita per idem cognoſcit affirmationes & negationes.*

3. Prima pars prob.1.in diſt 38.q.1.art.3. *ſed cōtra* ex illo pſalm.93. *Deus ſcit cogitationes hominum*: ſed enunciabilia continentur in cogitationibus hominum: ergo Deus enunciabilia cognoſcit. Conf. quidquid prædicit Deus, ſcit: ſed multa enunciabilia per Prophetas prædixit, ſicut eſt illud: *Ecce virgo concipiet*, Iſaïæ 7. cap.ergo enunciabilia ſcit.

Probat

Probat 2. ratione Deus ſcit quidquid eſt in potentiâ, tam ſuâ, quàm creaturæ: ſed omnia enuntiabilia, quæ formari poſſunt, ſunt in potentia creaturæ, nimirum intellectus creati componentis & dividentis, & etiam in potentia ſua, quia in eſſe divino tanquam in cauſa & exemplari continentur actu perfecto: ergo Deus ſcit omnia enuntiabilia, quæ formari poſſunt. 4.

Secundam partem probat 1. à ſimili, quia videlicet ſicut ſe habet Deus ad intelligenda materialia, & compoſita, ita ſe habet ad intelligenda enuntiabilia: ſed Deus intelligit materialia immaterialiter, & compoſita ſimpliciter: ergo pari modo enuntiabilia intelligit, non per modum enuntiabilium, ſcil.componendo & dividendo, ſed per ſimplicem intelligentiam. 5.

Probat 2. ille qui cognoſcendo rei eſſentiam, ſimul cognoſcit omnia, quæ de ipſa prædicantur, enuntiabilia cognoſcit, ſed non per modum enuntiabilium: ſed Deus cognoſcendo rerum eſſentias, eodem actu, & intuitu cognoſcit omnia, quæ de rebus prædicari poſſunt: ergo Deus cognoſcit enuntiabilia per modum ſimplicium, & non per modum enuntiabilium, componendo & dividendo. Maj.declaratur: ſi noſter intellectus hominis quidditatem cognoſcendo, ex hoc, & eodem actu omnia cognoſceret, quæ de homine prædicari poſſunt, profectò abſque illa compoſitione cognoſceret, illa prædicata tali ineſſe ſubjecto, eodem modo & actu, quo cognoſcit eſſentiam, ac ſubinde enuntiabilia per ſimplicem intelligentiam cognoſceret: ſed hoc in intellectu noſtro 6.

ſtro contingere non poteſt, quia ſpecies, quæ repræſentat eſſentiam, non repræſentat ſimul, & actu perfecto, omnia quæ de ipſa prædicari poſſunt, ſed per diverſas ſpecies, & ideo intellectus noſter ſucceſſivè intelligit, atque componendo & dividendo: ſed ſpecies divini intellectus eſt ipſamet divina eſſentia, quæ ſimul & actu perfecto repræſentat res & omnia quæ de rebus prædicantur.

CAPUT I.

Solvuntur argumenta.

7. Arg. 1. cognoſcere enunciabilia competit intellectui noſtro, ſecundùm quod componit, & dividit, hîc, & cit. verit. art. 7. arg. 3. ſed in intellectu noſtro nulla eſt compoſitio, & diviſio: ergo Deus non cognoſcit enunciabilia. Maj. patet, quia ſecundùm Philoſ. 6. *Metaph. text.* 8. compoſitio, quæ ſignificatur, cùm dicitur aliquid eſſe vel non eſſe, non eſt in rebus, ſed intellectu noſtro tantùm.

8. Reſp. S. D. loc. cit. quod intellectus noſter enuntiabilia per modum enuntiabilium cognoſcit; & ideo componendo & affirmando, non autem intellectus divinus, quia loco compoſitionis, quæ eſt in intellectu noſtro, eſt unitas in intellectu divino: compoſitio enim eſt quædam unitatis imitatio, unde unio dicitur: Quapropter Deus non componendo veriùs eſſentialia cognoſcit, quàm ipſe intellectus componens & dividens.

9. Arg. 2. loc. cit. omnis cognitio fit per aliquam

quam ſimilitudinem: ſed in Deo nulla eſt enuntiabilium ſimilitudo, cùm ſit omnino ſimplex: ergo Deus enuntiabilia non cognoſcit.

Reſp. ex S. D. loc. cit. enuntiabilia dupliciter cōſiderari poſſe: uno modo quantùm ad modum ſignificandi, ut ſcil. ſignificant cum compoſitione & diviſione, & ſecundùm hunc modum non habent ſimilitudinem in Deo per ſe: alio modo conſiderantur ſecundùm rem ſignificatam, ut nimirum ſignificant eſſe, vel non eſſe rei, & ſic habent in Deo ſimilitudinem; cum Dei eſſentia, quæ cum ſuo eſſe identificatur, ſi omnium ſimilitudo rerum, quæ per enunciabilia ſignificantur. 10.

Arg. 3. quæſt. 2. de verit. art. 7. arg. 2. inter potentias animæ illæ quæ æqualiter ſe habent ad rem præſentem & abſentem, ut imaginatio, non cognoſcunt an res nunc ſit, vel non ſit: hoc autem illæ potentiæ cognoſcunt, quæ non ſunt rerum abſentium, ſicut præſentium, ut viſus & alii ſenſus externi; ſed intellectus divinus eodem modo ſe habet ad res præſentes, & abſentes: ergo non cognoſcit res nunc eſſe, vel non eſſe, & ſubinde non cognoſcit ſingularia enuntiabilia, ſed rerum naturam ſimpliciter. 11.

Conf. res creatæ ſunt in Deo ſicut arca in mente artificis ut docet D. Auguſt. *tract.* 2. *in Ioan.* ibid. arg. 3. ſed artifex per ſimilitudinem arcæ, quam habet in mente ſua, non cognoſcit, an arca ſit vel non ſit: ergo nec Deus cognoſcit ſingulare eſſe, vel non eſſe. 12.

Reſp. S. D. loc. cit. in arg. quod ſimilitudo, quæ eſt imaginatione ipſius rei, non autem eſt ſimilitudo ad cognoſcendum tempus, in quo 13.

res

res invenitur; ſecùs autem eſt de intellectu divino, ibid. in c. Cujus rei gratia ſcedendum eſt, quod ſicut eſſentia univerſalis alicujus ſpeciei ſe habet ad omnia per ſe accidentia illius ſpeciei, ita ſe habet eſſentia ſingularis ad omnia accidentia propria illius ſingularis, cujuſmodi ſunt omnia accidentia in eo inventa. Quia per hoc quod in ipſo individuantur, efficiuntur ei propria. Intellectus autem cognoſcens eſſentiam ſpeciei per eam comprehendit omnia per ſe accidentia illius ſpeciei quia, ſecundùm Philoſ. principium omnis demonſtrationis, per quam accidentia propria de ſubjecto concluduntur, eſt ipſum quodquid eſt, unde & cognitâ propriâ eſſentiâ alicujus ſingularis, omnia accidentia illius ſingularia cognoſcuntur: quod noſter equidem intellectus non poteſt; quia de eſſentiâ ſingulari eſt materia ſignata, à quâ intellectus noſter abſtrahit, & poneretur in ejus definitione, ſi ſingulare definitionem haberet. Sed intellectus divinus, qui eſt apprehenſor materiæ, comprehendit, non ſolùm univerſalem ſpeciei eſſentiam, ſed etiam eſſentiam ſingularem uniuſcujuſque individui. Et ideo cognoſcit omnia accidentia, non modò communia toti generi & ſpeciei, ſed etiam propria unicuique ſingulari, inter quæ unum eſt tempus, in quo invenitur unumquodque ſingulare in rerum natura, ſecundùm cujus determinationem dicitur nunc eſſe vel non eſſe. Et ideo Deus cognoſcit de unoquoque ſingulari, quod nunc eſt vel non eſt. Et idea rei ſingularis, quæ eſt in mente divinâ, eſt ſimilitudo rei ſecundùm omnem ejus diſpoſitionem, & per eam Deus cognoſcit de re in quacunque diſpoſitione. ibid. ad 6.

Reſp.

Respond. S. D. ibid. ad 4. ad Conf. arcam, quæ est in mente artificis, quæ est idea arcæ ad extra, non esse similitudinem omnium, quæ possunt arcæ convenire secundùm omnem illius dispositionem: essentia autem divina est similitudo omnium, quæ in rebus reperiri valent, non modò in potentia, sed in actu perfecto, & secundùm omnem dispositionem, quapropter dispar ratio. 14.

Arg. 4. 1. sent. dist. 38. q. 1. art. 3. arg. 3. sicut dicitur *in* 3. *de anim. text.* 21. operationi, quâ intellectus affirmat aliquid, vel negat, miscetur tempus, unde omnis enunciatio cum tempore significat: sed intellectus divinus est omnino absolutus à tempore: ergo non est enuntiabilium. 15.

Resp. S. D. operationi intellectus nostri componentis & dividentis admisceri tempus duplici de causâ: tum ex parte suâ, quia accipit scientiam à continuo & tempore, scil. à sensu & imaginatione: tum ex parte intellectorum, quæ in tempore sunt. In operatione autem divini intellectus, advenit tempus tantùm ex parte intellectorum, quia sicut alias res determinatè cognoscit, ita & tempus. Unde cognoscit hanc rem esse in tali, vel tali tempore; sed ex parte ipsius intellectus nullum tempus, nullave successio advenit, quia temporalia intemporaliter cognoscit. 16.

ARTICU

ARTICULUS XV.

Vtrum scientia Dei sit variabilis.

1. THEOPHRONIUS, ut referunt Sozomenus lib. *cap.* 17. & Nicetas *in thes. lib.* 5. *cap.* 36. contendit quòd Deus, quia futura prospiceret, præsentia sciret, præterita meminisset, sui similis semper non esset, utpote qui pro ratione futuri, præsentis, & præteriti sententiam mutaret, atque notitiam.

2. Concl. scientia Dei est omnino invariabilis. Probat S. D. sed contra ex illo Jacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ex quo deducit hanc rationem *in corp.* scientia Dei est idem quòd substantia Dei: sed Dei substantia est omnino immutabilis, ut dictum est: ergo scientia Dei est omnino immutabilis, & invariabilis.

3. Explicatur ex S. D. quæst. 2. de verit. art. 13. cùm scientia sit quidpiam medium inter cognoscentem & cognitum, duplex in ipsa potest accidere variatio. Uno modo ex parte cognoscentis: alio modo ex parte cui cognitæ. Ex parte autem cognoscentis tria in scientia considerare possumus, ipsam videlicet scientiam, actum ejus, & modum ipsius: & secundùm hæc tria potest variatio in scientia ex parte scientis accidere. Ex parte ipsius scientiæ relatæ ad scientem, accidit variatio, cùm de novo acquiritur cognitio sive scientia alicujus, quod priùs nesciebatur: Et secundùm hoc attenditur generatio, vel

vel corruptio, aut augmentum, & diminutio ipſius ſcientiæ. Ex parte autem actus in ſcientia tripliciter accidit variatio: primò ex eo quòd actu conſiderat, quod priùs non conſiderabat, ſicut dicimus ſcientem variari, quando exit de habitu in actum. Secundò accidit variatio ex parte actus ſciendi ex hoc, quòd modò unum, modò aliud conſiderat. Tertiò ex hoc quòd aliquis in conſiderando diſcurrit de uno in aliud. Tandem ex parte modi cognoſcendi accidit variatio ex hoc quod ſciens aliquid limpidiùs aut perfectiùs nunc quam antea cognoſcit, quod quidem poteſt ex duobus contingere, uno modo ex diverſitate medii, per quod fit cognitio, ſicut accidit in eo, qui priùs ſcivit aliquid per medium probabile, & poſtea id ipſum per medium neceſſarium ac demonſtrativuum ſcientificè cognoſcit: Alio modo ex virtute intellectiva, prout videlicet unus homo melioris ingenii, etiam per idem medium, aliquid acutiùs cognoſcit. Ex parte autem rei cognitæ ſcientia variatur ſecundùm veritatem & falſitatem, quia nimirum eadem exiſtimatione remanente, ſi res varietur aut mutetur, erit exiſtimatio falſa, quæ fuit priùs vera. Nullo autem ex his modis poteſt Dei ſcientia variari: ergo eſt omnino invariabilis ſeu immutabilis.

Prob. min. ibidem, imprimis nequit variari ex parte Dei ſcientis, per hoc quòd de novo acquirat alicujus ſcientiam, quod priùs neſciebat: quia ſcientia divina non ſolùm eſt entium, ſed etiam non entium: ſed nihil eſt præter ens & non ens, quia inter affirmationem & negationem nihil eſt medium: ergo nequit 4.

variatio

variationem pati, quantùm ad ſpeculativam cognitionem, per hoc quod de novo alicujus ſcientiam comparet, cujus cognitio eum lateret. Deinde neque ex parte actus: tripliciter enim ex parte actus accidit variatio in aliqua ſcientia, nimirum, ex eo quod actu conſiderat, quod priùs non conſiderabat: vel ex hoc quod conſiderat modò unum, & modò aliud: vel ex hoc quod conſiderando diſcurrit de uno in aliud; ſed in actu ſcientiæ divinæ nullo ex his capitibus variatio contingere poteſt: ergo nullo modo eſt variabilis ex parte actus. Prob. min. quia non eſt ſciens ſecundùm habitum, ſed perfectiſſimè actu omnia conſiderat ipſeque per unam ſpeciem ſuæ eſſentiæ omnia videt, & ſimul intuetur: nec in ejus cognitione eſt aliqua ſucceſſio, ac ſubinde neque diſcurſus: ergo nullo ex his capitibus in actu divinæ ſcientiæ variatio accidere poteſt. Præterea neque ex parte modi cognoſcendi, quia, ut diximus, eſſentia ejus, quæ eſt medium cognoſcendi, & virtus, quâ cognoſcit, eſt omnino invariabilis: ſed variatio ex parte modi cognoſcendi in cognitione non niſi ex medio, vel virtute cognoſcendi accidere poteſt: ergo ex modo cognoſcendi divina ſcientiam nullam variationem ſubire poteſt.

5. Tandem neque ex parte rei cognitæ; quod probatur: Tunc ſcientia ex parte rei cognitæ variationi obnoxia eſt, quando re mutatâ eandem retinet de veritate vel falſitate illius opinionem, vel mutat opiniones diverſas eadem re manente: ſed hoc Dei ſcientiæ competere non poteſt, quæ fertur ad rem ſecundùm quod eſt in ſua præſentialitate, prout eſt jam deter-

minata

minata ad unum, unde si res ipsa aliam dispositionem suscipiat, iterum erit eodem modo divinæ visioni subjecta: ergo Dei scientia ex parte rei cognitæ nullam variationem subire potest.

CAPUT I.

Solvuntur argumenta.

ARg. 1. hîc arg. 1. Ea quæ de Deo dicuntur, & respectum ad creaturas important sunt variabilia: sed scientia de Deo dicitur, & importat respectum ad creaturas; cùm omnis scientia ad scibile referatur: ergo scientia Dei est variabilis. Maj. patet quia ea quæ dicuntur de Deo, & important respectum ad creturas dicuntur de illo ex tempore, & secundùm creaturarum mutationem variantur. 6.

Conf. quæst. 2. de verit. art. 13. arg. 1. scientia est assimilatio scientis ad rem scitam: sed scientia Dei est perfecta: ergo rebus scitis perfectè assimilari debet: sed res scitæ à Deo sunt variabiles: ergo & ipsa Dei scientia est variabilis. 7.

Resp. S. D. hîc, ea, quæ de Deo dicuntur, & respectum ad creaturas important, esse in duplici differentia. Quædam important hujusmodi respectum ad creaturas prout sunt in seipsis, quemadmodum Dominus, creator, & his similia: Alia verò sunt, quæ important respectum ad creaturas, secundùm quòd sunt in Deo eo modo quo res intellecta in intelligente. Ea quæ primo modo ejusmodi respectum ad creaturas important, de Deo ex tempore dicuntur; non autem illa quæ secundo modo illam dicunt. 8.

Et quia scientia Dei habet respectum ad creaturas scitas, non prout sunt in seipsis, sed quatenus sunt à Deo sicut res scita in sciente: hinc est quòd ipsa scientia sit invariabilis, sicut & res prout sunt in Deo invariabiles sunt. Eodem modo respondet ad conf. quod assimilatio ipsius scientiæ ad scitum non est secundùm naturæ conformitatem, sed secundùm repræsentationem; unde non oportet, quod rerum variabilium sit scientia variabilis.

9. Respondet 2. ad arg. ea, quæ dicuntur de Deo cum respectu ad creaturas, in duplici esse differentiâ: Quædam consequuntur actus Dei, qui intelliguntur ad creaturas terminari, prout in scipsis sunt; sicut creator consequitur actum creationis, qui ad creaturas secundùm esse, quod extra Deum sortiuntur, terminatur. Quædam verò consequuntur actus, qui intelliguntur esse in ipso Deo, sicut scientia & amor, quæ consequuntur actus in Deo immanentes, scil. scire & amare. Ea igitur, quæ relativè ad creaturas de Deo dicuntur, & consequuntur actus hujusmodi, qui ad creaturas in se terminari intelliguntur, variè dicuntur de Deo secundùm rerum variationem. Ea verò, quæ de Deo enunciantur per respectum ad creaturas secundo modo, cujusmodi est ipsa scientia, de Deo invariabiliter efferuntur.

10. Arg. 2. hîc, & quæst. 2. de verit. art. 13. arg. 5. scientia illius, qui potest plura scire quam nunc sciat, est variabilis: sed Deus potest plura scire, quàm nunc sciat: ergo est variabilis ejus scientia. Maj. ex dictis patet, minor prob. quidquid Deus potest facere, potest scire: sed Deus potest plura facere quàm faciat: ergo potest plura scire, quàm sciat.

Conf.

Conf. loc. cit. de verit. arg. 9. In Deo quædam esse dicitur scientia approbationis, secundùm quam solos bonos cognoscit: sed potest Deus approbare, quos non approbavit: ergo potest scire, quod priùs nescivit: Et subinde illius scientia est variabilis. 11.

Conf. 2. ibid. arg. 8. sicut ad scientiam requiritur scibile, ita etiam modus sciendi: sed si modus sciendi in Deo variaretur, scientia illius esset variabilis: ergo similiter, cum ea quæ ab ipso sciuntur, variationem subeant, ejus scientia variabilis erit. 12.

Resp. S.D. duplicem in Deo scientiam esse distinguendam, aliam visionis, secundùm quam ea scire dicitur, quæ sunt actu secundùm aliquod tempus; aliam simplicis intelligentiæ qua cognoscit ea, quæ facere potest, nunquam tamen effecturus est: Ait igitur, ex hoc quod Deus possit plura facere quam facit, non sequi quod possit plura scire quàm sciat, nisi hoc referatur ad scientiam visionis, secundùm quam dicitur scire ea, quæ sunt in actu secundùm aliquod tempus, q. 2. de verit. art. 13. ad 5. Cùm autem dicitur quod Deus plura scire possit, quàm sciat, loquendo de scientia visionis, hoc dupliciter potest intelligi; uno modo in sensu composito, ut sit sensus, quòd possit scire plura, quæ priùs nescivit: & sic falsum est; non enim potest utrumque horum simul stare, ut scil. Deus nesciverit aliquid, & postea illud sciat. Alio modo in sensu diviso, & sic non includitur aliqua suppositio, vel conditio, unde in hoc sensu est verum. Idcirco absolutè concedi non debet, quòd Deus possit scire plura quàm sciat, quia hæc propositio implicat, quòd ante 13.

nesciverit & postea sciat: & cùm per hoc, quod dicitur, *plura*, importetur comparatio ad præexistentia, semper intelligitur in sensu composito. Ex hoc autem quod scit Deus, aliqua posse esse, quæ non sunt, vel etiam non esse quæ sunt, non sequitur quod scientia ejus sit variabilis, sed quod cognoscat rerum variabilitatem. Si tamen aliquid esset, quod priùs nescivisset, & postea sciret, esset ejus scientia variabilis. Sed hoc esse non potest, quia quidquid est, vel potest esse secundùm aliquod tempus, Deus in æterno suo scit, id est, intuitus fertur ad illud secundùm quod est in sua præsentialitate. Et ideo ex hoc quod ponitur aliquid esse secundùm quodcunque tempus, oportet poni, quod ab æterno sit à Deo scitum.

14. Ad conf. resp. S.D. quæst.23. de verit.art.13. ad 8. neg.conseq. disparitatis ratio est, quia modus sciendi est in ipso sciente non autem ipsa res scita secundùm suam naturam est in ipso sciente, licet intelligibiliter seu intentionaliter sit in eo: & ideo modi sciendi varietas facit scientiam variabilem, non autem rerum scitarum variatio.

15. Arg.3.hic, & q.cit.de verit.art.3.arg.7.Deus quandoque scivit Christum nasciturum, nunc autem nescit Christum esse nasciturum, quia revera non est nasciturus, sed scit jam natum: ergo non quidquid Deus scivit, scit modo: vel Deus aliquid scit, quod priùs nescivit: ergo ejus scientia est variabilis.

16. Resp.S.D. locis cit.ex 1. p. Antiquos Nominales dixisse, idem esse enunciabile, Christum nasci, esse nasciturum, & esse natum: quia eadem res per hæc tria significatur, nimirum Christi

Christi nativitas. Ex quo sequitur quod quidquid Christus scivit, sciat, quia modò Christum scit natum, quod idem significat ei, quod est Christum esse nasciturum. Quam solutionem ut falsam, ipse duplici ratione improbat; quarum prima est: Ubi est diversitas partium orationis, ibi est diversum enuntiabile, quia diversitas partium enuntiationis enuntiabile ipsum variat: sed dicendo, Chistum esse nasciturum, & Christum esse natum, sunt diversæ partes orationis, ut de se patet: ergo sunt diversa enunciabilia. Secunda est: Quia sequeretur, quod propositio, quæ semel est vera, nunquam posset esse falsa: sed hoc est contra Philosophum *in Prædicamentis cap. de substantia*, dicentem, quòd hæc propositio, Sortes sedet, est vera Sorte sedente, & eo surgente est falsa, quamvis semper significet Sortis sessionem: ergo non sunt eadem enuntiabilia, quamvis eandem Christi nativitatem significent.

Unde rejectâ hujusmodi solutione respondet, hanc propositionem non esse veram: locis citatis in arg. Quidquid Deus scivit scit: si ad enuntiabilia referatur; sed ex hoc non sequi, quòd scientia Dei sit variabilis. Sicut enim absque variatione divinæ scientiæ contingit, quòd sciat unam & eandem rem quandoque esse, & quandoque non esse, ita absque variatione divinæ scientiæ accidit, quòd sciat aliquod enuntiabile quandoque esse verum, & quandoque esse falsum. Esset autem ex hoc Dei scientia variabilis, si enuntiabilia per modum enuntiabilium cognosceret, nimirum componendo & dividendo, sicut in intellectu nostro accidit. Unde cognitio nostra variatur, vel secundùm 17.

veritatem & falsitatem: putà, si mutatâ re eandem de ipsa opinionem retineamus. Vel secundùm diversas opiniones, ut si primò opinemur aliquem sedere, & postea opinemur eum non sedere, eo sedente. Quorum neutrum in Deo esse potest.

18. Contra illud, quod dicit S. D. nimirum, hanc propositionem non esse veram, quidquid Deus scivit, scit, si ad enunciabiia referatur; instatur, sicut enunciabilia quandoque sunt vera, & quandoque non, & ideo priùs scita nesciuntur; ita res quædam, putà Sortes, quandoque est ens, & quandoque non: ergo etiam res corruptibiles priùs scitæ nesciuntur: ergo nulla est differentia inter enunciabilia & res, quoad hoc. Antec.patet, quia verum non magis fundat scibile, quàm ens; unumquodque enim est cognoscibile secundùm quod est ens.

19. Resp.D.Cajetanus quod inter enunciabile & rem hæc est differentia, quod enunciatio eadem manens & perseverans mutatur de verâ in falsam: & consequenter de scibili in non scibilem, & è converso. Res autem si mutatur de esse in non esse, aut è converso non perseverat. Quapropter non potest demonstrari una & eadem res manens modò scibilis, & modò nescibilis, sicut una enunciatio.

ARTICU



ARTICULUS XVI.

Vtrum Deus de rebus habeat scientiam speculativam.

SUPPONIT D. Thom. hîc in corp. & videndus q. 3. de verit. art. 3. scientiam tripliciter ad speculativi & practici differentias se habere. Quædam enim est speculativa tantùm. Quædam verò est practica tantum. Quædam est secundùm aliquid practica & secundum aliquid speculativa. Ad cujus evidentiam advertit, aliquam scientiam posse dici speculativam tripliciter: Primò ex parte rerum scitarum, quæ non sunt operabiles à sciente, sicut est scientia hominis de rebus naturalibus, vel divinis. Secundò, quantum ad modum sciendi: ut putà si ædificator domum, (quæ est res operabilis simpliciter ab artifice) consideret definiendo, vel dividendo, atque universalia ipsius prædicata considerando. Hoc siquidem est operabilia modo speculativo considerare, & ut quædam vera sunt, & non modo operabili, seu ordinando exercitè ad opus, & secundùm quod sunt operabilia respiciendo: Nam operabile est aliquid in exercitio per applicationem formæ ad materiam, v. g. dispositionis domus ad lapides, ligna &c. non per resolutionem compositi in principia universalia formalia, id est, essentialia, quæ sunt genus & differentia. Tertiò quantùm ad finem, qui est consideratio veritatis, si- 1.

stendo in ea, & non ordinando cognitionem ad opus. Nam intellectus speculativus, fine à practico differt, ut dicitur 3. *de anim. text.* 49. quia intellectus speculativi finis est veritatis consideratio, practicus verò ad operandum, seu operationem tanquam finem ordinatur; v. g. Si quis ædificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantùm, erit quantùm ad finem speculativa consideratio, non tamen ex parte rei consideratæ, quæ est res operabilis à sciente nimirum artifice. Scientia igitur quæ est speculativa ratione ipsius rei scitæ est speculativa tantùm, hoc est, simpliciter. Illa verò, quæ est speculativa secundùm modum, vel finem scientis, est secundùm quid speculativa, & secundùm quid practica: speculativa nimirum ex modo, vel fine scientis & practica ex parte rei scitæ, quæ est de se operabilis à sciente vel ex fine scientiæ, virtualiter inquam practica. Cum verò ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica, id est, tam ex fine scientiæ seu objecto quam ex fine scientis, & modo sciendi. Quod est esse formaliter & adæquatè practicam. Videndus S. D. q. 3. de verit. art. 3. c.

2. Prima conclusio; scientia quam Deus de seipso habet, est speculativa tantùm: Probat S. D. scientia quæ respicit rem, quæ non est operabilis à sciente, est speculativa tantùm: sed Deus non est res operabilis à sciente: ergo de seipso non habet scientiam nisi speculativam.

3. Dices, Deum equidem non esse operabilem, hoc

hoc modo, quod à ſciente producatur: eſſe verò operabilem, prout operabile quodammodo dicitur, illud quod eſt per operationem attingibile: nam divina eſſentia ſeu bonitas eſt attingiblis per operationem immanentem, videlicet amoris.

Sed contra eſt, quia ſcientia practica cauſam ſonat, ut patet ex ipſo nomine, & dicitur *in 9. Metaphyſ.* ſed oportet omnem cauſam vel eſſe operationis cauſam, vel effectus: ergo oporteret quod Deus eſſet cauſa hujuſmodi operationis, quod eſt falſum, nam ſecundùm rem nil eſt in Deo cauſatum. 4.

Secunda concl. Deus de omnibus aliis à ſe, habet ſcientiam ſpeculativam quoad modum, & practicam ſimpliciter. Prima pars prob. qui cognoſcit rem definiendo & dividendo, habet ſcientiam ſpeculativam quoad modum de illa, ut dictum eſt: ſed Deus perfectiori modo cognoſcit quidditates rerum, & paſſiones earum, quam nos definiendo, & dividendo cognoſcamus: ergo habet ſcientiam de illis ſpeculativam quoad modum. Secunda pars prob. ſcientia Dei eſt cauſativa rerum ejuſmodi, & iſtæ ab eo ſunt operabiles, & modum novit, quo eas operari poteſt: ergo eſt practica ex fine ſcientiæ, objecto, & modo, & ſubinde ſimpliciter. 5.

Tertia concluſio: De his, quæ ſecundùm aliquam temporis differentiam à Deo producuntur, ipſe habet ſcientiam purè, ſeu tantùm practicam: de purè autem poſſibilibus habet cognitionem virtualiter practicam. Probatur, quia illa ſcit modo operabili, & intendit 6.

dit operari actu, secundùm aliquod tempus: ista verò non intendit operari: ergo illa est purè practica; ista autem practica virtute tantùm.

7. Quarta concl. Deus de malis non solùm habet scientiam speculativam, sed etiam quodammodo practicam: non quidem ita ut mala faciat, vel causet: sed quia ab eo permittuntur, impediuntur, vel ordinantur. Probatur quia infirmitates appositæ sub eadem scientia medici cadunt: sub quâ salus cadit, in quantum de infirmitatibus disponit: ergo etiam mala sub scientia Dei practica cadunt, sicut & bona creata, in quantum mala permittit, vel aliquo modo ordinat.

Solvuntur argumenta.

8. Argumentum primum scientia speculativa non est causa rerum scitarum: sed scientia est causa rerum, ut suprà ostensum est: ergo scientia Dei non est speculativa.

9. Respondet Sanctus Doctor quòd scientia Dei, prout est speculativa tantùm, non est causa rerum (esset enim tunc causa sui ipsius) sed est causa rerum, ut est practica: quorumdam quidem in actu, scil. eorum quæ secundùm aliquod tempus fiunt: quorumdam autem virtute, nimirum eorum, quæ Deus facere potest, sed tamen nunquam fiunt.

10. Argumentum secundum; scientia speculativa est per abstractionem à rebus: scientia Dei non est per abstractionem à rebus: ergo

ergo scientia Dei non est speculativa. Respondet Sanctus Doctor quòd scientiam esse acceptam à rebus scitis, non per se convenit scientiæ speculativæ, sed per accidens, inquantum est humana; homo enim in cognoscendo à sensibus dependet, qui sunt ipsarum rerum, & hæ causant scientiam in nobis.


Argumentum tertium pro parte affirmativa: Quod est nobilius est Deo attribuendum: sed scientia speculativa est nobilior quàm practica, ut patet per Philosophum *in primo Metaphisica, tomo secundo* & *libro sexto, textu sexto*, ergo Deus scientiam speculativam de rebus habet. 11.

Respondet Sanctus Doctor quod scientia, quæ est speculativa tantùm, & ex parte rei scitæ, equidem est perfectior, quam practica tantùm: sed scientia, quæ est speculativa quoad modum, non est perfectior practicâ simpliciter: quia de operabilibus perfecta scientia non habetur, si sciantur speculativè tantùm, & non inquantùm operabilia sunt, sicut multi sciunt quid sit domus, qui tamen non dicuntur esse scientes artem domificativam. Et ideo, cùm scientia Dei sit omnibus modis perfecta, oportet ut sciat ea, quæ sunt à se operabilia, inquantùm hujusmodi, & non solùm ut speculabilia sunt. Neque per hoc scientia Dei à nobilitate scientiæ speculativæ, quæ videlicet est speculativa tantùm, recedit: quia omnia alia à se in seipso videt, sicut in causâ & medio priùs cognito, seu objecto specificativo; 12.

cativo : sui ipsius autem habet scientiam speculativam tantum : & in speculativâ suiipsius scientia habet cognitionem, & speculativam & practicam aliorum à se, quæ sunt objecta secundaria, à quibus scientiæ nobilitas non desumitur.



INDEX



INDEX

RERUM ET VERBORUM, Quæ in hoc Tomo secundo continentur.

Primus numerus paginam, secundus verò notas marginales designat.

A

B

Bonum.

C

Cognitio. Cognoſcere.

Testimonio

Ethnici.

F

Futurum.

I

Idea.

Immaterialitas.

Impii.

Infinitum.

Præscientia.

Præsens. Præsentia.

Quidditas.

Q

Quidditas.

R

Res.

S

Sapientia.

Scientia.

ſertim

gnoſcit

FINIS.

